5.14.'03.

From the Library of

Professor William Henry Green

Bequeathed by him to

the Library of

Princeton Theological Seminary

BS2335
.R815
1815
v.4

W. Henry Green

Princeton Aug. 1846

Presented by my uncle

A. W. Green Esq

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS IV.

CONTINENS

PAULI EPISTOLAS AD CORINTHIOS, GALATAS, EPHESIOS, PHILIPPENSES, COLOSSENSES ET THESSALONICENSES.

EDITIO SEXTA

AUCTIOR ET EMENDATIOR.

POST AUCTORIS OBITUM

CURAVIT ET PRAEFATUS EST

D. ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERUS,

LITTERAR. OO. IN UNIVERS. LIPS. PROF. ORD.

CUM PRIVILEG. REG. SAXON.

NORIMBERGAE,

IN OFFICINA FELSECKERIANA.

MDCCCXXX.

LECTURIS

S.

Distractis exemplis omnibus Voluminis quarti et quinti huius operis quintum editi, librarius, ne in ipsius damnum diutius deficerent nova illorum voluminum exempla, quum urgeret, ut nostram recognitionem deproperaremus; nos in eo acquiescere coacti eramus, ut, praeterea quod menda typographica antecedentis editionis tollerentur, tam quae inde ab eo tempore, quo editio quinta prodiit, ad librorum N. T., qui in hisce voluminibus tractantur, interpretationis accessissent subsidia indicaremus, quae qui plura cupiunt, consulere possint ipsi, quam quae ad loca difficiliora nova luce illustranda a recentioribus interpretibus facta essent tentamina, breviter recenseremus. Ceterum b. Parentis annotationem, uti iam in epi-

stola ad Romanos, volumine tertio, factum erat, intactam relinquendam putavimus. Quod nostrum consilium ab aequis harum rerum iudicibus non improbatum iri, eo magis speramus, quo certius nobis persuasum est, eos, qui hoc libro utuntur, non tam quomodo nos singula interpretanda arbitremur, quam quomodo operis auctor illa interpretatus fuerit, cognoscere velle.

SCHOLIA

IN PRIOREM

AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

Corinthus erat Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria Ionium et Aegaeum quasi spectaculo exposita, *Flor.* II, 16, 1. ex commerciis magnas adepta divitias. *Strabo* VIII. Ὁ δὲ Κόρινθος ἀφνειὸς (opulenta) μὲν λέγεται διὰ τὸ ἐμπόριον ἐπὶ τῷ Ἰσθμῷ κείμενον, καὶ δυοῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐστιν. καὶ ῥᾳδίας ποιεῖ τὰς ἑκατέρωθεν ἀμοιβὰς τῶν φορτίων πρὸς ἀλλήλοις, τοῖς τοσοῦτον ἀφεστῶσιν. Hom. Il. β. 570. ἀφνειόν τε Κόρινθον. Literarum studia Corinthi non eadem qua in reliquis Graeciae civitatibus felicitate exculta sunt, *artes* vero multae a Corinthiis, nisi excogitatae, ad maiorem certe perfectionis gradum, perductae sunt (Plin. hist. nat. XXXIV, 5.). Praeterea ludi Isthmii in theatro atque stadio iuxta viam, quae ferebat ad celeberrimum Neptuni templum, exstructo, solenni tempore agebantur. Hinc urbs illa semper amplissima ditissimaque fuit, recteque (ante eversionem) *totius Graeciae lumen* appellari potuit (*Cic.* pro lege Manil. c. V.). Fuerunt autem Chorinthii non minus lascivia, quam opulentia

insignes. Scortis enim plurimum semper indulsere Corinthii, adeo id non turpe habentes, ut publicis precationibus adhiberentur meretrices, essetque in iis precationibus, ut augerent Dii numerum proventumque meretricum, et voverent quidam, se novas meretrices adducturos, ut discimus ex *Athenaeo* XIII, 4. Ibi, teste eodem, Lais de tota Graecia tributa exegit libidinis, denis drachmarum millibus usum sui indicans; et mortua sepulcrum habuit, omnium poëtarum versibus celebre. Et hinc κορινθιάζεσθαι vulgo Graecis scortari, et κορινθία κόρα *Platoni* de Rep. III. ea, quae se vulgat. Ob divitias et opulentiam inflati Corinthii, ipsum Romanum nomen contemnere coeperunt; quae superbia excidium eis attulit, victore *Mummio* (Flor. II. 16.); sed restituta per *Iulium Caesarem* urbe, ut *Strabo* narrat, et in fragmentis *Diodorus Siculus*, brevissime, ut opulentia, sic et vitia illa rediere. Ab eo tempore philosophiae studia Corinthi exculta sunt; in primis autem Sophistarum ingens numerus ibi fuit (*Aristides* Isthmic. in Neptun. *Athenaeus* XIII.). Ex his planius intelligimus, quae Apostolus in Sophistas et sophismata contra resurrectionem mortuorum, in scortationem et incestum, denique in divites avaros Corinthiis scripsit. Quod ad origines ecclesiae Corinthiacae attinet, *Paulus* omnium primus instituit Corinthios in religione christiana, ut patet ex huius epistolae c. III, 10. et Act. XVIII. Per unum et dimidium annum in ea urbe versatus est (Act. XVIII, 11.). Sed post eum alii etiam doctores Corinthum venerunt (vid. ll. cc. coll. 1 Cor. I, 11. sqq.), partim veram et puram Christi doctrinam annunciantes, partim vero suis philosophicis opinionibus veram Christi religionem corrumpentes.

Unde in partes scissa ecclesia, multae discordiae et lites ortae sunt. De istis dissidiis, ut et de vitiis, quibus multi ex christianis Corinthiis adhuc dediti erant, certior factus Apostolus per amicos, scripserat iam antea ad eos Epistolam, nunc deperditam, 1. Cor. V, 9. (nam ea, quam uterque *Whiston* Armenice scriptam edidit, et Mosis Cheronensis historiae Armenicae adiunxit, non est Pauli). In hac epistola quum nonnulla essent minus recte a Corinthiis intellecta, scripserunt ad eum literas, quas per Stephanan, Fortunatum et Achaicum miserunt, 1 Cor. VII, 1. coll. XVI, 17. rogantes, ut accuratius de iis rebus ad se scriberet; quod fecit Paulus in hac ipsa epistola, quae prima nuncupari solet. Tres igitur epistolas ad Corinthios scripsit Paulus, quarum prima deperdita est. Nam verba 1 Cor. V, 9. *ἐν τῇ ἐπιστολῇ* nullo modo *de hac ipsa epistola*, quae nunc *prima* dicitur, accipi possunt, ut nonnulli statuerunt; (cf. *Stosch de epistolis Apostolorum non deperditis* p. 75. sqq.) quod vel inde patet, quod Paulus se Corinthios *ἐν τῇ ἐπιστολῇ* monuisse dicit: *μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις*, quae verba in capitibus quatuor prioribus nullibi extant; nam quae c. V, 1—8. de incestuoso illo homine leguntur, et quoad verba, et quoad rem a verss. 9—11. plane differunt. Repetit potius Paulus ipsa illa verba, quibus in deperdita illa epistola usus fuerat, et nunc magis illustrat, quia Corinthii sensum eorum non plane perspexerant. *Mich. Weber* in Programmatt. octo *de numero epistolarum ad Corinthios rectius constituendo*, Witebergae ab anno 1798 ad 1806. scriptis, ostendere studuit, *Paulum Apostolum quinque epistolas ad Corinthios scripsisse:* a) unam deperditam, b) quatuor

superstites: 1) primam ad Corinth. ab initio usque ad finem; 2) secundam 2 Cor. I—IX. incl. una cum tribus ultimis commatibus capitis XIII., quae ipse pro huius epistolae secundae clausula habet. 3) tertiam, epistolam ad Hebraeos, quae vulgo dicitur. 4) quartam 2 Cor. X—XIII, 10. incl. Verum quidem est, a cap. IX. secundae epistolae desiderari arctiorem argumenti connexionem; unde iam *Semlerus* suspicatus est, ultima capita IX—XIII. ab ipsa epistola esse separanda (dissert. *de duplici adpendice epistolae ad Romanos*, Halae 1767. repetita et annexa eius Paraphrasi epist. ad Romanos, et in Paraphr. II. epistolae ad Corinthios 1776.), refutatus a *Gablero* in dissert. critica *de capp. ultimis IX—XIII. posterioris epistolae Pauli ad Corinthios ab eadem haud separandis.* Goetting. 1782. 8. cf. eiusd. Neues theologisches Iournal. Tom. I. p. 405—410. Sed ista *Weberi* hypothesi non opus esse, docuit *Ziegler (theolog. Abhandlungen, Tom. II.* 1804. 8. *Einleitung in die Briefe an die Corinthier*, p. 107. sqq.). Ad connexionem argumenti quod attinet, vid. nostras ad initium secundae epistolae annotationes.

In Epistolis Pauli ad Corinthios frequentior quam in ceteris eiusdem epistolis et tantum non continuus est respectus ad historicas περιστάσεις, quarum cognitio primis quidem lectoribus, in re praesenti versantibus, obvia fuerat, nobis vero ex ipsis demum apostoli litteris, et maximam partem obscuris indiciis repetenda est; quae harum epistolarum propria difficultas. Multa in hanc rem utiliter collegit et accurate disputavit *Storrius* in peculiari Commentatione, cui titulus: *Notitiae historicae Epistolarum Pauli ad Corinthios*

interpretationi inservientes. Tubingae, 1788. 4., in qua etiam multa loca bene illustrantur. Cf. *Frid. Aug. Guil. Krausius Prolegomena* praemissa Pauli ad Corinthios epistolis graece, perpetua annotatione illustratis. Vol. I. Francof. ad M. 1792. 8. et *Ziegler* l. c. Nos ea, quae de sectis Corinthiacis et aliis rebus historicis dicenda nobis videntur, ipsi tractationi reservamus.

Varii autem argumenti est haec epistola (I.). Dissidia inter Corinthios orta, et fastum inter se dissidentium acriter reprehendit Ap. atque ad concordiam eos adhortatur, cap. I—IV. Sequitur (II.) elenchus ob incestuosum ex eorum coetu non eiectum c. V. et (III.) ob rixandi et litigandi libidinem, cui multi veluti mancipati erant, c. VI, 1—11. Porro (IV.) a scortatione et abusu christianae libertatis dehortatur Apostolus c. VI, 12—20. Respondet ad varias quaestiones sibi a Corinthiis propositas, et declarat, quid statuendum sit Christiano (V.) de coniugio, c. VII. tot. (VI.) de idolothytis, c. VIII, 1—c. XI, 2. (VII.) de mulieribus in conventibus Christianorum velandis, cap. XI, 2—16. (VIII.) de coena Domini, c. XI, 17—34. (IX.) de Spiritus sancti donis, c. XII. XIII. XIV. (X.) de resurrectione mortuorum, c. XV. denique (XI.) de eleemosynis in ecclesia colligendis, cap. XVI. Pauli haec Epistola scripta videtur Ephesi, c. XVI, 8. 9. anno Christi LVII., aut, ut alii malunt, LVIII. Cf. *Pott* in libro statim commemorando, pag. 41. sqq. De *Boltenii* sententia, statuentis, Paulum omnes suas epistolas in Aramaea lingua consignasse, vid. notata a nobis Tom. III. p. 552. Cf. *Ziegler* l. c. p. 62. sqq. Nostra aetate de interpretanda hac epistola optime meriti sunt:

Aug. Ludov. Christ. Heydenreich: Commentar. in prior. divi Pauli ad Cor. Epist. Vol. I. Cap. I—VIII. continens, Marburgi, 1825. *Dav. Iul. Pott: Epistolae Paulli ad Cor. graece, perpet. annotat. illustratae.* Partic. I. complectens Epist. prioris Cap. I—X. Goettingae, 1826. *Io. Frid. de Flatt: Vorlesungen über die beiden Brr. Pauli an die Corinthier*, post obitum auctoris edidit filius *Christ. Dan. Frid. Hoffmann.* Praefatus est auctoris frater, *Car. Christ. de Flatt.* Tubing. 1827.

CAP. I.

1. Διὰ θελήματος θεοῦ) i. e. vel simpliciter *ex consilio divino*, κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ, 1 Tim. I, 1. vel *ex benigna Dei voluntate*, ut cum vocabulo θέλημα, sicut cum hebr. רָצוֹן coniuncta sit notio *benignitatis*. Tota autem formula: *Paulus, ex Dei decreto constitutus Apostolus Iesu Christi*, significat, se neque sua ipsius, neque hominis alicuius, sed sola Dei auctoritate atque benignitate (Gal. I, 15. καλέσας διὰ τῆς χάριτος θεοῦ) factum esse Apostolum. Quod inter eximia gratiae divinae beneficia semper refert. Suo et *Sosthenis* nomine salutem dicit Paulus Corinthiis. Etsi non est omnino certum, hunc *Sosthenem* esse illum, de quo Act. XVIII, 17. legitur, qui Corinthi tum fuerat Synagogae princeps; tamen multi verosimillimum putarunt. Scribae officio functum esse apud Paulum, nonnullis verosimile fit ex c. XVI, 21. Paulus nempe tantummodo ultima commata 21—24. manu sua scripsit; unde sequitur ipsam epistolam ab eo dictatam fuisse.

An vero Sosthenes fuerit is, cui dictaverit epistolam, non aeque certum esse videtur. Proinde alii existimant, *Sosthenem* non ideo nominari a Paulo, quod eius socius dictando, seu scribendo fuerit, sed quod una esset cum illo, et eadem sentiret. Ob articulum additum (ὁ ἀδελφὸς) multi post *R. Simonem* suspicati sunt, notum et clarum fuisse hunc Sosthenem. Certe voc. ἀδελφὸς significatur, illum Paulo in tradenda religione fuisse *socium*. Teste Eusebio H. E. I, 12. veterum nonnulli Sosthenem nostrum e numero LXX. discipulorum fuisse perhibuerunt. Ceterum Vs. 1—9. continet totius epistolae exordium et modestam benevolentiae captationem.

2. Τῇ ἐκκλησίᾳ — καὶ ἡμῶν) *Coetui Dei Corinthiaco, Christianis, qui per doctrinam Christi Iesu pars populi Dei facti sunt, aeque ac omnes colentes dominum nostrum Iesum Christum in suis locis et loco nostro.* Ad τῇ ἐκκλησίᾳ τ. Θ. subaud. χαίρειν λέγουσι. Quae sequuntur latius explicant sententiam per ἐκκλ. τ. Θ. expressam. ἡγιασμένοις ἐν Χρ. I., κλητοῖς ἁγίοις) Sensus esse videtur: *Qui per doctrinam Iesu Christi pars populi Dei facti sunt*, in societatem populi Dei venerunt. Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *per Christum Iesum*, beneficio Christi, i. e. per doctrinam Christi. Vocabula ἡγιασμένοι et ἅγιοι sensu non differunt; utroque enim vocabulo significantur quicunque addicti sunt Deo, et in Dei populo numerantur. Vid. inprimis Deut. VII, 6. et XIV, 2. Κλητοὶ ἅγιοι sunt Christiani, quibus innotuit doctrina; ornati beneficio religionis christianae. Cf. Rom. I, 7. Iudaei gentes quasi impuras esse statuebant, seipsos autem solos peculiarem esse Dei populum existimabant. Hunc

honorem nunc rectius in Christianos convenire, Paulus affirmat. Formulas: ἡγιασμ. ἐν Χρ. I. et κλ. ἅγ. *Heydenreich* (p. 5.) proprie ita differre putat, ut Christiani sint ἡγιασμένοι, *tanquam a Deo selecti atque secreti*, ut populus sibi sacer evadant; κλητοὶ, tanquam inter populum Dei *jamjam recepti*, et dignitatis felicitatisque illius *vere participes facti*. σὺν πᾶσι — αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν) *Aeque ac omnes colentes dominum nostrum Iesum Christum in suis locis et loco nostro*. De phrasi ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, vid. Rom. X, 13. Σὺν h. l. significat *aeque ac, simili modo*, ut Gal. III, 9. σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ, pro ὥσπερ ὁ πιστὸς Ἀβραάμ. Eandem significationem habet quoque עִם Cohel. II, 16. 1. Paral. XXV, 8. Ps. CVI, 6. Iungenda sunt haec proxime praecedentibus: κλητοῖς ἁγίοις, ut sensus sit, iisdem beneficiis per Christum ornatos esse Corinthios, quae aliis coetibus contigerunt. Ita non opus est *vel* cum *Theodoreto*, *Chrysostomo* et aliis statuere, *catholicam* esse hanc epistolam, ad omnes Christianos in *Achaia* missam, *vel* pro σὺν πᾶσι legere σύμπασι. Quid Paulus voluerit verbis: ἐν παντὶ — καὶ ἡμῶν, obscurum est. *Beza* ita vertit haec et antecedentia verba: Qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, *in quovis loco, Domini inquam, tum ipsorum, tum nostri*, ut verba αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν non sint referenda ad τόπῳ sed ad κυρίου, et sit correctionis species, quia duntaxat κυρίου ἡμῶν dixerat; in qua opinione iam fuerant *Chrysostomus*, *Photius* et *Theophilactus*, et ex recentioribus *Clericus*, *Bahrdtius*. Alii: Sive natione sint gentiles, sive Iudaei; quam explicationem *Bolten* probare videtur. Nonnulli existimant Apostolum respicere ad partes, in quas ec-

clesia Corinthiaca erat divisa, quarum alia se a Paulo, alia ab Apollone, alia a Petro, alia a Christo denominabat, Vs. 11. 12. huius cap. Diversas nempe partes, diversis quoque locis ad sacra celebranda convenisse; hanc rem respexisse Paulum, statimque ab initio monere voluisse, se non scribere ad eos solum, qui se nominarent suos (ἡμῶν), sed ad Christianos Corinthios omnino omnes, ubicunque demum ad sacra obeunda congregarentur. Haec fuit *Vitringae*, *Moshemii*, *Eichhornii*, *Krausii* al. sententia, quam et *Pott* ad h. l. probat; nec illam improbat Vir Doctus quidam in *dem neuen krit. Journ. d. theol. Liter.* editt. *Winer* et *Engelhardt*, T. VI. p. 467, ubi *Potti* et *Heydenreichii* explicationes diiudicat. Eidem vero etiam lectio σύμπασι commendabilis videtur. *Zieglero* (l. c. pag. 55.) οἱ ἐν παντὶ τόπῳ αὐτῶν sunt Christiani, qui Corinthi, aut Cenchreis, aut in reliqua Achaia versabantur, et cum coetu Corinthiaco coniuncti erant; οἱ ἐν τόπῳ ἡμῶν, qui tum apud Paulum, Ephesi versabantur, e. gr. *Stephanas*, *Fortunatus*, *Achaicus*, 1 Cor. XVI, 17. aliique. *Ziegleri* sententiam probabili ratione refutaverunt *Pott* et *De Flatt* ad h. l. Cf. et *Wetst.* ad h. l. Alias aliorum explicationes vid. ap. *Wolfium* in Curis.

3. Χάρις — Χριστοῦ) Cf. Rom. I, 7.

4. Εὐχαριστῶ — Ἰησοῦ) Flectit Apostolus orationem ad dissidia et partium studia, quibus concordiae et pacis vinculum ruptum erat apud Corinthios; et quum se a multis contemni sciret, statim ab initio affirmat, se nemini subirasci vel invidere, omnibus po-

tius bene velle, et pro ipsorum salute gratias agere Deo. *Gratias*, inquit, *semper ago Deo vestri caussa propter beneficia illa divina, quorum participes facti estis per Christum Iesum.* Χάρις, *gratia* Dei, h. l. ut saepius, denotat uberiorem religionis christianae cognitionem, et profectus in omni virtute christ., quomodo Apostolus ipse explicat Vs. 5. Πάντοτε, quoties nempe preces ad Deum fundo, vid. 1 Thess. I, 2. Ἐν Χριστῷ, vel per doctrinam Christi, vel propter Christum.

5. Ὅτι — ἐν αὐτῷ) *Siquidem quovis modo largiter*, abunde *instructi estis in eo*, i. e. per eum, seu: in eius quasi regno. Ad ἐν παντὶ non subaud. πράγματι, vel χαρίσματι, sed, forma neutra retenta, vertendum est: *quovis modo*, *omnino*, *in jeder Beziehung*, ut recte explicat *Wahl* in Lex. T. II. p. 275. edit. secund. Πλουτίζεσθαι, idem est quod περισσεύειν, ut 2 Cor. IX, 11. coll. Vs. 8. 12. 1 Thess. III, 12. Eph. I, 7. ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει) Nonnulli per ἐν διὰ δυοῖν accipiunt, q. d. ἐν πάσῃ γνώσει τοῦ λόγου, instructi estis perfecta totius doctrinae christ. scientia. Rectius vero vertitur: instructi estis *omni doctrina et omni cognitione*, i. e. larga vobis data est, *doctrinam christ.*, et quae inde enascitur *cognitionem* salutiferam adipiscendi opportunitas. λόγος est doctrina, quae docetur, γνῶσις, quae comparatur.

6. Καθὼς — ὑμῖν) *Nam religionis veritas vobis confirmata est.* Καθὼς, *nam*, *quippe*, *quoniam* (i. q. ὡς), ut Io. XVII, 2. Rom. 1, 28. infra V, 7. Τὸ μαρτύριον, hebr. עֵדָה, עֵדוּת, *doctrina*, et quidem

doctrina christiana, ut II, 1. 2 Tim. I, 8. Apostolorum doctrina sensu speciali *testimonium* appellari potuit, quia ab ipsis visa et audita prodebant. Vid. not. ad Io. III, 11. Ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν, *radices egit apud vos, confirmata est vobis veritas eius*, ipso sensu veritatis divinae, cuius vim in animis vestris experti estis. Βεβαιωθῆναι dicuntur ii, *qui de re aliqua ita persuasi sunt, ut nihil amplius dubitent;* h. l. igitur: reddi constantem in religione profitenda.

7. Ὥστε — χαρίσματι) *Ita ut non destituamini ullo dono.* Χαρίσματα sunt non tantum dona quae vocantur extraordinaria, sed etiam, et h. l. inprimis omnia religionis beneficia, veluti tranquillitas, propositum severum, constantia, vis, incrementum et facilitas rectius agendi etc. De his donis h. l. esse sermonem ex sequentibus verbis facile intelligitur. Ceterum hic Vs. pendet a verbis ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε Vs. 5. — ἀπεκδεχομένους — Χριστοῦ) *Vos, qui* (sine metu) *exspectatis gloriosam apparitionem Domini nostri Iesu Christi*, sc. ad ultimum iudicium. Cf. 1 Th. V, 23. Rom. VIII, 18. Bene *Heydenreich* l. c. p. 19 huius comm. sensum explicat: «Iam nunc conditio vestra est beatissima; nullo felicitatis genere estis privati: at cum Christus redierit, laetior adhuc sors, felicitas omnibus numeris absoluta, summum beatitatis fastigium in coelis vos manet, cuius habetis spem exploratam, maximamque fiduciam.»

8. Ὃς καὶ — τέλους) Ὃς referri ad Vs. 4. θεὸς, res ipsa declarat, quum distinguatur hic, qui confirmabit, a Domino, cuius dies commemoratur. Inde a

Vs. 4. ὁ θεὸς is est, ad quem orationis *summa* refertur. Alii illud ὃς referunt ad Ἰησ. Χρ. Vs. 7, ut Vs. 8. κυρ. Ἰησ. Χρ. more hebraico repetitum sit pronominis loco. Βεβαιώσει ὑμᾶς, sc. ἐν πίστει, ut Col. II, 7. coll. 2 Cor. I, 21. Ἕως τέλους, *semper*, hebr. לנצח, quod in Psalmis frequenter occurrit. Sic εἰς τέλος Io. XIII, 1. Matth. X, 22. etc. Potest etiam intelligi cuiusque hominis Christiani *finis vitae*. Sensus vero optative est exprimendus: *constantes vos reddat*, in fide vos confirmet, per totam vitam. Ἀνεγκλήτους — Χριστοῦ) i. e. εἰς τὸ εἶναι ὑμᾶς ἀνεγκλήτους (eadem ellipsis occurrit 1 Thess. III, 13.), *ut sitis inculpati in die domini nostri Iesu Christi*, ut illo die, quo Christus iudex iustus apparebit, tales reperiamini, qui nullius sceleris rei, praemia accipere et felicitate frui possint. Ἀνέγκλητοι, vitiorum et scelerum expertes, in quibus non est, quod reprehendatur. Cf. *Pott* ad h. l.

9. Πιστὸς ὁ θεὸς) Sc. ἐστι. Πιστὸς, *verax, constans*, vel etiam *benignus*, ex Hebraismo. δι' οὗ) i. e. ὑφ' οὗ. Est enim promiscuus earum praepositionum usus. εἰς κοινωνίαν) Ut nimirum socii sitis omnis eius felicitatis, quam Deus filio suo destinavit. De hac Christianorum cum Christo communione vid. not. ad 1 Io. I, 3. Ad hanc communionem, inquit Paulus, *vocavit vos Deus*, instituendos vos curavit in religione, et ita coetui suo associavit, beneficiorumque capaces et participes reddit. Is Deus est constans in servandis promissis, et iis qui in religione et virtutis studio perseverabunt, promissam in altera vita felicitatem largietur.

10. Παρακαλῶ — γνώμῃ) Reprehendit Apostolus Corinthios propter factiones et schismata quibus laborabant, atque simplicitatem doctrinae christianae, tum adversus ambitiosos graecanicae Philosophiae iactatores, tum contra superstitiosos Iudaeos ita asserit, ut auditores suos ad rectam agendi rationem revocet, Vs. 10. — c. IV, 21. διὰ τοῦ ὀν. — Χριστοῦ) *Ex mandato, loco Christi*, i. e ex auctoritate Apostolica mihi a Christo concessa. Alii: obsecro vos *per Christum*, i. e. per reverentiam Christo debitam. Prius praetulerim. ἵνα τὸ αὐτὸ — γνώμῃ) *Ut inter vos consentiatis, nec apud vos dissidia sint, sed coniuncti sitis eadem animi voluntate et sententia.* Eandem sententiam varie exprimit Apostolus. Τὸ αὐτὸ λέγειν, i. q. τὸ αὐτὸ φρονεῖν, *consentire inter se.* Thucyd. VI, 31. Βοιωτοὶ δὲ καὶ Μεγαρεῖς τὸ αὐτὸ λέγοντες ἠσύχαζον. *Schol.* τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντες. Ab iis autem, qui concordia et pacis studio tenentur, absunt *dissidia et iurgia*, σχίσματα. Iidem coniuncti sunt etiam eadem animi voluntate et sententia. Κατηρτισμένοι, proprie *coagmentati*, sive *coadunati*, ut totum quippiam quod suis omnibus partibus apte inter se cohaerentibus componitur. *Elsnerus* (Tom. II. obss Sacr. p. 70.) ad h. l. monuit, καταρτίζειν apud Graecos interdum significare *lite et contentione sublata conciliare*, unde καταρτιστὴς *reconciliator animorum* dicitur, ideoque locum nostrum vertit: compositi aut conciliati coniunctissimis animis et sententiis. Nec, quum καταρτίζειν denotet *scissum resarcire*, *integrum reddere*, inconcinnum erit, κατηρτισμένοι relate ad σχίσματα vertere: *coniuncti, ad concordiam reducti.* ἐν τῷ αὐτῷ νοὶ, scil. ὄντες ἐν etc. Νοῦς, animorum seu voluntatis coniun-

ctio; γνώμη, *sententia*, seu idem in religionis capitibus iudicium. *Isocrat.* Archidam: περὶ τοῦ δικαίου πάντες τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχομεν, περὶ δὲ τοῦ συμφέροντος ἀντιλέγομεν.

11. Ὑπὸ τῶν χλόης) sc. οἰκιακῶν. *A domesticis Chloes* ut Rom. XVI, 10. 11. Non dubium est, quin *Chloe* sit religiosae alicuius matronae nomen. Ἔριδες, *lites*, quibus σχίσματα orta erant.

12. Λέγω δὲ τοῦτο) Haec verba ad antecedentia magis explicanda subiunguntur: *innuo* s. *intelligo vero hoc*, quod singuli, unus Pauli, alter Apollo (cf. III, 4. sq. Act. XVIII, 24. sq.) alter Petri se *sectatorem* dicit. ἐγὼ μέν εἰμι μετὰ Παύλου, vel *ego cum Paulo facio, a Pauli sto partibus*, vel suppleri debet μαθητὴς, *Pauli sum discipulus*. Mirantur docti, quomodo Paulus seipsum caput sectae cuiusdam nominare potuerit, quum tamen animum suum ab omni sectarum studio alienum satis declaret in hac ipsa epistola. Iidem verosimile esse non putant, *Apollonem* vel *Petrum* capita sectarum fuisse; de Christo autem hoc nullo modo dici posse affirmant. Unde iam veteres interpretes multi in ea fuerunt opinione, Paulum, quia vera nomina falsorum doctorum prodere noluerit, his fictis usum esse, ut c. IV, 6. μετεσχημάτισα. Sed ille locus cap. IV, 6. huc plane non pertinet; spectat enim non ad nostrum locum, sed ad c. III, 4 — IV, 5. unde etiam *solius* Pauli et Apollo, quemadmodum III, 4. mentio facta est. Deinde etiam illa pars epistolae *figurata* esse potest, tametsi *vere* fuerint, qui se Pauli vel Apollo sectam profiterentur sequi. Accedit h. l.

fictioni non convenire rationem v. 14—17. subiectam. Quaenam enim caussa esse poterat, cur Paulus sibi gratularetur, quod paucissimi ab *ipso* baptizati fuerint, si nemo *ipsum* cupidius sectaretur, sed alium ab ipso doctorem, quem suo nomine texisset Apostolus? Vid. quae *Storrius* docte monuit l. c. p. 7. sqq. Nec equidem video, cur Paulus non potuerit designare varias sectas, eorum nempe, qui Paulo, Apolloni etc. adhaerere se profiterentur. Potuerunt sectae inter Corinthios esse, et sine dubio fuerunt, insciis, saltim improbantibus doctoribus ipsis, quibus una vel altera pars Corinthiorum adhaesit. Sic e. c. alii praetulerunt Paulum, quia primus instituerat eos in religione, alii praetulerunt *Apollonem*, ob eloquentiam, quae deesse videbatur Paulo; alii *Petrum*, de quo fortassis fama audiverant, aut cuius discipuli Corinthum venerant, quia Iudaizantium sententiis magis favere videbatur. Quare Paulus non tam se, vel Apollonem, vel Petrum, quam potius ipsos Corinthios, et quidem iure reprehendit ob istud partium studium. Quod autem Paulus eorum etiam fecit mentionem, qui *discipulos* Christi se profiterentur, non ita est intelligendum, quasi eos vituperare voluisset, sed ut plena esset enumeratio sectarum Corinthi inter se dissidentium, hoc addidit. Haud pauci Interpretes, praeeunte *Storrio*, coniiciunt, sectam Christi propter coniunctionem aliquam cum *fratre Christi* nomen *ex ipso Christo* duxisse, quo nimirum magnificentius iactare se posset. Secundum hanc coniecturam, quam defendunt etiam *Heydenreich* et *Flatt*, ii Corinthii, qui nomen τῶν Χριστοῦ factioni suae peculiariter arrogabant, *Iacobum*, fratrem Domini, non modo familiarem, sed propinquum etiam et necessarium Christi

sectati esse videntur. Inde non sequeretur, Iacobum et Petrum ipsos Corinthi fuisse. Credibile potius esset, discipulos Iacobi et Petri, Hierosolymis aut in ipsa patria conversos, post Paulum et Apollo venisse Corinthum, ibique factos esse auctores sectarum, insciente fortassis utroque Apostolo. Ex ipsis certe Pauli epistolis intelligitur, Corinthios christianos, qui Petrum et Iacobum Paullo anteferrent (2 Cor. XI, 5. XII, 11.), non apostolicae dignitatis et fidei viris, sed longe aliis hominibus magistris usos fuisse (1 Cor. IV, 15. 19.), *fallacibus* nempe (2 Cor. XI, 13. 15.), qui christianam quidem doctrinam ex Iacobo vel Petro auditam profiterentur, sed *adulteratam* proponerent (2 ep. II, 17. IV, 2.), et praeter externa ornamenta, ut Iudaicam originem et pristinam illam suam cum Apostolis Christo familiaribus coniunctionem, nihil haberent, quo magnopere gloriari possent, 2 Cor. XI, 18. 5. XII, 11. Sed omnis ista pro *Iacobo*, sectae Christi coryphaeo, disputatio (utimur *Potti* verbis, de factionibus et sectis, quae Corinthi extiterunt, eruditissime disputantis) vel eo solo, observante iam *Eichhornio*, labefactari, imo corruere videtur, quod ii, qui se Iacobi asseclas profiteri voluissent, hanc qualemcunque gloriolam suam non tam verbis: ἐγὼ δὲ Χριστοῦ, quam potius apte ad formulas praecedentes: ἐγὼ δὲ Ἰακώβου, seu, ubi paulo magnificentius iactare se voluissent, ἐγὼ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου, sine dubio expressuri fuissent. Ad quae accedit, quod Paulus neque cognationis, qua Iacobus cum Christo coniunctus erat, usquam disertam mentionem facit, quam, si Christi secta se de *Iacobo* suo tanquam fratre Domini iactasset, inferre omnino debuisset, quo magis opinabilis praerogativa, inde

petita, haberet, in quo inniteretur; neque etiam, praeter omnem lectorum exspectationem, superbientibus de principis sectae suae cum Christo necessitate, καυχήσεως huius vanitatem usquam demonstraverit. Tantum denique abest, ut loca, quae vel disertam Iacobi mentionem iniiciunt, vel allusione saltem ad eum facta, enunciata sunt, nisi ad Iacobum sectae Christi coriphaeum referantur, vi sua carere dici possint, ut haec, posito hoc, interdum imminuta compareat, id quod e. c. eo factum esse crediderimus, quod *Storrius* τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους 2 Cor. XI, 5. XII, 11. ad *Petrum* et *Iacobum*, sectarum principes, qui Gal. II, 9. στύλοι vocantur, restringi velit, ad quos tamen, ex eiusdem loci auctoritate, et Ioannes referendus est, quo et ipso Paulus se inferiorem esse negare voluit. Ut taceamus duritiem, qua tota illa dicendi ratio, si quid sentimus, laborare videtur, ex qua *Christi* discipulum se profiteri perhibetur, qui nonnisi *cognati* ipsius discipulus haberi vult. — Nos quidem cum *Potto* Paulum ipsum verborum suorum interpretem extitisse arbitramur c. III, 22. 23., ubi post reprehensam schismatum istorum insaniam, disputationem suam revocat ad summam hanc: *Vestra sunt omnia; sive sit Paulus, sive Apollo, sive Kephas — — vos vero Christi estis.* In tanto utriusque loci consensu, tam in sententiarum quam in verborum dilectu, ordine atque consequutione conspicuo, vix, ac ne vix quidem, dubitari posse crediderimus, posteriorem habita prioris ratione enunciatum esse, adeoque alium ex alio illustrari posse. Quae quum ita sint, Paulus sententiam τῶν Χριστοῦ ipse approbasse putandus est. Vid. ad III, 22. 23. Neque aliter iam nunc intelligendi sunt οἱ Χριστοῦ, qui suam

quisque sententiam sic pronunciantes inducuntur: *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ.* Minime enim eo (pergit *Pottus*), quod in proxime praecedentibus per idem illud *ἐγὼ δὲ*, ter adhibitum, sectae atque factiones significantur, ullo modo cogimur, ut verba *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ* (in quae insuper *abit* sectarum recensus), et ipsa ad *sectam* referamus, *cum* quia Paulo forsitan vel corripiendae orationis causa veros Christi discipulos sic designare libuit, ne ipsi opus esset verborum plurium copia atque circuitu fere hoc: *superesse tamen iuxta sectas commemoratas, qui, ab omni sectarum studio alieni, ex cuiusvis doctoris vere christiani institutione proficere studeant, quo pleniori iure ad solum Christum pertinere videantur*, et sic porro; quo quidem circuitu Apostolus eo magis supersedere potuit, quum eos, ad quos scriberet, satis cognitum habere sciret, quomodo illud *τοῦ Χριστοῦ εἶναι* intelligi vellet; *tum*, quia interrogati, cum quonam doctore facerent? se *τοῦ Χρ. εἶναι* ingenue profiterentur ipsi, quia nec verius nec paucioribus verbis respondere poterant; *tum*, quia fortassis ob id ipsum, vel augendi factionum numeri causa ab aliis, male sedulis, *οἱ Χριστοῦ* vocari soliti erant, ut et ipsi sectae speciem prae se ferrent. Quibus omnibus perpensis Apostolus *τοὺς Χριστοῦ* probasse, *τοὺς δὲ Παύλου, Ἀπολλῶ καὶ Κηφᾶ* reprehendisse putandus erit. Plura vid. apud *Pottum* in Prolegg. p. 18. sqq.

13. Μεμέρισται ὁ Χριστὸς;) Μερίζομαι denotat: *dividi, in partes* s. *factiones discindi.* Vertendum igitur: *num in partes divisus est Christus?* vel: *num multiplex est Christus?* vel etiam: *num plures sunt,*

quibus Messiae honor competit? veluti Paulus, Petrus, Apollo? *Scholion.* ap. Cl. *Matthaei: μὴ κοινωνοὺς ἔχει τῆς δεσποτείας καὶ τῆς ἐξουσίας ὁ Χριστὸς*; quoad sensum recte nonnulli vertunt: *num diversi sunt Christi?* Iis tamen accedere non possumus, quibus voc. *Χριστὸς* h. l. est i. q. *doctrina* Christi *(num varia et multiplex est doctrina Christi?)*, aut *ecclesia* Christi *(num ecclesia christiana, quae arctissime inter se coniuncta esse debet, in diversas partes scissa est?).* Hae enim interpretationes parum conveniunt iis quae sequuntur. *μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν*;) i. e. Num Paulus vobis omnia beneficia ad vitam aeternam pertinentia sua morte impetravit? Hoc Christi solius est. Recte *Ambrosiaster:* ideo a se coepit, ne putaretur aliorum ideo refutare personas, ut suam commenderet. *ἢ εἰς — ἐβαπτίσθητε*;) i. e. An Paulo velut novae religionis auctori mancipati estis? Nam *baptizari in aliquem* est, obligari ad eius cultum religiosum, et professionem religionis ab eo institutae. Cf. annotata ad Matth. XXVIII, 19. Patet ex his, nec Paulo defuisse Corinthi asseclas et admiratores. Sed valde displicebant Apostolo ista hominum male sedulorum studia, cum aliorum doctorum contemtu coniuncta. Quare, quas modo legimus, quaestionibus partium studium absurdum esse demonstrat. Sensus igitur est hic: nemo praeter Iesum, Christi personam sustinere, vobisque eadem beneficia impertire potest, quae Iesu debentur; unde absonum esse apparet, si, spreto divino hoc doctore, humani cuiusdam doctoris auctoritatem sequi velitis.

14. *Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ*) i. e. *vehementer laetor,* pro quo et nos dicere solemus: gratias ago Deo, hoc

vel illud a me non esse factum. εἰ μὴ Κρίσπον καὶ Γάϊον) *Crispum*, Archisynagogum, Act. XVIII, 8. *Caium*, hospitem aliquo tempore Pauli, quum in urbe Corinthi esset, Rom. XVI, 23.

15. Ἵνα — ἐβάπτισα) Ne quis vel ulla specie veri dicere possit, me pro sectae alicuius capite haberi voluisse; magis meam quam Christi auctoritatem mihi curae cordique fuisse. Haud spernenda est nonnullorum opinio, quibus et propterea alii alios doctores sectati esse videntur, prout alii ab aliis baptismatis ritu initiati erant.

16. Στεφανᾶς, sine dubio idem, qui tum apud Paulum commorabatur, vid. infra XVI, 15. sqq. Λοιπὸν — ἐβάπτισα) *Ceterum non memini, an alium quemquam baptismate obstrinxerim;* vel: *praeterea, quod sciam, neminem baptizavi*, nempe eorum, qui nunc Corinthi habitant. Dixit, se id nescire, quia fieri poterat, ut alii aliunde eo migrassent. Θεσπνευστία Apostolorum nonnisi ad religionis doctrinam pertinuit, nec ita est intelligenda, quasi nihil eis memoria excidere, aut eos latere potuisset.

17. Οὐ γὰρ — εὐαγγελίζεσθαι) *Non enim me misit Christus ut baptizarem, sed Evangelium ut promulgarem.* Baptisma per quemlibet impleri poterat, sicut illi a Petro conversi in pentecoste non omnes ab ipso fuerunt baptizati; at praedicatio res erat maxime digna Apostolis, et maximo cum periculo coniuncta. Transit Apostolus ad apologiam doctrinae suae et modi quo in ea tradenda usus fuerit. Agit nempe (usque

ad c. II, 2.) de *sententia* et *argumento* doctrinae suae, idque negat accommodari ad hominum praeiudicatas opiniones, ut instar Pseudapostolorum reticere vel adulterare audeat, quae plerisque improbari et stulta videri sciat. Deinde c. II, 3. sqq. etiam de *modo* praecipit, quo Corinthi in *enuncianda* doctrina divina usus fuerit. Dicit igitur se docuisse *οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου*, i. e. *ἐν λόγῳ σοφῷ*, *non sapientem*, eruditam *doctrinam*, i. e. non eam, quae hominibus sapiens esse videretur doctrinam. Ὁ λόγος h. l. est ipsa doctrina, spectata quoad *argumentum*, quod quacunque demum ratione efferretur, plerisque Corinthiis parum commendabile videbatur, Vs. seq. II, 6. 8. Quapropter ὁ λόγος, sive τὸ κήρυγμα, clare discernitur a modo rem divulgandi sive a *verbis* (λόγοις) quibus res enunciabatur, c. II, 4. Aliis *σοφία λόγου* est *oratoria facultas*. Omnis generis artifices periti solent a Graecis *σοφοὶ* appellari, ut infra III, 10. Sed et nominatim Sophistae dicti sunt, qui illam in rebus civilibus administrandis sollertiam cum forensi facundia coniunxerunt, et ab agendo sese ad dicendum contulerunt, ut ait in Themistocle Plutarchus. Secundum alios *ἐν σοφίᾳ λόγου* dictum est pro *λόγῳ σεσοφισμένῳ* (2 Petr. I, 16.), i. e. oratione acute et ad praecepta artis rhetorices composita, et referta demonstrationibus subtilibus Iudaeorum et Graecorum. Sed res ipsa docet a comm. 17. huius cap. usque ad cap. II, 2. de *argumento* doctrinae esse sermonem. *ἵνα μὴ — τοῦ Χριστοῦ*) *Ne doctrina de cruce et morte Christi vim suam amittat.* Σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, i. e. ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ, Vs. 18. est verum Evangelii argumentum, quod sc. Christus pro peccatis nostris cruci fuit affixus. Κενοῦσθαι, hebr. הָרִיק,

evacuari, vi et auctoritate sua privari, atque adeo *contemni*, nempe in oculis hominum. *Hesychius: κενωθῇ μάταιος ἀποφανθῇ. Theophylactus: ἄχρηστος καὶ κενὸς εὑρεθῇ.* Non eo consilio se a Christo missum esse, dicit Apostolus, ut placita Philosophorum proponeret, sed doctrinam Iesu crucifixi multo praestantiorem et efficaciorem omni humana sapientia, cuius auxilio non indigeat. Hanc huius doctrinae praestantiam et efficaciam agnosci a vere Christianis usu et experientia statim Vs. 18. affirmat.

18. *Ὁ λόγος — Θεοῦ ἐστι*) *Quanquam enim doctrina Iesu crucifixi perditis* (impiis) *hominibus stulta videtur, illi tamen qui saluti suae consulere cupiunt, vim eius divinam experiuntur. ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ*) Doctrina ista de Christo cruci affixo et resuscitato, qua nititur christianae religionis auctoritas. *γὰρ* referendum est ad *ἵνα μὴ κενωθῇ. Τοῦ σταυροῦ*, i. e. *ἐσταυρωμένου. Τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστὶ*) *Pereuntibus*, i. e. impiis, itaque perituris, *stulta videtur.* Rem denotavit ex effectu. Quum *incredulos* denotare vellet, dixit *pereuntes*, quia qui Evangelio non credunt, pereunt, Io. III, 18. *Μωρία ἐστὶ*, stultum aliquid videtur, indignum creditu. *τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν*) Nobis vero credentibus, piis qui iidem in via sumus ad salutem. *δύναμις Θεοῦ ἐστὶ*) Vid. Rom. I, 16. *Divina vi* praedita est, quae longe est efficacissima ad salutem, dum nempe eius vim et virtutem in animo emendando et confirmando experimur.

19. *Γέγραπται γὰρ*) Locus Ies. XXIX, 14. ex versione Alex. liberius laudatus. Nunc etiam, inquit,

fieri solet, quod scriptum est. Quod nempe Iesaias de sui temporis hominibus dixerat, sc. de falsis vatibus, et Regis Hiskiae consiliariis, sua opinione sapientibus, idem ad sua tempora maiori iure aptat Apostolus. ἀπολῶ — ἀθετήσω) i. e. *efficiam, ut sapientia eorum, qui pro sapientibus habentur, et prudentia eorum, qui sibi et aliis prudentes esse videntur, vana et nulla appareat.* Σοφοὶ h. l. sunt, qui se sapientes esse putant, neglecta vera sapientia; homines perversi, qui sibi videntur σοφοὶ, at non sunt, nec res divinas recte perspiciunt. Itidem συνετοὶ, qui se prudentes autumant, nec meliora discere volunt. Pungitur subtilior ista, argutiis referta ac inanis sophistarum eruditio, de qua insolentius se iactabant, doctrinae christianae simplicitatem pro nihilo putantes. Horum sapientiam abolet, et e medio quasi tollit Deus, ut vanam eam esse, et nullam, omnibus manifesum fiat. Ἀθετεῖν, *abrogare, vim et auctoritatem adimere*, ut Hebr. X, 28. Nunc, Apostolus inquit, apparet, nulla humana sapientia talem viam ad veram felicitatem perveniendi excogitari potuisse, qualem monstrat religio Christi.

20. Ποῦ σοφὸς;) In his et sequentibus verbis est Parodia loci Ies. XXXIII, 18. in quo loco itidem ποῦ sic repetitur, quod h. n. vim negandi cum irrisione habet: nihili sunt, in nihilum venerunt, pretium locumque non amplius habent. Σοφοὶ Graecis κατ' ἐξοχὴν dicebantur ii, qui, praecepta morum tradebant, ut septem illi per Graeciam nobiles, deinde *Socrates* et alii Philosophi. *Ubi sunt illi sapientes?* i. e. quid effecerunt? quid tandem boni per eos ad homines redun-

davit? *τοῦ γραμματεὺς*;) Legis divinae, Iudaeis traditae, et traditionum doctores atque interpretes, Matth. VIII, 19. XVII, 10. Quid tandem hoc hominum genus effecit? *συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου*;) *Acutus et subtilis disputator huius aevi: Sophista.* Nam *συζητεῖν disputare*, apud Graecos usitatissimum est verbum. *τοῦ αἰῶνος τούτου*, i. e. *hoc aevo viventes*, seu potius: *eruditi perverso aevi genio conformes.* Sensus totius huius loci est: ostende mihi Philosophos et doctos homines inter Iudaeos et Graecos, qui tot homines ad tantam probitatem perduxerint, quot et ad quantam nos per sermonem crucis? *οὐχὶ — κόσμου τούτου*;) *Nonne Deus effecit* (per doctrinam Evangelii), *ut illa tam laudata sapientia horum hominum nunc pro stultitia habeatur?* Μωραίνειν, הסכיל hic est stultitiae convincere, quo sensu verba in Hiphil frequentia sunt apud Hebraeos. Intellige autem comparatione eius frugis, quam protulit Evangelium.

21. Ἐπειδὴ — τὸν Θεὸν) *Quoniam enim homines cum omni eruditione sua* (licet in summo, quem sibi arrogabant eruditionis apparatu) *Deum in sapientia eius non cognoverunt*, i. e. Dei sapientiam, ex operibus conspicuam, vel sapientissimum Dei consilium de hominum salute, quatenus ante Christi aetatem cognosci poterat, non intellexerunt. Κόσμος, humanum genus, Iudaeos et gentiles denotat, sed h. l. quod contextus docet, praecipue *docti* intelliguntur. Ἡ σοφία τοῦ θεοῦ h. l. est sapientia Dei perspicuis argumentis declarata quum in natura, tum in sacris literis. Διὰ τῆς σοφίας, i. e. *per sapientiam suam*,

διὰ pro ἐν aut σὺν, ex hebraico ב, vel *prae sapientia*, ironice: *vor lauter Weisheit*, ut *Schulzius* interpretatur. *Bretschneiderus* in Lex. T. II. p. 425. edit. 2. vertit: *quoniam in spiritu sapientiae divino* (in Christo dum viveret conspicuo et per illum docente) *non agnoverunt homines, qui nunc sunt, Deum, placuit Deo* etc. Voc. σοφία explicat de *sapientia, natura divina*, quae etiam in Christo conspicua fuit, cuiusque vi miracula patrasse et docuisse dicitur. Sed doctrina de natura divina in Christo, dum viveret, agente, non minus, quam ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ, ad id pertinet, quod sapientibus huius aevi *absurdum* esse videtur. εὐδόκησεν — πιστεύοντας) *Placuit Deo per doctrinam pro insipiente habitam veram salutem procurare credentibus Evangelio.* Εὐδοκεῖν hic construitur, ut Luc. XII, 32. et aliis locis. In verbis διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος duplex est tropus; nam et dictum est pro μωρῷ κηρύγματος, et insipiens dicitur non quod tale est, sed quod tale esse multis eruditis putatur, ut c. II, 14. Sic multa appellantur κατὰ τὸ φαίνεσθαι, non κατὰ τὸ εἶναι. Σῶσαι, in statum meliorem mentis transferre, ad veram salutem perducere.

22. Ἐπειδὴ — αἰτοῦσι) Ἐπειδὴ, *nam.* Ratio redditur, cur eruditi sapientiae opinione inflati, sapientiam divinam in doctrina Christi latentem perspicere haud potuerint, sive doctrinam Iesu Christi pro stulta habuerint. Pro σημεῖον habent σημεῖα codices optimi, Versiones et Patres. Sed lectio vulgaris, utpote difficilior, quae et ipsa codicum longe plurimorum, eorumque haud spernendorum auctoritate nititur, reti-

nenda videtur. Expetebant vero Iudaei miracula ingenio consilioque ipsorum congrua, nempe de coelo, sive etiam ut e Romanorum potestate eriperentur. Quod postremum *Pottus* aliique intelligunt, quibus σημεῖον h. l *insigne quid* significare videtur. Et Pottus quidem inter alia observat haec: «Iam nunc ultro apparet, cur Apostolus non σημεῖα sed σημεῖον dixerit, recteque opponitur τὸ σημεῖον, *viri insignis* significatione, τῷ Χριστῷ ἐσταυρωμένῳ, ut et τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου Matth. XXIV, 30., i. e. *pompa insignis* qua *Messias* appariturus erat, interpretationem prolatam mirifice iuvare videtur. Hinc Iudaei hic *insigne quid*, h. e. *Messiam insignem desiderare* dicuntur, *qui mentem feriret admiratione*, quibus iam nunc gentes opponuntur, nonnisi ornatis verbis expressam sententiam desiderantes.» καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν) *Graeci*, i. e. Ethnici volunt tantum audire ea, quae eruditionem humanam sapiunt; nam haec eruditio subtilis et humana h. l. est σοφία. Illud, quod hic dicitur, non de omnibus Iudaeis et Paganis est intelligendum; nam etiam Corinthii ante susceptionem christianae religionis Iudaei et Pagani fuerant; sed de plerisque.

23. Ἡμεῖς — μωρίαν) *Nostra vero de Christo cruci affixo doctrina Iudaeos offendit, et Graecis* (ethnicis Philosophis) *insipiens videtur.* Χριστὸς ἐσταυρωμένος, i. e. doctrina de Christo cruci affixo, plane contraria illi Iudaeorum terrestris gloriae ac maiestatis exspectationi. Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, haec doctrina Iudaeos offendit. Iudaeis enim probrosum videbatur in cruci affixum credere. Σκάνδαλον, *offendiculum, omne*

id, quod alios offendit. Pro Ἕλλησι et Codices quidam, et versiones plures, et Patres multi legunt ἔθνεσι, eodem sensu. Stulta videbatur Gentilibus doctrina de Christo cruci affixo, ex eadem ratione, qua Iudaei offendebantur hac re, tum vero etiam quia insipidum illis videbatur nihil afferri de rerum principiis, de finibus, de animi natura, quae elementa sunt apud Graecos sapientiae moralis. Cf. Actor. XVII, 18. 32. *Pottus:* Ethnicis doctrina illa stulta videtur, quum nihil ei inesse deprehendant, in quo examinando atque discutiendo ingenia, argutiis et subtiliori rerum indagationi adsueta, defatigare possint.

24. Αὐτοῖς δὲ — σοφίαν) *Sed ipsi Christiani, sive Iudaei sive gentiles sint natione, experiuntur hanc nostram de Christo cruci affixo doctrinam esse efficacem* (ad animum emendandum) *et sapientem*, humanae felicitati promovendae aptam et convenientem. κλητοὶ hic appellantur cum effectu, qui nempe vocationi paruerunt, *Christiani.* Χριστὸν — σοφίαν, sc. κηρύσσομεν. Haec de Christo doctrina se commendat tanquam talis, quae secum ferat virtutem divinam et sapientiam. Nam veri Christiani experiuntur vim illam divinam emendandi animum, quae inest huic salutari doctrinae. Experiuntur etiam sapientissime egisse Deum in eo, quod non per Philosophiam, sed per talem doctrinam, simplicem et planam, omnium hominum captui accommodatam ad salutem perducere velit humanum genus. Χριστὸς, i. e. doctrina de Christo, κήρυγμα.

25. Ὅτι τὸ μωρὸν — ἀνθρώπων ἐστί) *Quod enim in operibus Dei stultum videri posset, omnem sa-*

pientiam humanam longe superat. Sapientissima sunt omnia consilia et instituta divina, etiamsi hominibus stulta videantur. Σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων, contracte dictum, pro σοφώτερον τοῦ σοφοῦ, seu σοφοτάτου τῶν ἀνθρώπων. Attici Adiectivis utuntur vice Substantivorum. Aelian. Var. hist. I, 4. καὶ ἐκεῖνο δὲ κυνὸς Αἰγυπτίου τὸ σοφὸν. καὶ τὸ ἀσθενὲς — ἐστὶ) *Et id, quod in operibus Dei infirmum et vile videtur, omnem hominum vim et potentiam longe superat.* Efficacissima sunt instituta, quibus Deus ad optimos fines consequendos utitur, etiamsi infirma et vilia hominibus videantur. Ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων, i. e. τοῦ ἰσχυροῦ, seu ἰσχυροτάτου τῶν ἀνθρώπων. Respicit Apostolus ad ea, quae dixerat Vs. 24. Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν sc. κηρύσσομεν. Quanquam haec de Christo doctrina stulta, nec ullam vim ad emendandos animos hominum habere videtur, longe tamen superat omnia, quae ab hominibus sibi relictis ad hunc finem consequendum plurimum valere putantur. Latius hanc rem exponit Apostolus in iis quae sequuntur, ut haec prodeat sententia: Ut Evangelium Iesu Christi sapientissima est doctrina, quae ipsum Deum auctorem habet (σοφία Θεοῦ), sic qui Christo fidem habet, est *sapiens, genere nobilis, dives* ἐνώτιον τοῦ Θεοῦ, etsi ὁ κόσμος id longe aliter esse iudicet. Is enim potentia, opibus ceterisque rebus externis omnia metiens, vera et coelestia bona nec possidet, nec expetenda ducit. Cf. Iac. II, 5. sqq.

26. Βλέπετε — ὑμῶν) *Videtis*, intelligitis, *enim ipsi, quales ii sint, qui inter vos ad christianam*

religionem accesserunt. Τὴν κλῆσιν ὑμῶν, i. e. ὑμᾶς τοὺς κλητούς, ut ἡ περιτομή, circumcisi. Ut probet id quod dixerat, ad ipsorum Christianorum exemplum provocat. οὐ πολλοὶ — σάρκα) sc. Christo nomen dederunt. Σοφοὶ κατὰ σάρκα, i. e. τοῦ κόσμου seu τοῦ αἰῶνος τούτου. Ex usu loquendi Paulo peculiari quicquid in homine pravum, vitiosum, vel etiam exiguae dignitatis est, id omne non minus ad τὴν σάρκα, quam, quicquid bonum, honestum, et omnino Christiano dignum in homine deprehenditur, ad τὸ πνεῦμα refertur. Hinc σοφοὶ κατὰ σάρκα sunt philosophi ex genere vulgari, qui spreta divina institutione, suo Marte propriaque indagine inter homines non christianos sapientiae laude inclaruerunt. δυνατοὶ, *potentia et opibus florentes;* εὐγενεῖς, *genere nobiles.* Videbatur religio christiana auxilio eruditorum, potentium et nobilium carere non posse; sed eventus docuit, Deum humana ope non egere. *Paucos* ex horum ordine, plures vero alios ad christianam religionem accessisse dicit Apostolus. Ergo non omnes divites, eruditi et genere nobiles excluduntur, ut recte Origines et Theodoretus iam monuerunt.

27. Ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεὸς) *Sed stultos ab aliis hominibus habitos elegit Deus,* i. e. *ad christianam religionem perduxit.* Verbo ἐκλέγεσθαι Scriptores N. T. saepe usi sunt ad designandum beneficium illud insigne, quo homines ad religionem christianam et felicitatem cum ea coniunctam adducuntur, idque more Hebraeorum, qui illam suam dignitatem qua gloriabantur, ut essent populus Deo inprimis carus, voce בָּחַר exprimere solebant. Ies. XLIV,

1. 2. Ps. CV, 6. Indocti et humanarum literarum rudes fuerunt ipsi Apostoli, et alii religionis doctores, qui religionibus profanis et superstitionibus iudaicis profligatis, doctrinam Christi et Iudaeis et Ethnicis persuaserunt, sed plerique etiam, qui tum religionem christianam profitebantur. Τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, i. e. τοὺς μωροὺς τῷ κόσμῳ, eos qui a mundo ob eruditionis penuriam paene pro stultis habentur. ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ) *Ut eos, qui se sapientes existimant, pudefaciat*, et manifestum faciat, eorum sapientia non opus fuisse, ad tantam rem perficiendam. τὰ ἀσθενῆ) *Humiles, ignobiles inter homines.* τὰ ἰσχυρὰ) i. e. τοὺς ἰσχυροὺς, quos modo Vs. 26. vocaverat δυνατούς. Ex eo nempe, quod Deus egenos et infirmos atque ab aliis contemtos elegit homines, inter quos et per quos initio religio christiana propagaretur, fit manifestum, Deum in beneficiis suis conferendis non externae dignitatis rationem habere.

28. Καὶ τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου) *Eos, qui apud homines habentur ignobiles.* καὶ τὰ μὴ — καταργήσῃ) *Et eos qui pro nihilo fere habentur* (elegit Deus), *ut ostendat, eos, qui maximi* (ab aliis) *aestimantur, nihili esse.* Τὰ μὴ ὄντα, i. q. μηδὲν ὄντες, hyperbolice dicuntur *homines valde abiecti et contemti.* Καταργεῖν, ut saepissime *logice* est intelligendum: Efficere, ut alii homines intelligant, nihili esse hos homines. Quum Deus contemtis hominibus usus est, ad tantam rem perficiendam, eo ipso apparuit, quam fallacia saepe sint iudicia hominum, de eo quod magnum vel parvum habetur in rebus humanis.

29. Ὅπως — ἐνώπιον αὐτοῦ) Pro αὐτοῦ alii legunt τοῦ Θεοῦ. *Ne ullus homo sibi aliquid in hoc negotio tribuat*, vel existimet, se ob suam propriam dignitatem hunc honorem esse consecutum. Quo (bene adnotante *Potto*) cavere voluisse videtur, ne Christiani sui et ipsi in vanae gloriationis cum philosophis istis Corinthiis vitium delaberentur. In universum: nemo sibi tribuat, quae soli Deo debet. Σὰρξ, *homo*, ut saepe. Μὴ et πᾶσα Hebraeis universaliter negant. Ἐνώπιον Θεοῦ, ubi cum Deo res est.

30. Ἐξ αὐτοῦ — Ἰησοῦ) *Per eum autem vos* (facti) *estis Christiani*, vel cum Christo coniuncti. Ἐξ αὐτοῦ, non ἐξ ἀνθρώπων. Dei providentiae et benignitati debetis, non vestris meritis, quod in numerum Christianorum estis recepti. Εἶναι ἐν Χριστῷ, *Christianum esse*, ut Rom. VIII, 1. ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ) i. e. *Qui* (Christus Iesus) *datus nobis est a Deo, ut per ipsum omnem sapientiam consequeremur*, quae quidem hoc nomine vere digna sit, quum per eum eiusque doctrinam solam possimus Deum et eius arcana contemplari, quae ne suspicari quidem acutissimi homines potuerunt. Potest etiam σοφία ἀπὸ Θεοῦ sumi pro σοφία Θεοῦ, scientia plane divina. Ceterum est hic et in sequentibus metonymia effecti, positi pro caussa; Christus enim, Deo ita procurante, factus est caussa, per quam sapiamus etc., est nobis doctor optimus, sapientissimus, ita ut, quod religionem attinet, aliis sapientiae doctoribus non egeamus. Terent. Adelph. III, 3. 40. *Tu, quantus, quantus, nil nisi sapientia es.* δικαιοσύνη — ἀπολύτρωσις) Ut per eum

ad *veram virtutem* perducamur (δικαιοσύνη enim sensu latiori est omnis virtus); ut per eum a malis hominibus segregati, *Deo consecremur* (ἁγιασμὸς), et denique ab omnibus huius et futurae vitae malis liberemur (ἀπολύτρωσις). Christus ad veram virtutem nos perducit; caros Deo nos facit; ab omnibus malis nos liberat. Quod igitur frustra pollicita est omnis philosophia, et quaecunque in mundo religiones viguerunt, id omne per Christum unum adipiscimur. Paullo aliter hunc locum explicat *Io. Aug. Noesseltus* (Opusc. Fasc. II. p. 127. sqq.), ita tamen ut sensus haud multum diversus enascatur. Interpungit nempe haec verba sic: Ἐξ αὐτοῦ ὑμεῖς ἐστε, ἐν Χριστῷ (ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ), δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς κ. τ. λ. ut sensus sit: *Eo* (Deo) *auctore vos per doctrinam christianam (quae, Deo parante, tanquam vere sapiens doctrina nobis est patefacta), iusti, et sancti et redemti redditi estis.* Verba ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ non coniunguntur cum verbo ἐστε, ut reddantur: *Christiani estis*, quemadmodum εἶναι ἐν Χριστῷ saepe dicitur, ut Rom. VIII, 1. XVI, 7. Gal. I, 22. et alibi, sed ἐν Χριστῷ significat id, quo Corinthii iusti atque sancti facti sint, nempe *per Christum*, i. e. per doctrinam christianam. Cf. infra c. VI, 11. Verba ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ parenthesi includuntur, et referuntur ad Christi doctrinam, quae (Vs. 23.) μωρία τοῖς Ἕλλησι dicebatur, contra vero (Vs. 24.) τοῖς κλητοῖς Ἕλλησι, Θεοῦ σοφία, h. e. divina sapientiaeque plena religio. Phrasis: ὁ Χριστὸς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία, non repugnat; occurrit enim huic plane similis 2 Cor. I, 19. Parenthesin vero non insolentem aut infrequentatam esse Paulo, satis notum est. Verba denique abstracta

δικαιοσύνη, ἁγιασμὸς, ἀπολύτρωσις posita sunt pro concretis, ut idem dicatur, quod 1 Cor. VI, 11. aliis verbis exprimitur, qui locus nostro plane est similis. Consilium Apostoli est, ut ostendat, Deum esse, cui unice Corinthii debeant hoc, quod Christiani sint, eumque in conferendo hoc beneficio non secutum esse externam hominum rationem, quae sit in ingenio, doctrina, potentia, nobilitateque humana, idque eo fecisse consilio, ut doceret, nihil vel sapientiam vel virtutem vel auctoritatem humanam valere ad dignitatem hominis Christiani consequendam. Unde sequitur, neminem se contra Deum iactare debere, sed unumquemque Deo unice hoc beneficium tribuere debere. ἵνα, καθὼς γέγραπται) *Ut*, sc. fiat, quod scriptum est, Ierem. IX, 23. 24.

31. Ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω) Sensus concise depromtus ex cit. Ier. loco, quem confer. *Qui iactare se velit, non nisi de Domino se iactet, Deo* omnia accepta referat. Alii contextui minus convenienter per κύριον intelligunt Christum, ut 2 Cor. X, 17. ut sensus sit: *Qui antea suis praerogativis gloriabatur, nunc omnia referat ad Dominum* Iesum Christum, auctorem omnis christianae sapientiae, virtutis et spei.

CAP. II.

1. Κἀγὼ ἐλθὼν — τοῦ Θεοῦ) *Quum igitur ego venirem ad vos* (Corinthum) *annunciaturus vobis religionem divinam, non tradidi vobis sublimem do-*

ctrinam vel sapientiam. Ἦλθον, *veni*, sc. docendi caussa. Ὁ λόγος (cf. dicta ad c. I, 17.) est ipsa *doctrina* ex *argumento* suo spectata; et pertinent haec adhuc ad Cap. I. Constr. κἀγὼ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς καταγγέλλων — τοῦ θεοῦ, οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας. Cf. Act. XVIII, 11. sqq. Alii verba iungunt sic: κἀγὼ ἐλθ. πρ. ὑμ. ἀδ., οὐκ ἦλθ. καταγγέλλων (i. e. ὡς καταγγέλλων, seu ὥστε καταγγέλλειν) ὑμ. τὸ μαρτ. τοῦ Θ. καθ' ὑπερ. λόγ. ἢ σοφίας, vertuntque: *quum venirem ad vos, non veni, ut magno eloquentiae et eruditionis sophisticae apparatu in tradenda vobis doctrina divina praecellerem.* Sensus idem est, nisi quod voc. λόγος ad *eloquentiam* solummodo, seu *facundiam* refertur. Καθ' ὑπεροχὴν pro ἐν ὑπεροχῇ. Est autem ὑπεροχὴ λόγου, *sublimitas doctrinae*, et ὑπεροχὴ σοφίας, *sublimitas sapientiae*, *eruditio*, inprimis *philosophica.* Haec unice Corinthiis *sapiens* doctrina esse videbatur. Paulus autem negat se Corinthiis huiusmodi tradidisse doctrinam vel sapientiam. Contra demonstrat, doctrinas divinitus ad nos delatas aliter et tractandas esse, et diiudicandas, quam quae ex hominum ingenio proficiscantur. Pro μαρτύριον quidam codices habent μυστήριον, quod etiam extat in antiquioribus latinis, ante Hieronymum. Et Paulus voce hac saepe utitur. Sensus tamen est idem; indicatur nempe *Evangelium*, *doctrina Christi*, supra I, 6. μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ. Ceterum probabilis est *Potti* sententia, pro tuenda lectione μαρτύριον, praeter Codicum multitudinem et gravitatem, id quoque facere, quod N. T. scriptores non tam μυστήριον καταγγέλλειν, quam μυστήριον γνωρίζειν (Eph. III, 3. VI, 19.), aut λαλεῖν (Col. IV, 3.) dicere solent.

2. Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι — ἐσταυρωμένον) Τοῦ ante εἰδέναι omittitur in codicibus optimis. Sensus est: *Nam decreveram non profiteri apud vos ullius rei, quam Christi, et quidem crucifixi, cognitionem.* Οὐκ ἔκρινα, perinde est, sive reddatur, *non iudicavi, operae pretium non putavi;* sive *non statui, decrevi.* Εἰδέναι τι, *alicuius rei cognitionem profiteri.* Paulus non omnino abfuit a variarum rerum cognitione et eruditione, praecipue *Iudaica*, Pharisaeorum ipse secta antea deditus. *Athenis* etiam cum Stoicis et Epicureis disputavit, Act. XVII, 18. sqq. Sed Corinthi dedito consilio abstinuit ab omni eruditionis apparatu, quamvis non defuisse videantur Corinthi, qui Iudaeorum Allegoriis, et Graecorum artibus delectarentur. Caussam reddit infra c. III, 1. seqq. Erant nempe Corinthii tum adhuc σαρκικοί, tirones, qui altiores doctrinas nondum capiebant, ut recte monet *Origines c. Celsum*, L. II, pag. 101. edit. Spenc. ὡς μὴ χωροῦσι πλείονα Paulum haec tradidisse Corinthiis. Per Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον, intelligit universam Christi historiam, cuius praecipua est pars historia crucis eius, et alias salutares doctrinas, cum ea connexas infra c. XV, 1—4. Cf. Philip. I, 15. ubi τὸν Χριστὸν κηρύσσειν idem est ac τὸν λόγον λαλεῖν. Vs. 14.

3. Hactenus de *argumento* doctrinae suae dixerat Apostolus, et negaverat se humanam Corinthiis tradidisse doctrinam. Nunc etiam de *modo* praecipit, quo Corinthi in *enuncianda* doctrina divina et communicanda cum auditoribus γνώσει fuerit usus. Καὶ ἐγὼ — πρὸς ὑμᾶς) *Et ego me apud vos gessi imbecillem*

(indoctum), *valdeque modestum.* Ἀσθένεια h. l. esse videtur *inopia doctrinae et eruditionis*, opposita τῇ σοφίᾳ, Vs. 1. cf. Vs. 4. Sic autem vocatur inopia doctrinae, quia indocti vulgo nullius pretii haberi solent. Aliis ἀσθένεια h. l. esse videtur *corporis imbecillitas* (2 Cor. X, 10.), referenda ad tenuem vocem et pronunciationem in viro lateribus destituto, et φόβος καὶ τρόμος, *modestia* (Phil. II, 12.), quae est in voce et gestu, ut igitur Paulus his verbis fateatur, doctrinam suam tum propter corporis imbecillitatem, tum quod vox et gestus ad modestiam potius, quam ad vim orationi addendam compositi fuerint, *pronunciatione* seu actione non magnopere commendatam fuisse auditoribus. Vid. *Storr* pag. 25. Fortassis tamen ἀσθένεια h. l. est inopia roboris animi, *timiditas;* nam videtur Paulus initio ob Iudaeorum calumnias omnem fere spem prosperi successus abiecisse, sed confirmatus est eius animus verbis Domini noctu per visum auditis: μὴ φοβοῦ κ. τ. λ. Act. XVIII, 9. 10. Verba ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ haud dubie significant: *cum modestia et magna verecundia*, ut Philip. II, 12.

4. Καὶ ὁ λόγος — δυνάμεως) *Et in institutione mea privata et publica non usus sum verborum delectu ad persuadendum idoneo, sed vim ac praestantiam doctrinae vobis declaravi (eine Lehre voll Geist und Kraft).* Addit Apostolus *elocutionem* etiam doctrinae a se traditae non exactam fuisse ad artis humanae praecepta. Ὁ λόγος, *institutio, doctrina.* Eadem est significatio vocabuli κήρυγμα, nisi quod *publicam institutionem* innuat; nam κηρύσσειν est *publice praedicare*, vel *docere.* οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας

λόγοις,) i. e. *non in humanae sapientiae verbis, persuadendo idoneis.* Λόγοι σοφίας sunt verba, quae humano iudicio sapienter delecta, collocata et nexa sunt, vel oratoria elocutio. Πειθὸς (a verbo πείθω), *qui persuadet*, ut φειδὸς, qui parcit, ut μιμὸς, qui imitatur, et similia. Est vero haec vox Graecis inusitata ac minus pura, pro πειθανὸς, vel πιθανὸς. Suadent nonnulli lectionem ἐν πειθοῖ, quae non extat nisi in duobus iunioribus codd., in Origine, Eusebio, Athanasio et aliis. Ἀνθρωπίνης autem olim abfuit, ut deest hodie in multis. Quare *Semlerus* suspicatus est, veram et primam lectionem fuisse ἐν πειθοῖ σοφίας, sine ἀνθρωπίνης et λόγοις, adhaesisse tandem primam litteram ad πειθοῖ, et factum esse demum serius πειθοῖς, inde ceteram variam additionem locum habuisse. Ita sensus esset: *in suadela erudita*, s. demonstratione dialectica; nam ἡ πειθὼ, suada, suadela, persuadendi vis. Est et nomen illius Deae, quae fingebatur eloquentiae praeses, et a latinis etiam suadela, item flexanima nuncupatur. Sed vulgaris lectio, expuncto voc. ἀνθρωπίνης, retinenda est. Eam etiam defendit *Pottus* ad h. l., qui aliorum quoque de ista lectionis varietate examinat sententias. ἀλλ' ἐν — δυνάμεως) *Sed praestantiam et vim religionis vobis declaravi*, quae sc. *non verbis* inest, sed *rebus*. Πνεῦμα et δύναμις h. l. ut saepe denotant vim et potentiam humana maiorem; eaque se exserere dicitur, cum homo vel facit, vel habet, quae ipse nec facere nec habere potest, sed Deus per eum agit eique dat. Cum igitur aliquis in *docendo* ostendere dicitur πνεῦμα καὶ δύναμιν, sensus est, eum talia tradere, quae a nullo hominum reperiri et excogitari potuerint, sed quorum notitia divinitus sit sup-

peditata. Cf. etiam Act. VI, 63. cf. Vs. 10. eiusdem cap. Paulus itaque dicit, se, etsi facultate rhetorica et dialectica minus valuerit, nihilominus tamen res grandes in audientium animos insinuasse, et hanc efficaciam solius Dei esse. Apparuit nempe ex effectu, doctrinam a Paulo praedicatam vere esse divinam. Alii haec ad *miracula* referunt, quibus Apostolus veritatem doctrinae suae confirmaverit. Totius commatis sensum sic quoque (cum *Potto*) possumus exprimere: Institutio mea, tam privata quam publica, non spirabat sapientiae humanae commenta et dialecticorum ac rhetorum artificia, in verborum ad persuadendum idoneorum dilectu conspicua, sed meram eorum significationem, quae vis Spiritus sancti mihi subministravit.

5. Ἵνα ἡ πίστις — δυνάμει Θεοῦ) *Ne assensus, quem institutioni meae praebuistis, sapientia humana, sed vi divina*, qua impulsus vos edocui, quaeque adeo doctrinae meae subest, *innitatur*. Consilium indicat, quo adductus non usus erat in Corinthiis edocendis captionibus dialecticis, verborumque splendidorum ornatu. Ἡ πίστις ὑμῶν, *assensus quem institutioni meae praebuistis*. Ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, refertur ad ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις comm. 4. et ἐν δυνάμει Θεοῦ ad ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως eodem versu. Dicit igitur Apostolus, Corinthios ad religionem perductos esse, non ope philosophiae, *sed vi et virtute divina*, quae nempe non adstringitur verbis humanae eloquentiae, sed rebus ipsis inest. Sic honor et gloria ad Deum redit, non ad Apostolos et alios doctores.

6. Σοφίαν — τελείοις) *Doceo quidem provectiores* (Christianos) *sapientiam*, altiores veritates propono provectioribus Christianis. Est correctio. Negaverat com. 4. 5. se usum esse argumentis philosophicis in instituendis Corinthiis. Ne autem Corinthii putarent, se omnis sapientiae esse expertem, nunc dicit, esse etiam σοφίαν quandam christianam, eam vero a se proponi non quibusvis auditoribus, non σαρκικοῖς et νηπίοις, quales tum adhuc erant Corinthii, sed τοῖς τελείοις, quos πνευματικοὺς vocat infra c. III, 1. qui locus hic omnino est conferendus. Cf. etiam Hebr. V, 14. VI, 1. seqq. et ibi annotata. Possunt tamen τέλειοι h. l. esse in universum Christiani, oppositi Ethnicis et Iudaeis, nondum in religione institutis, ut verborum: *doceo sapientiam inter perfectos*, sensus sit: Trado doctrinam, quam Christiani sapientem esse sciunt, quia scilicet eius vim usu experti sunt. Hanc interpretationem nunc praefero propter sequentia, in quibus σοφία laudatur, non provectioribus tantum, sed omnibus Christianis proposita, ceteris vero, non Christianis, ignota. Λαλεῖν, *docere*. Hanc autem christianam σοφίαν multum differre a philosophia Iudaeis et Graecis usitata, statim ostendit Apostolus. Pergit enim: σοφίαν δὲ οὐ — καταργουμένων) *Non autem huius aetatis*, vel: *procerum hodiernorum, dignitate sua* (mox) *privandorum genio accommodatam sapientiam*. Ὁ αἰὼν οὗτος, *haec aetas*, i. e. *huius aetatis homines*, h. l. autem inprimis philosophi illius aetatis graeci. Οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου h. l. praecipue sunt *Iudaeorum proceres*, quod tum ex eo patet, quod ii non multo post, excisa urbe Hierosolymorum, dignitate et potestate sua privati sunt (καταργουμένων), tum ex

Vs. 8. Putabant autem Iudaeorum doctores et proceres, se omnibus hominibus esse sapientiores.

7. Ἀλλὰ — ἀποκεκρυμμένην) *Sed docemus divinam sapientiam, quae diu in arcano recondita, ignota fuit.* Σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ sc. ποτε οὖσαν, vel, ut Grotius putat, inversa locutione, pro: τὴν ἀποκεκρυμμένην ἐν μυστηρίῳ. Intelligendum est inprimis sapientissimum Dei consilium de salute hominum per Christum procuranda, quod in Scriptis V. T. obscurius tantum significatur, aliis autem omnibus hominibus plane ignotum fuit. Sensus est: Docemus ea, quae sine revelatione divina cognosci haud possunt, et quae ante hoc tempus omnibus hominibus ignota fuerunt. Cf. Rom. XVI, 25. Ephes. I, 9. ἣν προώρισεν — αἰώνων) *Quam decrevit Deus ante mundum conditum,* sc. revelare. εἰς δόξαν ἡμῶν) *Ad maximum honorem nostrum.* Nos enim Deus habuit dignos, quos donis supra omnes prophetas ornaret. *Schulzius: ad nostram felicitatem.* Quod et alii sequuntur, ut δόξα sit salus, Christianis collata et conferenda, non exclusa beatitate aeterna.

8. Ἣν — ἔγνωκεν) *Quam eorum, qui hac nostra aetate* inter Iudaeos *principes habiti sunt, nullus perspexit.* Iudaeorum inprimis proceres intelligendi sunt, qui consilium Dei et prophetarum vaticinia non intelligebant, et hanc ob caussam Christum supplicio affici curabant, quod Iudaismum minus commendaret, atque hac ratione in Deum et legem Mosis ingens crimen committere videretur. εἰ γὰρ ἔγνωσαν) Sc. sapientiam illam, vel consilia ista Dei sapientissima, in pro-

phetarum scriptis occultius paulo et obscurius praenunciata. οὐκ ἂν — ἐσταύρωσαν) *Dominum* (Iesum), *verae praestantiae atque felicitatis nostrae auctorem, non egissent in crucem*, sc. instigatione sua, ut Iudaeorum principes, aut decreto, ut Pilatus, aut consensu, ut Herodes. Κύριος δόξης, *Dominus gloriae*, i. q. ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, Actor. III, 15. ἐσταύρωσαν) *supplicio servili et contumelioso affecerunt.* Non excusat eos illa ignorantia; satis enim magnas res fecerat Christus, ut, quid afferret, inquirerent, cetera, si discendi et bene agendi fuissent cupidi, ab ipso percepturi.

9. Ἀλλὰ — ἀγαπῶσιν αὐτὸν) *Sed ea docemus, quae, ut verbis Scripturae utar, nemo unquam oculis auribusque percepit, nec ulli unquam hominum in mentem venerant, ea nempe, quae Deus paraverit eum pie colentibus.* Post ἀλλὰ subaudi λαλοῦμεν, ex Vs. 6. Verba καθὼς γέγραπται lege in parenthesi. Verba, quae sequuntur nullibi in V. T. hoc ordine et sensu leguntur. Occurrunt autem nonnulla verba, quibus Apostolus hic utitur, Ies. LXIV, 3. et Ies. LXV, 17. Ergo formula: καθὼς γέγραπται, hic nihil aliud significat, nisi hoc: *ut verbis scripturae s. utar.* Nullis argumentis nititur, quod quidam scriptores ecclesiastici inde ab *Origine* statuerunt, ipsa verba quibus hic utitur Apostolus, extitisse in Apocryphis Eliae. Describit autem Vir divinus his verbis doctrinam Evangelii, et beneficia per eam nobis oblata. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, *inaudita antehac et incognita.* *Cicero* pro Marcell. 2. *quae quidem ego, nisi ita magna fatear, ut ea vix cuius-*

quam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Quae nos annuntiamus, Paulus inquit, sunt eiusmodi, quae antehac inaudita fuerunt, quae ne cogitando quidem ullus hominum assecutus fuisset (ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ex Hebraismo עָלְתָה עַל לֵב, quod idem declarat ac Latinis: *in mentem venit).* Ἀγαπῶντες τὸν Θεὸν, אֹהֲבֵי יְהוָה, qui Deum pie colunt, ut nunc veri Christiani. His talia beneficia destinavit Deus, de quibus nemo antehac ne fando quidem audiverat.

10. Ἡμῖν — αὐτοῦ) Ἡμῖν, *mihi.* De se Paulus, ut saepe, loquitur in plur. Idem tamen, quod hic de se dicit, de omnibus aliis etiam valet Apostolis. Io. XVI, 12—14. *Spiritus Dei*, quem Christus *spiritum veritatis*, auctorem perfectioris cognitionis nominaverat, revelavit Apostolis ea, quae antea inaudita erant, omnibusque hominibus ignota, sc. de ratione et modo per Christum consequendae remissionis peccatorum et salutis aeternae. τὸ γὰρ πνεῦμα — Θεοῦ) *Is enim spiritus omnia habet perspecta, penetrat, etiam occulta Dei consilia.* Quare ille solus nobis haec potuit revelare. Ἐρευνᾷν, hebr. חָקַר, quod etiam Davides de Deo usurpat, Ps. CXXXIX, 1. *penetrare*, sc. intelligendo; haec enim huius vocabuli est vis. Τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ (i. q. σοφία Θεοῦ ἐν μυστ., ἡ ἀποκεκρ. Vs. 7.), arcana illa consilia Dei, quae diu fuerunt occultata, et tempore V. T. profundo quasi immersa erant. Τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ h. l. distinguitur ab ipso Deo, eodem fere sensu, quo mens hominis ab homine distin-

guitur (Vs. 11.). Quemadmodum autem homo et mens hominis una sunt persona, ita etiam Deus eiusque Spiritus est unus idemque. Equidem igitur non putaverim τὸ πνεῦμα ex mente Apostoli esse Subiectum per se subsistens, vel personam, quae est sententia *Gottl. Guil. Meyeri*, in libro: *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs* etc. Altonae 1801. p. 153. Recte *Pottus* ad h. l.: Quae hic de πνεύματι praedicantur, ad *Paulum* πνεύματι *adiutum* transferenda videntur sic: ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ· ἡμεῖς γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος (*ich, unter dem Beistande des Gottesgeistes*), πάντα δυνάμεθα ἐρευνᾶν, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ.

11. Τίς γὰρ — ἐν αὐτῷ) Τὰ τοῦ ἀνθρώπου, intellige τὰ βάθη, ex Vs. 10. *occulta hominis consilia.* Πνεῦμα, *mens, animus.* Nemo hominum occulta alterius cuiusdam hominis consilia novit, nisi animus in eo homine habitans. Hoc pulchre applicat Apostolus ad Spiritum Dei, qui solus arcana Dei novit, et aliis revelare potest. Sensus est: *Sicut nemo hominum scit alterius arcana consilia, sed quilibet sui animi sensus optime novit, ita arcana Dei consilia nemo novit nisi ipse Deus, spiritus Dei.* Nemo igitur hominum ea scire potest, nisi Deo revelante.

12. Ἡμεῖς — ἐλάβομεν) *Ego vero non accepi cogitandi sentiendique rationem, qualis est hominum huius aetatis, sed divinam.* Πνεῦμα τοῦ κόσμου, sensus, qui est plerorumque hominum, i. q. σοφία τοῦ κόσμου in antecedentibus. Non homines nobis suggesserunt, quid docere, quibus modis, verbis et argu-

mentis debeamus aliis persuadere religionem. Κόσμος, *homines in mundo.* Τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου, id quod homines sentiunt; consilia hominum, quales natura esse solent. ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ) sc. ὂν. *Sed Spiritum Dei* accepi. Ab ipso Deo edoctus sum. Contigit mihi divinitus concessa divinorum consiliorum scientia, σοφία Θεοῦ, quam Deus nobis per Spiritum illum, nobis promissum, impertiit (Vs. 10.). Longe maiora et praestantiora sunt ea, quae Deus nos docet. ἵνα εἰδῶμεν — ἡμῖν) *Ut certo noscamus, quaenam sint illa, quae Deus nobis donare decreverit* (est enim metonymia). Nempe, beneficia divina, quorum participes nos facit religio christiana, longe sunt perfectiora et maiora illis corporeis et cito perituris bonis, quae a Iudaeis et aliis unice optantur.

13. Ἃ καὶ λαλοῦμεν) *Quae*, sc. divinitus no bis re velata, *etiam docemus*, nam λαλεῖν, *docere*, ut saepe iam habuimus. οὐκ ἐν — λόγοις) *Non eo dicendi genere, vel argumentorum ordine, quem docet humana eruditio.* Λόγοι non sunt tantum verba et voces, sed et argumenta, et tractationis modus universus; unde haec vox saepe *dissertationes*, orationes ab oratoribus habitas, significat. Διδακτοῖς, cum Genitivo caussam significante, ut Io. VI, 45. *Theodoretus:* οὐκ δεόμεθα τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας *Plato* in *Menone* (disputat: utrum σοφία sit διδακτή, ut Sophistae volebant), concludit: ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει οὔτε διδακτόν, ἀλλὰ θεία μοίρα παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ, οἷς ἂν παραγίγνηται. — ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου) Sc. λόγοις, *eo argumentorum et sermonum genere, quod suppeditat spiritus sanctus.* In Evangelio tradendo,

inquit Apostolus, non humanam, sed divinam eloquentiam usurpamus, quam quidem mirum non est irrideri ab hominibus, qui eam percipere non possunt. πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες) *A Spiritu edoctis* (Christianis) *divinas doctrinas explicantes.* Tradimus eas doctrinas, quas Christiani divinas esse sciunt, quia nempe usu et experientia earum vim et efficaciam ad emendandos et tranquillandos animos habent cognitam et perspectam. Πνευματικοὶ nempe sunt *Christiani* simpliciter, qui vocantur πνευματικοὶ propterea, quod acceperunt πνευματικὰ, divinitus revelatas doctrinas. Possunt tamen etiam πνευματικοὶ esse provectiores Christiani, non tirones, ut infra c. III, 1. Πνευματικοῖς, supple ἀνθρώποις, ut *Pelagius*, *Sedulius*, *Haymo* intellexerunt. Συγκρίνειν, apud Profanos est παραβάλλειν, *comparare*, sed h. l. est *interpretari*, qui vocis significatus ad hebraici פתר imitationem formatus, LXX. interpretibus satis frequens est, e. g. Gen. XL, 8. 12. XLI, 12. 13. 15. Dan. V, 13. 17. Alii voc. πνευματικοῖς sensu neutro accipiunt, vertuntque cum Vulgato: *spiritualibus spiritualia comparantes*, ut sensus sit: verbis spiritualibus utimur ad spiritualia exponenda. Sed prior explicatio praeferenda est.

14. Ψυχικὸς — τοῦ Θεοῦ) *At profanus* (qua talis) *non admittit ea quae sunt a Spiritu Dei tradita.* Ψυχικοὶ sunt homines, qui nonnisi naturae motus, brutis animantibus communes, sequuntur, et cupiditatum sub imperio omnem vitam transigunt, qui ea tantum spectant, quae in sensus incurrunt, praesentia huius

vitae. *Blos sinnliche Menschen.* Nam ψυχὴ saepe Graecis dicitur omne id, *quod homines cum animantibus brutis commune habent*, unde τῇ ψυχῇ ἕπεσθαι, est *cupiditatibus et concupiscentiae obsequi.* In Epist. Iudae Vs. 19. ψυχικοὶ et πνεῦμα ἔχοντες distinguuntur. Apud Iosephum autem Ant. I, 1, 2. Deus primo homini πνεῦμα et ψυχὴν indidisse dicitur; ubi πνεῦμα est, quod homini proprium, ψυχὴ autem, quod cum brutis animantibus commune. Sunt igitur h. l. ψυχικοὶ, qui sensu ducuntur suo, nec, quod homines decebat, rectam rationem sequuntur, inprimisque in religione aestimanda alios ne audiunt quidem, nec utuntur opportunitate discendi, nec vel examinant oblata sibi, vel experimenta faciunt eorum quae audivere, ut quale sit istis pretium statuendum, intelligant, sed temere repudiant quae sentiunt suis opinionibus et libidinibus contraria. Iac. III, 15. Non poterat nomen reperiri, quod magis proprie ac subtiliter levitatem horum hominum opinatamque sapientiam exprimeret, quam ipsum hoc nomen Psychicorum; ut monet *Noesseltus*, qui totum hunc locum Vs. 14—16. accurate interpretatus est in Opuscc. Fascic. II, p. 132. Huiusmodi homines eam ipsam ob caussam, quoniam tantummodo suas *opinationes* sequuntur, et iuxta eas ruunt, non admittunt doctrinam perfectiorem, et rerum revelatarum scientiam, sed eam repudiant, atque, ut statim additur, pro stulta habent. Δέχεσθαι, *admittere, discere, audire*, Iac. I, 21. Hebr. לקח. Prov. IV, 10.

μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι) Sc. ταῦτα, τὰ πνευματικά. Eiusmodi doctrinas stultitiae loco reputat, pro stultorum vocibus habet, nihil significantibus. καὶ οὐ δύναται

γνώναι) i. e. perspicere earum veram indolem et excellentiam non potest. ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται) Sc. τὰ τοῦ πνεύματος, *nam animo et mente* (non sensibus externis) *haec diiudicanda sunt.* Πνευματικῶς, *animo et mente*, non autem ψυχικῶς. Nempe nihil fit per saltum; gradibus igitur et exercitio opus est, ut homo pravis suis cupiditatibus deditus, ad nobiliorem cogitandi et sentiendi modum perveniat.

15. Ὁ δὲ πνευματικὸς — ἀνακρίνεται) *Is enim, qui a spiritu edoctus est, convincere quemlibet* (profanum, ψυχικὸν) *potest, ipse autem a nullo* (profano) *convinci.* Ὁ πνευματικὸς est Christianus recte in doctrina institutus. Vs. 12. 13. Πάντα plerique exponunt in plurali, et supplent τὰ πνευματικὰ, Vs. 13. Sed *Noesseltus*, cui assentior, πάντα tanquam singularis numeri accusativum de *quolibet homine* (profano) interpretatur. Reciprocatur nempe sententia: ὁ πν. ἀνακρ. μ. πάντα in ea quae sequitur: αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Per legem igitur disiunctionis necesse est ut verbo οὐδεὶς respondeat πᾶς, *nemini, omnis* s. quilibet (non *omnia*), *omnis* nimirum ψυχικὸς. Cf. etiam locum similem c. VI, 2. Ἀνακρίνειν h. l. est *convincere* vel *arguere*, ut infra c. XIV, 24. ubi ἐλέγχειν et ἀνακρίνειν tanquam eiusdem significationis verba coniunguntur. Igitur verborum: ὁ πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα (ψυχικὸν) sensus est: Christianus recte institutus et de religione edoctus *recte iudicare* s. *convincere potest quemlibet profanum*, h. e. agnoscere eius errorem, s. perspicere quod ille falsus sit, quum sibi arroget rectam sapientiam, doctrinamque christianam stultam esse putet; *ipse autem* Christianus *a nullo*

profano *convinci* erroris potest. *Pottus*, retenta in verbo ἀνακρίνειν simplici *diiudicandi* potestate, hunc locum ad ipsum Apostolum revocat, atque cum Vss. 13. 14. iungit sic: *ego quidem, vel per ipsum spiritum sanctum profundiore religionis scientia instructus, eiusdemque quasi mysteriis initiatus, quemlibet profanum, scientia illa destitutum, diiudicare, adeoque a* πνευματικοῖς, *seu vere collustratis dignoscere possum; neque* tamen ὁ ψυχικὸς *a* τοῖς τοῦ πνεύματος *adeo alienus, istud de me,* τῷ πνευματικῷ *iudicium ferre potest; unde patet, me profanos, recte a me aestimatos, ab initiatis segregare, et nonnisi his divina illa impertiri posse.*

16. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου) Ex Ies. XL, 13. Nemo horum hominum mentem et consilia Dei novit; itaque nec ea potest diiudicare, quae nos Spiritus sancti afflatu didicimus, et alios docemus. His verbis non negatur, quemquam hominem per se, natura sua, et sine Dei institutione salutis suae rationem perspicere; subiicit enim Paulus: ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν, sed de profanis hominibus sermo est, quorum nullus intelligit mentem s. voluntatem Domini, ut docere possit τὸν πνευματικὸν. ὃς συμβιβάσει αὐτὸν) *Quis doceat eum?* Plerique interpretes supplent: κύριον, pauci τὸν πνευματικὸν. Sed posterior sententia recte praefertur. Nam αὐτὸν de eodem dicitur, qui Vs. 15. αὐτὸς appellatus erat, de πνευματικῷ videlicet, s. Christiano. Accedit, quod partes commatis 15. membris huius commatis 16. haud dubie, quamquam inverso ordine respondent. Quodsi enim quaeritur (Vs. 15.): *cur* Christianus, s. *edoctus a Spiritu, agnoscere errorem pro-*

fanorum hominum possit? respondet Paulus (Vs. 16.): quoniam *nos* Christiani *mentem* s. sententiam *Christi* tenemus. *Cur* contra *is* (*αὐτὸς*) *a nullo* profanorum erroris convinci potest (Vs. 15.)? Quoniam nemo profanorum mentem Domini intelligit (Vs. 16.). Συμβιβάζειν *docere*, inprimisque *convincere*, ut Act. IX, 22. Πνευματικοὶ h. l. non sunt Apostoli, sed edocti ab Apostolis, ii quibus Apostoli τὰ πνευματικὰ tradiderant Vs. 13. ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν) *Nos autem mentem Christi habemus*, verum sensum doctrinae Christi tenemus; ea docemus et credimus, quae a Christo nobis tradita sunt. Possumus igitur agnoscere errorem profanorum hominum, eosque erroris convincere.

CAP. III.

1. Καὶ ἐγὼ — πνευματικοῖς) *Sed ego, fratres, non potui vobiscum loqui tanquam cum provectioribus*, vel recte institutis Christianis; quum nempe apud vos essem docendi caussa. Cf. c. II, 13. Paulus se quasi excusat et defendit contra eos qui ista specie abutebantur, Corinthios vix rudimenta a Paulo accepisse; recte itaque se iis doctoribus adhaerere, qui multo plura tradere soleant rerum capita. Caussas igitur nunc commemorat, cur nonnisi prima elementa religionis tum tradiderit Corinthiis. Erant nempe Corinthii tum, quum Paulus ad eos veniret docendi caussa, partim Ethnici, partim Iudaei, rudiores in cognitione et moribus. Igitur non potuit eos tractare ut provectiores, vel ut homines in religione christiana recte institutos, *sed* loqui

debuit cum iis ὡς — ἐν Χριστῷ, *tanquam cum tironibus et infantibus in religionis christianae cognitione.* Σαρκικοί, ex hebr. בָּשָׂר, quae vox nonnunquam corporis, deinde etiam animi et ingenii imbecillitatem denotat, opponuntur πνευματικοῖς, perfectiore cognitione praeditis. Νήπιοι ἐν Χριστῷ, infantes, quod attinet ad christianam doctrinam. Cf. Hebr. V, 12. 13. 14. Sensus est: Agendum mihi erat vobiscum, tanquam cum imperitioribus, tanquam cum parvulis, quorum est adhuc imbecillis indoles, si ad christianae doctrinae iustam mensuram comparentur.

2. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα) *Lactis potu vos alui.* Prima rudimenta doctrinae christianae intelligit. Profani etiam prima cuiusque disciplinae rudimenta cum lacte comparare solent. *Philo* de agricult. p. 301. ἐπεὶ δὲ νηπίοις μέν ἐστι γάλα τροφή, τελείοις δὲ τὰ ἐκ πυρῶν πέμματα, καὶ ψυχῆς γαλακτώδεις μὲν ἂν εἶεν τροφαὶ κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν τὰ τῆς ἐγκυκλίου μουσικῆς προπαιδεύματα, τέλειαι δὲ καὶ ἀνδράσιν εὐπρεπεῖς αἱ διὰ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ ἁπάσης ἀρετῆς ὑφηγήσεις. — οὐ βρῶμα) Subaudi: *dedi.* Est σύλληψις. Nam de lacte quidem dicitur ἐπότισα, non autem de cibis. Βρῶμα autem est, quod στερεὰ τροφή, *solidius alimentum*, Hebr. V, 12. Intelliguntur arduae et sublimiores doctrinae, πνευματικαὶ ἐπιγνώσεις. οὔπω γὰρ ἠδύνασθε) Sc. Ferre, aut concoquere. Non poteratis recte ad vestram rem uti. ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε) Ne nunc quidem, tanto temporis spatio, post religionis prima inter vos semina sparsa, praeterlapso. Licet varios alios doctores laudetis, quos mihi praefe-

rendos putetis, tamen eo non profecistis, ut vobis exponere in certam vestram utilitatem possim maiora capita religionis.

3. *Ὅπου γὰρ διχοστασίαι*) *Quandoquidem enim inter vos invidia, lites et simultates sunt.* *Ὅπου* hic valet *quandoquidem.* *Isocrat. Panegyr.* c. 50. pag. 105. edit. Mori: *ὅπου γὰρ οἱ πρὸς Ἀλεξάνδρον πολεμήσαντες, καὶ μίαν πόλιν ἑλόντες, τοιούτων ἐπαίνων ἠξιώθησαν· ποίων τινῶν χρὴ προσδοκᾶν ἐγκωμίων τεύξεσθαι τοὺς ὅλης Ἀσίας κρατήσαντας;* — *Ζῆλος*, cogitatione, *ἔρις*, verbis, *διχοστασίαι*, opere. *Sallust.* Catilin. 9, 2. *Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant.* Iam redit Apostolus ad rem, quam c. I, 10. tractare coeperat, et acriter reprehendit Corinthios ob dissidia et partium studia doctorum caussa inter eos orta, simulque ad pacis et concordiae studium eos exhortatur. *οὐχὶ — κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε;*) *Nonne mentis imbecillitatem proditis, et more hominum plerorumque vivitis?* *Κατὰ ἄνθρωπον*, i. e. *κατὰ σάρκα.* Idem bis dicit aliis verbis Apostolus.

4. *Ὅταν γὰρ — σαρκικοί ἐστε;*) *Nonne eo ipso mentis et ingenii imbecillitatem ostenditis, quod unus Paulo, alius Apolloni se adhaerere profitetur?* Vid. dicta ad c. I, 12. Recte ingenii imbecillitati tribuit Apostolus ista dissidia et partium studia apud Corinthios. Nam ii, qui se *Paullinos* et *Apollonios* nominabant, de praecipuis doctrinae christianae capitibus inter se consensisse videntur, licet hactenus dissiderent, ut isti *Paulum*, hi *Apollo* praeferrent. Corinthii autem id, quod est praecipuum in doctrina

christiana, in quo perfectissime consentiebant Paulus et Apollo, nec spectabant, nec intelligebant, sed externa tantum et accessoria, e. c. Apollonis eloquentiam admirabantur, Paulum vero, qui prima tantum elementa tradiderat, contemnebant. Fortassis etiam de coniugio, idolothytis etc. variae variorum doctorum fuerunt sententiae. Dissensus in huiusmodi rebus certe non erat tanti, ut Christiani augustam religionis formam recte tenentes, offenderentur, et simultates exercerent.

5. Τίς οὖν — ἐπιστεύσατε) *Quis igitur est Paulus? quis Appollo? Non nisi ministri sunt, quorum opera ad religionem christianam perducti estis.* Si ministri tantum, non vero auctores erant religionis Apollo et Paulus, valde reprehendendi erant, qui unum vel alterum nimis extollebant, et tanquam sectae alicuius caput venerabantur. δι' ὧν) *quibus docentibus* Christiani facti estis. καὶ ἑκάστῳ — ἔδωκεν) Est hic traiectio. Rectum fuerat: καὶ ὡς ἑκάστῳ ὁ κύριος ἔδωκεν. Et coniungenda sunt haec verba cum sequentibus Vs. 6. *Et prout Deus unicuique nostrum partes quasi proprias assignavit, ego plantavi* etc.

6. Ἐγὼ — ηὔξανεν) Ἐπότισε, *irrigavit*, figurate, pro ἤρδευσε, quae vox propria agricolis; sed bene facta est translatio, quia quod plantis est irrigari, id animalibus est potum praebere. Ηὔξανεν, הִצְמִיחַ, *crescere fecit.* Ab agricultura desumta similitudo. Sensus est: Ego primus vobis tradidi religionem christianam; Apollos eam vobis ulterius explicavit, vosque in

ea confirmavit, sed Deus incrementa largitus est. Paulus nempe primus instituit Corinthios in religionis doctrina; Apollos addidit quaedam, Corinthiis antea ignota, sed omnis fidei et virtutis proventus Deo debebatur, a quo est revelatio, et a quo sunt spiritus dona. Ergo omnia tribuenda erant benignitati divinae, non doctorum meritis. Laudandi quidem erant doctores in eo, quod quisque suum recte et diligenter fecerat; sed domini, auctoris doctrinae christianae honorem sibi sumere nec debebant, nec volebant.

7. Ὥστε — ὁ ποτίζων) *Ergo nec plantanti, nec riganti, sed Deo, qui incrementum dedit, laus debetur.* Εἶναί τι, *magni pretii, inprimis laude dignum esse.* Paulus et Apollos nihil, i. e. nihil magni sunt, si Deum respicias. Successus christianae doctrinae inter vos non ipsis debetur, sed Deo. Ὁ αὐξάνων, transitive; qui incrementum dat, bonum successum largitur.

8. Ἕν εἰσιν) i. e. Idem agunt negotium; sunt uni eidemque consilio promovendo destinati, vel etiam: pari pretio sunt aestimandi. Ergo fas non est, eos dissidiis et contrariis studiis impedire consilium domini communis, vel alterum alteri a vobis praeferri. Ἕκαστος — κόπον) Praemium accipiet unusquisque *a Deo*, non ab hominibus, qui aliorum laboribus pretium statuere non possunt.

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί) *Nos enim* (Apostoli et doctores alii) *sumus collaboratores in cultu divino*, eodem munere, a Deo nobis demandato fungimur. In

composito *συνεργοί*, *τὸ σύν* non referri debet ad Deum, sed ad doctores. *Θεοῦ — ἐστε*) Vos Dei quasi ager, in quo semina sparsit doctrinae christianae; vos Dei auxilio ad religionem christianam adducti estis. Porro: vos quasi aedificium Dei estis, quod per nos exstruendum est. Apostolus, duas adhibens similitudines, priorem sermonem ab agricultura desumtum, finit, et novum ab architectura orditur.

10. *Κατὰ — δοθεῖσάν μοι*) *Pro munere mihi a Deo demandato. Χάρις τοῦ Θεοῦ*, *beneficium Dei* h. l. ut saepius munus Apostoli videtur significare. Nam iniunctum erat ei munus Apostoli praecipue inter gentes, et homines religionis christianae cognitione destitutos. *Ὡς σοφὸς — τέθεικα*) Aedificii primum quasi fundamentum sic ieci, prout decet peritum Architectum. *Σοφὸς* Graecis adiectivum est omnium artificum. Fundamentum iacit, qui rei alicui initium dat, quod de Evangelio usurpat Apostolus Rom. XV, 20. coll. Hebr. VI, 1. Dicit igitur Paulus, se prima religionis elementa tradidisse Corinthiis, ita quidem, ut sapientem doctorem decet. *ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ*) Quia aedificii mentionem fecerat, aliam instituit ab aedificio comparationem. Antea *fideles* dixerat aedificium Dei, nunc aedificium vocat ea, *quae in ecclesia christiana a doctoribus docentur.* Similes transitiones, parte similitudinis retenta, parte mutata, habes Matth. XIII. Marc. IV. Io. X. et alibi. *ἐποικοδομεῖν*, *superstruere aedificium fundamento*, h. l. est, *institutionem inchoatam continuare, amplificare et ad plures homines extendere. ἕκαστος — ἐποικοδομεῖ*) Unusquisque videat, quomodo hoc aedificium instituat? ut nempe

satis bene cohaereat cum fundamento. Caveat, ne magis impediat incrementum in vera cognitione salutaris doctrinae, quam adiuvet.

11. Θεμέλιον — κείμενον) *Non licet ponere aliud fundamentum, quam quod ego posui*, i. e. non licet alia tradere religionis christianae elementa, quam ea sunt, quae ego tradidi. Δύναται hic significat ius agendi, ut Matth. IX, 15. ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς) Fundamentum omnis notitiae religionis christianae est doctrina, Iesum esse vere Messiam. Hoc fundamentum, inquit, manere debet, nec fas est addere, quae huic meae doctrinae sint contraria.

12. Εἰ δέ τις — καλάμην) *Si quis autem huic fundamento superstruxerit statuas auro, argento obductas, lapides pretiosos, parietes et tecta ex lignis et stramentis facta.* Sicuti fundamento iacto superstrui potest vel domus regia, vel casa rustici: ita etiam initiis doctrinae christianae, recte et vere a me traditis addi potest copiosior institutio, vera aut falsa, maioris vel minoris pretii et momenti. Λίθους τιμίους intellige non gemmas, sed *lapides pretiosos:* χρυσὸν vero et ἄργυρον *statuas* auro vel argento obductas. Tibull. III. 3. 16. *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis, aurataeque trabes, marmoreumque solum?* Domui regiae, vel palatio, seu templo magnifico columnis auratis instructo, comparatur aedificium religionis, fundamento a Paulo posito superstructum, firmum et solidum; casae autem rustici ex parietibus ligneis et luteis, quibus stramen etiam adhibetur, comparatur aedificium religionis minus solidum et ve-

rum. Nam ξύλα, χόρτος, καλάμη, sunt parietes et tecta ex lignis et stramentis facta. Petronius 135. *Et paries circa palea satiatus inani, Fortuitoque luto clausos munibat agrestes.* Vitruvius VII, 3. *Quum paries totus luto inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannae clavis muscariis perpetuo figantur* etc.

13. Ἑκάστου — γενήσεται) Manifestum fiet, quale sit cuiusque opus, vel aedificium, fundamento superstructum. Τὸ ἔργον, *aedificium;* in applicatione similitudinis religionis aedificium. Sicut eventus ostendit, quaenam aedificia firma sint, quae infirma, ita suo tempore manifestum fiet, quale pretium sit statuendum his vel illis doctrinis, fundamento a me iacto superstructis. ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει) i. e. *Suo tempore manifestum fiet.* Latini hoc sensu dicunt: Dies docebit. ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται) Continuatur comparatio. *Igne detegitur*, sc. τὸ ἔργον, de quo in antecedentibus est sermo, aedificium. *Ignis* tropice de miseriis, calamitatibus, periculis, quatenus virtutem explorant. καὶ ἑκάστου — δοκιμάσει) *Et quale cuiusque aedificium sit, ignis explorabit.* Idem repetitur aliis verbis. Aurum ignibus invictum est; argentum et marmora diu igni resistunt; minus lignum, minime stramen et culmus. Sic etiam, quod religionem attinet, vera durant; firma nempe et utilia reperiuntur ad mentis emendationem, animi tranquillitatem, patientiam excitandam, et firmandam, in omnibus vitae vicissitudinibus. Quae autem in religione sunt minus certa et utilia, ea facile abiiciuntur, quum varii casus incidunt.

14. Εἴ τινος — μισθὸν λήψεται) *Si aedificium quod quis exstruxit in fundamento perdurat* (in flammis), *mercedem accipiet* pro suo labore; dignus erit laude

et praemio. Sic etiam qui fundamento doctrinae solidas et stabiles doctrinas superstruit, praemium reportabit, nempe gloriam et honorem stabilem apud ecclesias omnes habebit, et Deus eius studium, patientiam, et laborem ex gratia remunerabitur.

15. Εἴ τινος — ζημιωθήσεται) *Si aedificium, quod quis exstruxit conflagrat, iacturam faciet* laboris. Operam perdidit; laudem et praemium non reportabit. Sic etiam, Apostolus inquit, qui fundamento doctrinae a me iacto minus solidas et utiles doctrinas superstruit, damnum patietur. Nec sibi, nec aliis proderit opera, quam in commendandis his doctrinis et operibus consumsit. αὐτὸς — πυρός) *Ipse*, qui tale aedificium fundamento solido superstruxit, *evadere quidem*, dum aedificium flammis consumitur, et *vitam servare potest, sed magno suo periculo.* Fingitur architectus, qui eo tempore, quum aedificium a flammis corripitur, in eo versatur. — Sic etiam religionis doctor, dum videt, inutiles esse doctrinas a se superstructas fundamento, adipiscetur quidem salutem, ceteris paribus, sed non sine dolore ac moestitia. Σώζεσθαι ὡς διὰ πυρὸς est proverbiale ad significationem summi periculi: *vix ac ne vix quidem evadet;* quod nos dicimus: *mit genauer Noth.* Epist. Iud. Vs. 23.

16. Οὐκ οἴδατε, ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε) Redit ad comparationem coeptam supra Vs. 9. Aedificium, inquit, quod ego exstruere coepi, et in quo magis magisque perficiendo alii allaborant, non est usibus profanis destinatum, sed est templum sanctum. *Templum Dei* itaque h. l. denotat *totum coetum Christianorum* Co-

rinthi, quem Paulus colligere coeperat, non singula membra. Sequitur Paulus modum loquendi Scriptoribus V. T. usitatum, quo Deus saepius dicitur *habitare inter* Iudaeos, ipsique Dei templum et habitatio dicuntur, ut significetur, Deum ab hoc populo esse colendum, eumque populo inprimis esse beneficum. Levit. XXVI, 11. 12. Ezech. XXXVII, 27. Sic etiam *Philo* familiam Abrahami templo comparat. Rabbi *Aschek* ad Hagg. II. ait, populum Israeliticum dici templum Dei. Quanto iustius coetus Christianus ita nominatur! Sensus igitur est: *Vos estis coetus Deum colens, ipsique inprimis carus.* καὶ τὸ πν. — ὑμῖν;) Quemadmodum olim in V. T. Deus in tabernaculo primum, et deinde in templo Salomonis habitavit, et singularem suam praesentiam manifestavit; sic nunc Spiritus divinus operationibus suis varii generis vobis est praesens. Deus vim suam inter vos et in coetu vestro exserit, nempe per doctrinam Christi, saluberrimam et omni humana sapientia multo praestantiorem, qua animi vestri emendantur et tranquillantur.

17. Εἴ τις — φθείρει) *Si quis templum Dei violat*, i. e. coetui vestro sancto nocet. Nocent autem coetui doctores, qui fundamentis rite iactis non recte superstruunt religionis doctrinam. φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεὸς) i. e. *Gravissime puniet*, nisi nempe monitus resipiscat. ὁ γὰρ — ἐστιν) *Inviolabile est*, violari nefas est. Causa his indicatur, cur qui coetum corruperit, miser esse debeat. ἅγιον interdum indicat id, *quod violare nefas* est, ut Latinorum *sanctum*. Cic. pro Arch. c. 8. *Sit igitur Sanctum apud vos* —

hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. οἵτινές ἐστε ὑμεῖς) i. e. *Quod templum vos estis.* Nam Relativum inter duo Substantiva positum, modo recipit genus et numerum praecedentis, modo subsequentis.

18. Μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω) *Nemo vestrum semet ipsum decipiat.* Nempe sapientiae suae opinione abusus, et suis praecipue consiliis obsequi solitus, aliis et meis contemtis. εἴ τις — γένηται σοφὸς) *Si quis vestrum sibi videtur sapiens esse, is a vulgo hominum pro stulto haberi non recuset; tum enim sapientis nomine dignus erit.* Hic sensus verborum esse videtur. Assentior nempe iis, qui verba ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ cum sequentibus, μωρὸς γενέσθω coniungunt; *Hominum aliorum falso iudicio stultus fiat. Cyprianus* de bono patientiae, post initium: *Mundo huic stultus fiat, ut fiat sapiens.* Qui sapientiae laudem in coetu vestro sibi vindicant, videant, quibus consiliis regantur. Qui tantum humanae vitae consilia agitant, ii non sunt vere sapientes, etiamsi sibi et aliis sapientes videantur. Ii potius hoc nomine digni sunt, qui ob fidem in Iesum crucifixum, vanae gloriae et divitiarum contemtum, et omnium excelsarum virtutum studium *a plerisque* (ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ) pro stultis haberi solent. Quo magis enim quis in hoc genere excellit, eo magis nomine Sapientis, veri Christiani est dignus. Si verba ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ praecedentibus iunguntur, sensus est: *si quis sibi videtur esse sapiens seculi huius more* (si putat, se alios superare eruditione humana), *is indoctus fiat,* agnoscat ignorantiam

suam in rebus ad veram religionem pertinentibus, *ut fiat sapiens*, ut admittere discat veriorem doctrinam Christi, quae est summa sapientia.

19. Ἡ γὰρ — Θεῷ ἐστι) *Hominum enim sapientia Dei iudicio* (vel cum sapientia Dei comparata) *mera est insipientia.* Ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, est sapientia, cui homines sibi relicti operam dare solent, quam admirantur et laudant. Haec a Deo non pluris fit, quam stultitia. Intelligitur autem praecipue ea sapientia, qua homines, ingenio suo indulgentes, tantum humanae vitae consilia agitant, quibus opes, famam, honorem parare possint. Horum consilia Deus irrita facere solet. γέγραπται — αὐτῶν) Iob. V, 13. ubi LXX. habent: ὁ καταλαμβάνων τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ Φρονήσει. Δράσσειν, *prehendere*, pugno includere. Ὁ δρασσόμενος sc. ἐστὶ, pro: δράσσεται, *capit, prehendit.* Πανουργία, *vafrities, calliditas.* Praepositio ἐν vel pro σὺν, vel pro διὰ accipitur. Sensus igitur est: Utcunque sint vafri, eos tamen Dominus capiet; quum res ipsa declarabit, artes eorum id ipsum esse, quo sese involverint. Facit Deus, ut ipsa eorum calliditas iis noceat. *Er fängt die Weisen mit ihrer eignen Schlauigkeit. Pottus:* Deus efficit, ut homines, qui sibi sapientissimi videntur, sua ipsorum sapientia capiantur, ac ita, quam vana sit, agnoscant.

20. Καὶ πάλιν — μάταιοι) Ps. XCIV, 11. Διαλογισμοὶ, *consilia*, tam bona, quam mala. Εἰσὶ μάταιοι, *vana sunt*, i. e. exitu carent. Quod in utroque loco universe dictum est, Deum nempe facillime irrita facere prava consilia et vana studia hominum

sapientiae opinione turgentium, id Paulus applicat ad eam, quam tractat, rem. Hic etiam valet illud, quod in Iobo et Psalmo legimus: Deus novit, cogitationes sapientium esse vanas.

21. Ὥστε — ἀνθρώποις) *Nemo igitur superbiat hominibus; niemand sei stolz auf Menschen.* Hoc ii inter Corinthios faciebant, qui sibi ducebant honori, Pauli, Cephae etc. esse studiosiores. πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν) i. e. *Omnia vestris commodis inservire debent;* nos omnes, qui vobis Evangelium annunciamus, pro vestra salute laboramus. Simili modo Cic. de Fin. III. *Recte sapientis omnia dicuntur, quia scit uti solus omnibus.* Seneca de Benef. VII, 3. *Ingentis spiritus res est, quum Orientem Occidentemque lustraveris animo — quum tot animalia, totam copiam rerum, quas natura beatissime fundit, adspexeris, emittere hanc Dei vocem: Haec omnia mea sunt.*

22. Εἴτε — Κηφᾶς) i. e. Sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas res christianas feliciter agant, vestro communi commodo agunt. Vestrum est aliorum hominum opera, ut omnibus rebus humanis et vicissitudinibus sapienter uti ad vestrum commodum, ad maiorem profectum in cognitione et virtutis studio. εἴτε κόσμος) Reliqui etiam omnes homines, Deo ita dirigente, commodis vestris inservire debent. Κόσμος, *homines in mundo.* Apostolus itaque a speciali ad generale progreditur et felicitatem Christianorum praedicat. εἴτε ζωὴ, εἴτε θάνατος) *Vita et mors* in vestra quasi potestate sunt, hactenus nempe, ut inter calami-

tates etiam beate vivere, et quamprimum Deo ita placuerit, placide mori possitis. Sive vivatis, sive moriamini, felices eritis, si nempe estis vere Christiani. Θάνατος etiam pericula et calamitates huius vitae comprehendere videtur. Cf. Rom. VIII, 28. *Pottus* totius commatis sensum sic accipit: *Vestra sunt omnino omnia, vestri sunt sive Paulus, sive Apollo, sive Kephas; quinimo vestrum est totius mundi universum, sive illud in res vita praeditas seu destitutas, sive in res praesentes seu futuras distribueritis;* quibus enunciandis Ap. in universum praecepisse putandus est, *ut scientiam religionis christ. discant, undecunque eam discere possint*, neque tamen prae animi adfectu, quo correptus locum hunc conscripsit, ullo modo cogitans de singulari quodam modo ex centenis, qui animo concipi possunt, quo ζωὴν, θάνατον etc. ad animum christianum efformandum atque firmandum transferri velit. Plura vid. apud ipsum Pottum.

23. Ὑμεῖς δὲ, Χριστοῦ) Sc. peculium estis, non hominum. Fas non est, ut alii vos in servitutem redigant; nam unus Christus est Dominus vester. Χριστὸς δὲ, Θεοῦ) Dei est minister, quod ad opus mediatorium attinet, et omnia fecit ad voluntatem Dei. Ergo solum Deum et Christum tanquam summum Dominum vestrum venerari et colere debetis, non hominem ullum, quisquis ille sit. Sententiae Vs. 22. inceptae hoc Vs. addit complementum, ut sensus prodeat hic: omnem Christianorum fidem, omnemque ipsorum dignitatem atque praestantiam in eo inniti: od interveniente Christo, θεοδίδακτοι habendi sint.

CAP. IV.

1. Οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος) *Quilibet sic de nobis existimet.* Ἄνθρωπος, אִישׁ, i. e. ἕκαστος, quilibet. Ostendit nunc Apostolus, quo loco haberi debeant, quibus Corinthii hactenus iusto plus vel minus tribuerant, c. I, 12. III, 4. 5. Non igitur divelli debebat locus Vs. 1—6. huius capitis a capite praecedente. ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ) *Nos esse ministros Christi*, minime Dominos vestros, 1 Pet. V, 3. Simul tamen erigit, quos deiecisse videri poterat, c. III, 7. magnum est enim, Messiae esse ministrum. καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ) *Et curatores religionis divinae.* Οἰκονόμοι, proprie *administratores rei familiaris*, deinde etiam in genere *administri.* Μυστήρια non sunt Sacramenta quae vocantur baptismatis et sacrae coenae, sed doctrinae religionis christianae, quae *occultae* vocantur, quia omnibus hominibus ignotae essent, nisi Deus revelasset. Cf. Rom. XVI, 25. Doctorum est, has doctrinas ex voluntate Domini tradere, non excogitare novas, tanquam ad salutem aeternam necessarias.

2. Ὃ δὲ λοιπὸν) Idem valet, quod frequentius dicitur λοιπὸν, aut τὸ λοιπὸν. Usurpatur et de rebus et de temporibus restantibus; sed saepe, ut hic, orationem connectit, et vim eam habet, quam latina vox: *ceterum.* ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις) Ζητεῖται ad Latinismum accedit: *requiritur.* Vocis οἰκονόμου translationem persequitur. ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ) *Ut quisque fidelem se praestet*, tam ratione Domini, quam

ratione aliorum; ut nihil in suam rem ipse vertat, multo minus rem Domini quasi Dominus ipse usurpet. Εὑρίσκεσθαι, ut hebr. נִמְצָא et lat. *reperiri* pro *esse*. Esth. I, 5. 2 Chron. XIX, 3.

3. Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχιστόν ἐστι) *Mihi vero pro minimo id est, s. minimi id facio.* Similiter Themistius *orat.* 19. *de humanitate Theodos.* de Xerxe dicit: ᾧ παρ' οὐδὲν ἦν καὶ ἐν φαυλῷ ἀνθρώπου ἀποτεμεῖν κεφαλήν. — ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ) *Si a vobis diiudicor*, i. e. laudor aut vituperor. Ἵνα hic valet *si*. Ἀνακρίνειν denotat, sibi ius iudicandi, et probandi sumere, deinde, quod ex inquisitione in aliorum facta consequitur, vel vituperare, vel laudare. Respicere videtur Paulus ad I, 12. Laudabatur ab iis, qui Pauli se esse dicebant; vituperabatur ab iis, qui Petro, vel Apolloni adhaerebant. ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας) Hebraismus: *Dies* pro *iudicio*, quod die illo subeundum est. *Gerichtstag.* Sed et latine dicimus: *dicere diem.* Ἀνθρωπίνης addit, ut ostendat, omnes homines huius generis minus peritos harum rerum iudices competentes esse. ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω) *Nec ipse me laudo*, vel ita me diiudicare possum, et statuere atque certo definire audeam, an ceteris doctoribus, quos mihi vel praeferendos vel posthabendos censetis, merito sim praeferendus vel posthabendus.

4. Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα) Elliptice pro: οὐδὲν κακόν μοι σύνοιδα, *nihil mali mihi conscius sum*, i. e. nullius infidelitatis aut negligentiae in munere obeundo. Solemne est Graecis συνειδέναι in hac locutione cum

Accusativo iungere. Sic *Herodianus* Lib. VII. sub init. δυσμένειαν ἑαυτῷ συνειδὼς *quum malevolentiae* (aliorum) *sibi conscius esset.* ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι) *Sed propterea non ab omni culpa sum liber;* dignus laude. Ἐν τούτῳ, *propterea, eam ob caussam,* ut 2 Cor. V, 2. Δικαιοῦσθαι eodem sensu habes Act. XIII, 39. Rom. VI, 7. Non statim laudandus aliisque praeferendus est, qui in munere obeundo non potest negligentiae vel infidelitatis damnari; requiritur praeterea, ut meritis praestet ceteris. ὁ δὲ — ἐστιν) *Qui enim me iudicandi ius habet,* vel me recte diiudicare potest, *Dominus est.*

5. Ὥστε — κρίνετε) *Nolite igitur sententiam dicere ante tempus,* iudicii nempe divini. Κρίνειν, idem quod ἀνακρίνειν, arbitrari et sententiam dicere, utrum hic vel ille doctor praestet alteri; quam in rem tantum praesentium rerum iudicio ancipiti atque incerto utebantur. ὃς καὶ — καρδιῶν) *Qui etiam in tenebris abscondita, et interna animorum cogitata palam faciet.* Verbum φωτίζειν significat *in lucem proferre. Suidas:* φωτίζειν· εἰς φῶς ἄγειν, ἐξαγγέλλειν. Τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, *in tenebris abscondita,* quae mox explicat τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν, abdita animorum consilia. Videtur Apostolus innuere quorundam in coetu christiano Corinthi res novas magna specie molientium prava consilia, quae nondum patebant. Καὶ τότε — τοῦ Θεοῦ) *Et tum cuique suum elogium tribuetur a Deo.* Ἔπαινος h. l. in utramque partem accipiendum, et idem quod κρίσις significare videtur. *Hesychius:* ἐπαίνους· τὰς κρίσεις. Hoc sensu vocis uti Paulum h. l. censebat *Reinesius* ad marg. Hesych. Simili

sensu Latinorum *elogium* usurpatur. Vid. *Ernesti* in Clavi Cic. sub hac voce. Deus solus novit, quo animo hoc vel illud fiat; homines autem facile falluntur, quia externa tantum spectant, animum et mentem diiudicare non possunt.

6. Ταῦτα — δι' ὑμᾶς) *Haec autem, fratres* (quae de auctoritate doctorum modo scripsi, c. III, 5. seqq.), *ad me et Apollonem transtuli vestri caussa*, i. e. ad vos erudiendos. Ita locutus sum, quasi ego et Apollos essemus sectarum apud vos auctores, quum tamen alii sine nostra culpa nos aliis praeferant, vel prae aliis nos contemnant. Δι' ὑμᾶς, *vestro commodo*, ut a nobis discatis modestiam. Omnino Paulus exemplum modestiae praebuit in eo, quod nec eorum studia approbavit, qui eum aliis praeferebant, nec eos vituperavit, qui eum contemnere studebant, sed omnia a se et Apollone commodo Corinthiorum gesta ad Deum auctorem retulit. Μεταςχηματίζειν proprie est *mutare habitum*, 1 Sam. XXVIII, 8. Inde transfertur ad orationem, quae aliud videtur dicere, aliud innuit, cuiusmodi locutiones a Graecis vocari solent λόγοι ἐσχηματισμένοι. Ἵνα ἐν ἡμῖν — γέγραπται Φρονεῖν) *Ut nostro exemplo discatis, non arrogantius de se sentiendum esse, quam modo* (Vs. 1. 2.) *significavi.* Verba ὑπὲρ ὃ γέγραπται, non videntur esse referenda ad sacram scripturam V .T. sed ad hanc epistolam: Quam (modo) *scriptum est in his litteris a me. Schulzius* phrasin: μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται Φρονεῖν, explicat: *ita, ut decet, modestum esse, auf die gehörige Art bescheiden sein, non ultra normam praescriptam de se sentire*, ut nostri: *nicht über das vorge-*

schriebene Maas sich fühlen. ἵνα μὴ — ἑτέρου) Ne superbiatis alter contra alterum, pro hoc vel illo doctore; ne alius vestrum contra alium (e. c. Apollonius contra Paulinum) propter sectae suae principem, quem, posthabito altero, admiretur, animo se efferat. κατὰ τοῦ ἑτέρου, *in contemtum alterius*, h. e. ita ut alter deprimatur; quo ipsi eo magis praecellere videamini. Ἵνα h. l. cum Indicativo construitur, quod in hac vocis notione rarius est, exemplis tamen non omnino caret. Exempla vide ap. *Kypkium* in h. l. Cf. *Winer Gramm. des neutestamentl. Sprachidioms*, p. 122. edit. sec.

7. Τίς γάρ σε διακρίνει;) *Quis enim te praestantiorem ceteris reddit?* Vanum quendam inanique tumore inflatum doctorem alloquitur, qui fortassis Apostolum, a quo tamen doctrinam christianam acceperat, nunc contemnebat; sed et alios huic similes intelligit. Διακρίνειν, *discernere, secernere, praeferre*, quemadmodum *secernere populo* est apud Horatium. τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες) Sc. a nobis, Apostolis, et praecipue a Deo, a quo auctore omnia bona proveniunt naturae fautricis, opportunitatis, fortunae etc. Ceterum distributiva est oratio, hoc dicens: τίς μεταξὺ ἑνὸς ὑμῶν καὶ ἑτέρου διέκρινε; τί δὲ ἔχει τις ἐν ὑμῖν, ὃ οὐκ ἔλαβε; *Quis est, qui effecit, ut unus vestrum hoc, alter alio doctore uteretur? Quid tenet quisquam vestrum, quod non didicerit* ab uno vel alio Apostolo? Nempe λαμβάνειν saepe est *discere*, ἔχειν, *tenere, scire.* Non vestro ingenio, non vestris studiis et meritis debetis vestram religionis cognitionem et veri nominis christianam sapientiam, qua tantopere glo-

riamini; sed Apostolis et aliis doctoribus, qui, Deo procurante, vobis contigerunt, et omnia sua a Deo acceperunt. Non est igitur, cur gloriemini, Vs. 6. *εἰ δὲ καὶ — μὴ λαβών;*) *Quum autem tu etiam acceperis*, atque didiceris a me, vel ab alio doctore: *cur gloriaris, quasi non* ab alio *didicisses*, sed ipse tuis ingenii viribus excogitasses?

8. *Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ*) Ironia, pertinens inprimis ad falsos illos doctores, Pauli adversarios, inani fastu tumidos. Ut vos existimare video, nihil restat vobis expetendum, non magis quam iis, qui de epulis facti sunt saturi. Posset tamen etiam exclamatione vel obiurgatione constare haec oratio: Itane me vobis doctore amplius non opus est? Sic etiam reliqua explicari possunt. *ἤδη ἐπλουτήσατε*) Sc. sapientia, doctrina. Plus dicit hoc verbum, quam *saturati estis*. Etiam *superesse* vobis putatis, quod aliis donetis. Vestra instituta ita vobis placent, ut iis etiam alios velitis exornatum iri. *χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε*) *Sine me reges facti estis*, i. e. sine mea opera (ut vos putatis) tantum honoris et felicitatis fastigium assecuti estis. *Regnare* saepe dicuntur, qui id, quod volunt, consecuti sunt, qui nemini addicti, omninoque qui beati sunt et iucundissimarum rerum fructu florere videntur, qui in ulla re principem tenent locum. *Horat.* I. Epist. X, 8. *Quid quaeris? vivo ac regno, simul ista reliqua. Cic.* ad Famil. VII, 25. *Olim, quum regnare existimabamur. καὶ ὀφελόν γε ἐβασιλεύσατε*) Non equidem invideo; miror magis. Utinam res se ita haberet. *ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν*) Si enim tam fortunati essetis, si res vestrae ita essent in tranquillo, et extra

periculum, ut vos ipsi putatis: tutum mihi esset eo confugium, quo sane mihi et aliis Apostolis saepissime opus esset.

9. Δοκῶ — ἀπέδειξεν) *Deus enim, ut credo, nos Apostolos infimae conditionis homines constituit.* Ἔσχατοι h. l. sunt contemtissimi, infimae conditionis homines, quos Cicero etiam pro Rosc. Amer. c. 47. *postremos* vocat. Ἀπέδειξεν, *constituit*, qua notione haec vox saepe apud optimum quemque auctorem, et Iosephum A. I, 3. 4. occurrit. Λάμεχος Νώεον τῶν πραγμάτων ἀποδείκνυσι προστάτην τὸν υἱόν, *Lamechus Noeum filium rerum suarum praefectum constituit.* Δοκῶ, ut saepe apud Latinos *credo*, ironice hic ponitur. Si ex rebus secundis, ut vos videmini existimare, colligitur Dei favor: nos Apostoli collocati erimus infimo loco. ὡς ἐπιθανατίους) *Tanquam homines ad mortem damnatos.* Vulgo per ἐπιθανατίους intelligunt *bestiarios*, aut *ultimos gladiatorum*, quae significatio vero vix ex probatis auctoribus demonstrari poterit. Sunt potius ἐπιθανάτιοι *ad mortem damnati*, quo sensu Dionys. Hal. Ant. LVII. de saxo Tarpeio dicit: ἔστι δὲ τὸ χωρίον κρημνὸς ἐξαίσιος, ὅθεν αὐτοῖς ἔθος βάλλειν τοὺς ἐπιθανατίους, *ad mortem damnatos.* Sensus est, Apostolos similem eiusmodi hominibus tristem subire sortem; eos, aeque ac illi, aliis esse ludibrio: quo pertinet κολαφίζεσθαι, Vs. 11. λοιδορεῖσθαι, Vs. 12. etc. ὅτι θέατρον — ἀνθρώποις) *Nam tanquam qui in theatro proponuntur, ludibrio sumus mundo, et angelis et hominibus*, i. e. cunctis, omnibus creaturis in coelo et terra. Est μερισμὸς, Paulo solemnis, universitatis significationem

continens, ut in loco *Ciceronis* (ad diversos I. ep. 9.): *neque solum dixi, sed etiam saepe facio, Diis hominibusque approbantibus.* Quare non quaerendum, quomodo Apostoli *angelis* spectaculo esse potuerint? Sunt qui cogitant de angelis malignis, quippe qui, fabulis Iudaeorum de daemonibus ad rem christianam translatis et detortis, non minus caede ac sanguine, et quavis calamitate, quam angeli boni salute ac prosperitate Christianorum gaudere, eandemque promovere putarentur. Respicitur ad morem veterum, quo homines malefici in theatris non solum ignominiae ludibriique caussa exhibebantur, sed supplicio etiam afficiebantur. Apud Plautum saepius, *aliquem ludos facere.* Sic Philo *Legat. ad Caium* p. 1041. quum ipse et reliqui legati in diuturno cum Caio colloquio indigne habiti essent, se tandem respirasse dicit, τοιοῦτον ἀντὶ δικαστήριου θέατρον ὁμοῦ καὶ δεσμωτήριον ἐκφυγόντες, ὥσπερ γὰρ ἐν θεάτρῳ κλωσμοσυριττόντων, καταμωκωμένων, ἄμετρα χλευαζόντων, *postquam hoc non tam iudicium, quam theatrum et carcerem effugimus, nam quasi in theatro exsibilabamur, subsannabamur, et supra modum irridebamur.*

10. Ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστόν) *Nos imperiti et rudes sumus in religionis doctrina.* Ironice. Vos Corinthii vobis soli sapitis, me et socios meos ut indoctos parvi facitis. Διὰ Χριστὸν idem cum eo, quod statim sequitur ἐν Χριστῷ, *in religionis doctrina*, vel scientia religionis aliis tradenda. ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ) *Vos autem* peritissimi in tradenda doctrina Christi (vobis et aliis) *esse videmini.* Eruditionis nomine vos iactatis. ἡμεῖς ἀσθενεῖς, ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί) *Nos miseri,*

afflicti *sumus, vos autem potentes.* Alii: *nos timidi,* utpote nostrae ruditatis nobis conscii; *vos autem audaces et fortes.* ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι) *Vos illustres et honorati, nos autem contemti atque ignobiles.* Vos in honore estis, auctoritate gaudetis apud vestros, nos autem ob nostra studia in commendanda et propaganda religione Christi non honore, sed contumelia afficimur. Cf. supra II, 2. 3. I, 23. Abstinebant illi doctores, ut verosimile est, a doctrina de morte et cruce Christi, ne Iudaeos et Philosophos offenderent, idque sibi laudi ducebant; Paulum vero stulte agere putabant, quod tradendo doctrinam de cruce Christi se et religionem christianam ludibrio exponeret et calamitatibus.

11. Ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας) *Etiam nunc;* ne me de praeteritis tantum agere existimetis. γυμνητεύομεν) i. e. *male vestiti sumus.* Nam γυμνὸς, hebr. עָרוֹם saepe est, *male vestitus, pauper,* ut Iob. XXII, 6. Praecipua vitae incommoda recitat, unde intelligenda cetera eiusdem generis. κολαφιζόμεθα) Κολαφίζειν interdum per κατάχρησιν ponitur pro quavis gravi vexatione, ut 2 Cor. XII, 7. 1 Petr. II, 20. ἀστατοῦμεν) *Stabilem locum non habemus,* huc illuc oberramus; quod praecipue in Paulum convenit.

12. Καὶ κοπιῶμεν — χερσί) Act. XVIII, 3. 2 Thess. III, 8. Nos adeo lucrum non venamur, ut potius laborem durum perferre, et manibus nostris victum quaerere haud recusemus. λοιδορούμενοι, εὐλογοῦμεν) *Convitiis impetiti,* ut homines malis et perditis moribus

praediti, *bene precamur.* Non regerimus convitia, sed optamus convitiantibus meliorem mentem. Famam Pauli Iudaei inprimis proscindebant. Διώκειν est verbum forense et iudiciale, quod *accusare, litem intendere* significat, h. l. autem, ut saepius, de omnis generis vexationibus et iniuriis, inprimis ob religionem, usurpatur. Cf. Matth. V, 10. 11. 12. 45.

13. Βλασφημούμενοι) *Criminationibus petiti.* παρακαλοῦμεν) *Precamur*, i. e. bonis verbis, et comiter ostendimus, rem aliter habere se, quam adversarii nostri fingunt; obtestamur, ut velint desinere defamare nos. Alii supplent: *Deum.* Deum pro ipsis precamur. ὡς περικαθάρματα — ἕως ἄρτι) *Pro quisquiliis mundi, pro omnium purgamento nunc etiam habemur*, i. e. pro omnium bipedum nequissimis: *für den Abschaum und Auskehricht des menschlichen Geschlechts.* Sic *Iosephus* de B. I. IV, 4. 3. vocat ἀθύρματα καὶ καθάρματα τῆς χώρας ὅλης, *scelera et purgamenta totius regionis*, quos paullo ante nominaverat ἀνθρώπους ἐξωλεστάτους, *homines perditissimos*, et μυρίων θανάτων ἀξίους, *mille mortibus dignos.* Apud Graecos (Athenienses inprimis) περικαθάρματα dici solebant homines ignobiles, reipublicae inutiles, qui publice alebantur, et grassante peste aliove quopiam malo graviore ad expiandam urbem, Deorumque iram inde averruncandam, ad aras mactabantur, aut alio quocunque modo interficiebantur. *Aristophan.* Plut. 454. ὦ καθάρματα. Schol. καθάρματα ἐλέγοντο, οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς· τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. Glossarium V. T. περίψημα, ὑπὸ τὰ ἴχνη πατούμενον.

Glossar. Cangii: Peripsema, limatura metalli, et purgamenta pomi, et quisquiliae domus, et rasura cuiusque rei. *Curtius* VIII, 5. *urbium suarum purgamenta.*

14. Οὐκ — ταῦτα) *Non ut vos pudore suffundam, scribo haec.* Ad emollienda ea, quae in antecedentibus dicta erant paullo acrius, addit, se haec non scribere, ut Corinthios apud alias ecclesias traducat. Ἐντρέπων, pro ἐντρέψων. ἀλλ' ὡς — νουθετῶ) *Sed tanquam filios meos dilectos admoneo.* Non odium, sed amor me impellit, ut haec scribam. Emendandi, non vituperandi caussa haec a me dicta sunt. *Filios* appellat Corinthios, quia eos primus in religione christiana instituerat, et quia vero amore eos amplectebatur.

15. Ἐὰν γὰρ — πατέρας) *Si enim vel sexcentos paedagogos haberetis, postquam facti estis Christiani: non tamen multi vobis sunt patres;* i. e. non multi vobis prima religionis initia tradiderunt. *Per me*, ut statim addit, *Christiani facti estis*, non per alios. Ἐν Χριστῷ, *quod ad doctrinam Christi attinet*, quo sensu vocem Χριστὸς saepius iam habuimus. Μυρίους, *multos, quamplurimos;* nam Graeci hac voce utuntur, ad notandum numerum maiorem, certum pro incerto, ut Latini dicunt *sexcenti* pro multis. Post ἐὰν, εἰ, εἰ μὴ, haud raro ἀλλὰ, sive ἀλλάγε, *saltem, ad minimum, attamen* occurrit. *Paedagogus* dicitur is, qui *puero* aut *adolescenti* adest, ad mores eius formandos, et hoc loco opponitur *patri*, cui puer post Deum debet vitam. *Paedagogi* titulo simul inest notio

severitatis, in oppositione ad lenitatem, qua patres in liberos uti solent. Dicere poterant Corinthii: nos habemus alios patres, i. e. alios doctores praeter te, qui nos moneant. Respondet Paulus: Isti ceteri doctores vestri non tam patres, quam potius paedagogi vestri sunt; magis suum, quam vestrum commodum quaerunt. Respicit sine dubio ad falsos Corinthiorum doctores, quorum non exiguus numerus fuisse videtur. ἐν γὰρ — ἐγέννησα) *Nam per Christi doctrinam,* (hoc est) *per Evangelium ego vos genui*, Christianos vos effeci. Χριστὸς Ἰησοῦς, *doctrina Iesu Christi.* Explicationis caussa additur: διὰ τοῦ εὐαγγελίου. *Sanhedrin* f. 19. 2. *Dixit R. Samuel f. Nachmanis, dixisse R. Ionathanem: Quicunque filium socii sui docet legem, ad eum scriptura refert, tanquam si eum genuisset. S. D. Num. III*, 1. 2.

16. Μιμηταί μου γίνεσθε) Non eos, qui suis student commodis et doctrinam Christi pervertunt, sed *me*, patrem vestrum imitamini, ut morigeros filios decet.

17. Ὅς ἐστι — ἐν κυρίῳ) i. e. *dilectus et fidelis discipulus meus.* Quapropter explicationis caussa statim additur: Ἐν κυρίῳ, *quod ad Dominum*, i. e. religionem *attinet.* Qui filii instar meis consiliis obsequitur, et doctrinam a me traditam fideliter retinet, in cuius fide et diligentia acquiescere possum. ὃς ὑμᾶς — Χριστῷ) *Qui revocabit vobis in memoriam instituta, quibus omnes Christianos uti volo*, vel potius *methodum, qua in tradenda religione uti soleo*, et quidem ubique in omnibus ecclesiis. Ὁδοὶ ἐν Χριστῷ,

ratio docendae religionis Christianae; nam ὁδὸς, *ratio et modus docendi*, ἀγωγὴ, 2 Tim. III, 10.

18. Ὡς μὴ — τινες) ἐρχομένου μου, pro ἐλευσομένου μου, *me non venturum ad vos, nonnulli arrogantius et confidentius pronunciarunt.* Putabant, Paulum non audere ipsum venire Corinthum, et nunc praemittere, qui antea animos experiretur, eaque opinione nixi arroganter se gerebant. Paulus haec audire potuit ex Chloes domesticis.

19. Ἐλεύσομαι — θελήσῃ) Ita quidem sperabat Paulus, sed diutius differre hoc iter coactus fuit, ita ut alteram epistolam ex aliquo intervallo scripserit, priusquam eo rediret, 2 Cor. I, 23. Post elapsum demum annum Corinthum rediisse videtur. καὶ γνώσομαι — δύναμιν) i. e. *Experiar, non hoc, utrum sint illi inflati me disertiores, sed utrum plus effecerint quam ego.* Γνώσομαι, praesens cognoscam, experiar. Λόγος, *facundia*, dicendi peritia, ob quam nonnulli multum sibi sumebant, et Paulo se praeferebant. Δύναμιν, sc. horum hominum, quid tandem boni apud vos effecerint; an etiam mihi se opponere audeant. Inquiram equidem, non quaenam facundiae ipsorum, per se spectatae, praestantia sit, sed quamnam vim habuerit et efficaciam, ad auditorum animos veri cognitione imbuendos, commovendos, emendandos.

20. Οὐ γὰρ — δυνάμει) *Nam in religione Christi* tradenda *non quaeruntur dicta*, quid doctor prae se ferat, polliceatur, glorietur, minetur; *sed facta*, quid doctor agat et praestet. Haec simplicissima videtur

esse huius dicti interpretatio. Alii: *Nam regnum Dei non promovetur* et augetur *orationis artificio, sed vi et efficacia sermonis, durch Geist und Kraft.* Cf. supra c. II, 4. Vel: *ad beneficia per Christum nobis promissa consequenda, non tam sermone quam potius factis opus est, ut* βασιλεία τοῦ Θεοῦ, regnum Messiae, sit per metonym. *felicitas, qua fruuntur subditi huius regis* vel *Messiae.* Λόγος, *sermo, eloquentia.* Δύναμις, *facta,* quibus ipsa vis hominis conspicua redditur, *Thaten.*

21. Ἐν ῥάβδῳ) Castigaturus pro auctoritate Apostolica vanam aliorum iactantiam. An ut paedagogus severus veniam, an ut bonus pater?

CAP. V.

Graviter reprehendit Apostolus Corinthios, quod incestuosum quendam e coetu suo nondum eiecissent, et ex eo ipso clarum esse dicit, non esse iis satis iustas caussas gloriandi.

1. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία) Sc. εἶναι. *Omnino auditur esse inter vos scortatio*, i. e. fama fert, inter vos esse hominem scortationi palam adhuc deditum. Πορνείας nomine non sola scortatio significatur, sed omnis Venus contra fas, iura, bonosque mores, et veniunt eo nomine etiam coniugia illegitima. Potest tamen h. l. *scortationis* significatio obtinere. καὶ τοιαύτη — ὀνομάζεται) Verbum ὀνομάζεται abest a codicibus graecis optimis, a Versionibus plerisque, et Pa-

trum citatis. Tale probrum, dicit Apostolus, etiam in gentibus non reperiri, i. e. *vix* reperiri. Vere. *Cic.* pro Cluentio 5. 6. *Nubit genero socrus, nullis autoribus, funestis ominibus omnium. O mulieris scelus incredibile, et praeter hanc unam in omni vita inauditum.* Plutarchus *Seleucum* narrat, quum vellet *Stratonicen*, uxorem suam, filio sue Antiocho concedere, veritum, ne ipsa offenderetur τῷ μὴ νεμομισμένῳ, *ut re illicita. Ael. Spartianus* de Caracalla, qui novercam suam Iuliam uxorem duxerat: *ad parricidium iunxit incestum; siquidem eam matrimonio sociavit, cuius filium nuper occiderat.* ὥστε — ἔχειν) *Patris uxor* plerumque Hebraeis est *noverca*, ut Levit. XVIII, 8. An homo iste post mortem patris in coniugio vixerit cum noverca, an vero vivo parente eam sibi addixerit, vel abusus ea fuerit, quamvis ei non iunctus matrimonio, dubium est. Nam verbum ἔχειν utrumque significare potest, *in matrimonio habere*, ut Matth. XIV, 4. et *consuescere, coire cum aliqua*, ut apud *Diog. Laert. Aristipp.* ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι et ap. *Terent. Andr.* I, 1, 58. *quis heri Chrysidem habuit?* Verosimile tamen est, non vixisse cum ea in matrimonio, continuasse autem publice illud genus scortationis, quum tamen Christo nomen iam dedisset. Conferri hic merentur, quae monuit *Michaelis*, in Introductione in N. T. pag. 1035. sqq. edit. tert.; in primis vero *Ziegler*, theol. Abhandl. Tom. II. p. 50. s. Si *Maimonidi* fides habenda est, Iudaei putabant, licitas esse nuptias cum noverca post transitum a gentilismo ad iudaicam religionem. *Maimonides* ex Iebamoth f. 982. *Ducere potest prosesytus uxorem fratris sui paterni, vel uxorem patrui,*

quin et uxorem patris et uxorem filii, etiamsi ducta sit patri, patruo aut fratri, modo ad Iudaicam religionem transierint. Sed Maimonidi in hac re fidem adhibendam esse, Zieglerus negat.

2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστὲ) Inflati estis maioris cuiusdam sapientiae opinione. καὶ οὐχὶ — ποιήσας) *Et non potius cum luctu id egistis, ut e medio vestro tolleretur* (e coetu vestro excluderetur), *qui facinus hoc perpetravit?* Ἐξαίρειν ἐκ μέσου est *ex ecclesia excludere*, quomodo loquitur *Cyprianus.*

3. Ἐγὼ μὲν γὰρ) *Ego quidem.* Γὰρ h. l. est mera particula transeundi. ὡς ἀπὼν — πνεύματι) Deest ὡς in nonnullis codicibus, versionibus, et patrum citatis: non male. *Absens corpore, praesens vero animo et affectu.* ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν) *Iam decrevi, quasi praesens* vobis *essem.* οὕτω, *hac conditione*, re sic se habente, scil. ut, licet Christianus sit, τοῦτο κατεργασάμενον, *tamen hoc peregerit.* Κέκρικα, *plane decrevi;* ratum et fixum mihi est. Non continuo Apostolus animadvertit in reum sed *propositum sibi esse* dicit, si officio deesse pergerent Corinthii, apostolica sua uti potestate, tanquam si praesens esset, hominemque scelestum, quem ecclesia ipsa eiicere recusaret, exturbare Domini auctoritate. Quomodo autem hoc sit effecturus, in sequentibus declarat Paulus.

4. Ἐν τῷ — Χριστοῦ) i. e. *Auctoritate Domini nostri Iesu Christi.* Construenda sunt haec verba cum παραδοῦναι Vs. 5. συναχθέντων — πνεύματος σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κ. ἡ. Ἰ. Χ.) *Quum congregati fueritis*

(fortassis post Timothei adventum) *me quoad animum praesente* (absente quoad corpus), *iuvante Christi virtute.* Verba σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κυρ. ἡ. I. X. (ne commatis 4. principium et clausula idem dicant,) non, quemadmodum superiora: ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, cum vocabulo παραδοῦναι Vs. 5. copulanda sunt, sed cum proxima enunciatione: συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος (vobis congregatis et meo animo, h. e. vobis quasi cum animo meo congregatis, vobis mecum consentientibus). Σὺν δυνάμει Χριστοῦ, *virtute Christi.* Τοῦ ἐμοῦ πνεύματος. Sic *Livius X,* 397. *absentis collegae consilia omnibus gerendis intererant rebus.* Affirmat igitur Paulus, se affecturum esse incestum letali morbo *in ipso Christianorum conventu,* cui animo interfuturus erat iuvante Christi virtute, quae miraculum non modo effectura, sed ita etiam patratura erat, ut morbum sceleratus homo in ipsa concione nancisceretur, eumque igitur ob morbum, in quem subito ceciderit, ex consilio suo removere cogerentur, qui propter scelus expellere noluissent. Sic enim pergit Apostolus:

5. Παραδοῦναι — σαρκὸς) *Tradere hunc Satanae ad perditionem carnis,* i. e. ad corpus eius vexandum et cruciandum. Σάρξ, ut saepe, *corpus;* nam oppositum est πνεῦμα. Iudaica phrasi utitur Paulus. Iudaei enim putabant, insolitos et graviores morbos, quin mortem ipsam infligi hominibus a Diabolo, Deo ita iubente. *Schemoth XXI. Stetit Samael angelus ad accusandum; quid fecit Deus S. B.? tradidit illi Iobum — dicens: ecce eum in manu tua Iob. XVI,* 11. i. e. *tradidit me in manum Satanae — ea hora*

dixit Deus S. B. Mosi: Mose, ecce tradidi Iobum Satanae. De potestate Apostolis a Christo concessa immittendi morbos, vid. Ioh. XX, 23. Act. XIII, 11. Sic igitur modum describit Paulus, quo eiecturus esset scelestum hominem e coetu Christianorum, nempe per morbum ei subito inflictum. Alii locum nostrum explicant de *sola* excommunicatione, nullo interveniente miraculo. Qui enim ius christianae civitatis amittit, ille fit sicut ethnicus et publicanus, Matth. XVIII, 17. quod idem est ac si Satanae, extra ecclesiam regnanti traderetur. Sed obstare videntur verba: εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, quae nonnisi de morbo graviori intelligi possunt. Igitur omnino prior explicatio est praeferenda ἵνα — Ἰησοῦ) Ut animus (his castigationibus severis emendatus) servetur eo die, quo venerit Dominus Iesus ad iudicium.

6. Οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν) Corinthii in epistola, cui Paulus respondet, videntur scientiam iactasse; quod ipsis ironice hic obiicit, et alibi saepius. οὐκ οἴδατε — ζυμοῖ) *An nondum scitis, paululum modo fermenti omnem farinae massam penetrare?* Est proverbialis locutio, quam etiam habes Gal. V, 9. Hebraei per ζύμην intelligunt metaphorice omne illud, quod alia corrumpendi vim habet, sive sit doctrina, sive exemplum, sive aliud aliquid. *Neue Schalom*, f. 191. 2. *Rabbini vocant concupiscentiam malam fermentum in massa; quod, sicuti paululum fermenti fermentat totam massam magnam et corrumpit, sic corrumpit totum hominem.* Hoc loco ζύμη metaphorice significat incestuosum illum in coetu christiano Corinthi; et sensus est: *Unum illud flagitium universam so-*

cietatem facile potest corrumpere. Pro ζυμοῖ alii legunt δολοῖ, *corrumpit.*

7. Τὴν παλαιὰν ζύμην) Non solum eum hominem, de quo in antecedentibus est sermo, notat, sed et similes alios peccatores, quod patet ex Vs. 11. ἵνα ἦτε νέον φύραμα) *Ut sitis instar massae recentis*, quae non est corrupta fermento, i. e. ut coetus vester careat istis maculis. καθώς ἐστε ἄζυμοι) *Quemadmodum fermento abstinere vos decet*, i. e. quemadmodum vos ipsi (utpote Christiani) puri scelerum esse debetis. Singuli vestrum abstinere debent a vitiis. Paulus admonet, vel hoc nomine, quod Christiani dicantur, opus esse alia vita, quam fuit illa pristina. Forsan respicit etiam ad tempus Paschale, quo hanc epistolam scribebat, et quo etiam Christiani ex Iudaeis vescebantur azymis, ut sensus sit: Sicut nunc vivitis festos dies azymorum, huius caerimoniae adhuc tenaces. καὶ γὰρ — Χριστὸς) Ἐτύθη scribendum est, non ἐθύθη. Τὸ πάσχα, metonymice pro agno paschali. *Nam et paschalis agnus noster pro nobis mactatus est Christus*, i. e. nam Christus pro peccatis nostris mortuus est, et haec eius mors nos multo magis obligat ad puram vitam, quam illa caerimonia agni paschalis Iudaeos ad azyma. Prosequitur Paulus coeptam allegoriam. Uti agnus olim in salutem Israelitarum, sic et Christus in salutem nostram immolatus est. Sicut sanguine agni paschalis, allito postibus, liberati sunt Israelitae ab excidio; ita Christiani per sanguinem Christi adspersum quasi cordibus, i. e. per fidem ex passione Christi conceptam, liberantur a communi exitio generis humani. Quare a pristina peccandi consuetudine nos puros esse

decet. Igitur sensus est: Puri esse debetis a sceleribus, quia estis Christiani.

8. Ὥστε ἑορτάζωμεν) i. e. *Deo serviamus, Deum colamus.* Ἑορτάζειν proprie est *festum celebrare*, quod deinde transfertur ad cultum divinum in genere. Et quia celebratio festorum simul complectitur laetitiam, hoc verbum h. l. significat magno cum gaudio et oblectatione in vero Dei cultu recteque agendi studio occupari, et aeque lubenter in his obeundis, quam in diebus festis agendis versari. Philo de congressu quaerendae eruditionis gratia pag. 447. D. ψυχῆς ἑορτὴ, ζῆλος, ὁ τῶν ἀρίστων καὶ τελεσφορουμένων πόνος, *animae festum est aemulatio rerum optimarum, et labor ad perfectionem properantium.* μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ) *non cum fermento* apud vos *residuo*, i. e. non in societate scelesti illius hominis, incestuosi (quem supra Vs. 7. fermento comparaverat). μηδὲ — πονηρίας) i. e. *non in societate malorum et peccatorum.* Clarius dicit, quid sit: μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ. Est autem ζύμη κακίας καὶ πονηρίας pro: ζύμη κακὴ καὶ πονηρὰ. Κακία et πονηρία, abstractis positis pro concretis, sunt ipsi malitiosi et improbi homines, quos nondum e coetu suo eiecerant Corinthii. Sic etiam ex opposito εἰλικρινεία καὶ ἀληθεία sunt sinceri et probi Christiani. ἀλλ' ἐν — ἀληθείας) Sensus est: *Sed in societate hominum, qui verae et sincerae virtuti student.* Εἰλικρινεία, h. l. opponitur τῇ ζύμῃ, vel massae fermento mixtae. Hesychius: εἰλικρινὲς, καθαρὸν, ἄδολον, ἀληθὲς, φανερὸν. Basil. M. Reg. br. 264. εἰλικρινὲς λογίζομαι εἶναι τὸ ἀμιγὲς, καὶ ἄκρως κεκαθαρμένον ἀπὸ

παντὸς ἐναντίου. Ἀλήθεια, אמרת, *vera virtus*, verae virtutis studiosi.

9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ) Sicut 2 Cor. VII, 8. ἐν τῇ ἐπιστολῇ significat priorem epistolam, non vero illam ipsam, in qua haec verba reperiuntur: ita etiam hic intelligitur, ante primam, quam nunc habemus, scripta, sed iniuria temporum perdita epistola. μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις) *Ne admittatis in societatem vestram scortatores et scorta, ne familiariter utamini scortis.* Συναναμίγνυσθαι, *commisceri*, h. l. est ferre in societate Christianorum propria, vel potius *familiariter uti scortis*, atque cum illis versari. Sic התבלל vertitur ab Alexandrinis Hos. VII, 8. Πόρνος, licet alibi Graecis significet catamitum, cuius pudicitia venalis est; hic tamen latius patet, et utriusque sexus homines lascivos et impudicos denotat, ut ex orationis serie patet. Corinthii verba Apostoli ita interpretati erant, quasi Christianis ab omni consuetudine cum impudicis et lascivis, ethnicis etiam, abstinendum esset. Itaque mentem suam nunc explicat.

10. Καὶ οὐ — κόσμου τούτου) Sc. ἔγραψα, μὴ συναναμίγνυσθαι. Non est mens mea, ut abstineatis plane ab omni consuetudine scortatorum, extra societatem Christianorum viventium, nempe in vita communi, commercio et negotiis civilibus. In superiore igitur illa epistola iam scripserat Paulus de πόρνοις in ecclesia non tolerandis. Κόσμος h. l. ut saepe, denotat *Non Christianos.* ἢ τοῖς — εἰδωλολάτραις) Addit alia vitiorum genera. Πλεονεξία est *inhonestum lucri studium quodvis, cupiditas plus aliis acquirendi et possi-*

dendi, cum aliorum defraudatione coniuncta, Habsucht. Philoxenus in Glossis: *Fraudator,* πλεονέκτος. Plus est ἁρπαγὴ quam πλεονεξία, — nam ἁρπαγὴ vim habet adiunctam, ut raptus et rapina apud Latinos. ἐπεὶ — ἐξελθεῖν) *Alioqui* (si hoc vellem) *exeundum vobis esset ex hominum societate;* quod tamen absurdum esset, nec posset fieri, nisi neglectis aliis officiis societati hominum debitis.

11. Νυνὶ — ὑμῖν) *Sed haec fuit mens mea, quum ista scriberem.* Νυνὶ hic vim habet adversativam, ut apud Ciceronem saepe ponitur: *nunc vero.* Hoc volui, ne consuetudine utamini eius, qui Christianus dici volens, sit scortator etc. Ἀδελφὸς, h. l. *Christianus.* Pro ἢ legendum videtur ἦ. Εἰδωλολάτρης, h. l. non est idolorum cultor; talem enim Christiani vix in coetu suo tolerassent: sed is, qui epulis sacris in templis Deorum invitatus interest. Vid. c. X. τῷ τριούτῳ μὴ συνεσθίειν) Cum talibus, i. e. adeo vitiosis, et Christianorum nomen usurpantibus, ne epulas quidem habere communes, quod minimum est inter amicitiae signa. De sacra coena non loquitur Apostolus; sed de convivio, quo mores hominum per convivas corrumpi potuissent, quod de sacra coena omnino dici non potest. Aliis tamen hoc ad agapas Christianorum pertinere videtur, ubi suo iure Christiani uti poterant.

12. Τί γάρ — κρίνειν;) *Quid enim ad me pertinet, etiam eos, qui sunt extra ecclesiam, iudicare,* i. e. contra eos sententiam dicere? τί γάρ μοι, sc. μέλει, vel προσήκει. Τοὺς ἔξω vocat τοὺς ἐξωτερικοὺς, i. e. extra ecclesiam viventes. οὐχὶ· τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε.)

Sic omnino distinguendum videtur. *Minime; vos damnate* (et reiicite) *eos* sc. malos, *qui de nostra societate sunt.* Οὐχί, pro μηδαμῶς, ut Rom. III, 27. Κρίνετε, in Imperativo. Alii: *Nonne vos eos, qui Christiani sunt, debetis iudicare? Schulzius:* Nonne vos etiam in communi vita sic agitis, ut in eos tantum animadvertatis, qui ad forum vestrum pertinent?

13. Ὁ Θεὸς κρινεῖ) *Puniet eos,* suo scilicet tempore. Recte *Bengelius:* Cognitio de pernicie aut salute gentium est reservatum divinum. ἐξαρεῖτε — αὐτῶν) Ἐξαρεῖτε, fut. pro imperat. ut Deuter. XXIV, 7. καὶ ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, ad quem locum respicere videtur Apostolus. Alii legunt ἐξάρατε. *Eiicite improbum illum hominem e vestra societate;* non per capitale supplicium (licet haec formula in Libris Mosis alicubi id significet), sed per excommunicationem. *Pottus:* Cum iam nunc mentem meam recte perceperitis, et ius illud, removendi illius scortatoris, penes vos esse intellexeritis, Vs. 12., *sine mora hominem flagitiosum e societate vestra removete!*

CAP. VI.

1. Τολμᾷ — ἁγίων) *Audetne aliquis ex vobis, si habeat litem cum alio, litigare coram Idololatris, et non potius coram Christianis?* Alium abusum taxat Apostolus, quod nempe Corinthiorum nonnulli litigarent coram iudicibus ethnicis. Πρᾶγμα h. l. est *lis.* Κρίνεσθαι, *litigare,* ריב, ut Matth. V, 39. Ἄδικοι hic dicuntur Idololatrae, qui Deo non exhibent, quod

debent, qui mox Vs. 6. dicentur ἄπιστοι, et hic opponuntur τοῖς ἁγίοις, *Christianis*. Eleganti paronomasia utitur Paulus; nam δικασταὶ alias vocabantur, qui hic ἄδικοι. *Max. Tyrius* IX, 4. τίνων οὖν εἵνεκα ἀπελογίσατο Σωκράτης ἐπ' ἐκείνων τῶν Ἀθηναίων; ὡς ἐπὶ δικαστῶν; ἀλλ' ἄδικοι. ὡς ἐπὶ Φρονίμων; ἀλλ' ἀνόητοι. ὡς ἐπὶ ἀγαθῶν; ἀλλὰ μοχθηροί. Quum dicit τολμᾷ τις, indignum facinus existimari vult, quod tum faciebant nonnulli Corinthii. Iudaeis permissum erat a Romanis, habere litium suarum arbitros ex suis coetibus. Lib. I. Cod. tit. 9. leg. 8. de Iudaeis et Caelicolis. Hanc libertatem concessam fuisse Iudaeis iam tempore Apostolorum, valde est credibile. Eodem privilegio igitur et Christiani gaudebant, praecipue illi ex Iudaeis. Sed nonnulli Corinthii, spretis arbitris christianis, iudices ethnicos adierunt, fortassis ex male intellecta libertate christiana, ne Iudaeis se conformarent, quibus nefas esse videbatur litigare coram gentilibus. *Tanchuma* f. 92. 2. *Statutum est, ad quod omnes Israëlitae obligantur, eum, qui litem cum alio habet, non debere eam tractare coram gentilibus.* S. D. Exod. XXI, 1.

2. Ἢ οὐκ — κρινοῦσι;) *Num ignoratis, quod Christiani profanos iudicare possint?* Ὁ κόσμος, *profani* Iudaei et pagani. Οἱ ἅγιοι, *Christiani*. Quo sensu autem Christiani κρίνειν τὸν κόσμον dicantur, dubitant interpretes. Plurimi cum *Grotio* statuunt: secundum haec verba Pauli Christianos primum a Christo iudicatos fore assessores Christo, iudicanti alios, quod de Apostolis dicitur, Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. Quod *Pottus* etiam sequitur, qui Vss. 2. 3. sensum exprimit sic: *vos, qui*

olim iudicii a Christo de hominibus, immo de angelis habendi, socii eritis; multo minus indigni estis, qui causarum tam exiguarum, ut inter vos forte locum habent, iudices sitis et arbitri. Secundum alios sensus est hic: *Christiani condemnant, et damnare debent vitam improbam ceterorum hominum omnium,* sc. suo exemplo, vel: *iustam sententiam de improba aliorum hominum vita ferre possunt. Schol.* ap. Matth.: *ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι — κατήγοροι τῶν ἀπίστων γινόμενοι, ὅτι ὁμοιοπαθεῖς ὄντες αὐτοῖς ἄνθρωποι καὶ ἐπίστευσαν, καὶ χρηστὴν πολιτείαν ἐπεδέξαντο.* Sed recte monet *Noesseltus* (Opusc. Fascic. 2. p. 140. seq.) verbum *κρίνειν* de *facultate* iudicandi capiendum esse, ut sensus sit: *Christiani profanos iudicare possunt.* Illustrandus est nempe hic locus ex illo c. II, 15. 16., ubi Paulus dixerat, Christianos recte posse iudicare de profanis, i. e. horum agnoscere errores in rebus ad religionem pertinentibus. Nunc igitur concludit: *καὶ, εἰ ἐν ὑμῖν — ἐλαχίστων;*) *Quodsi igitur a vobis iudicari possunt profani: nonne caussas etiam minores iudicare possitis?* Est argumentum a maiori ad minus. Quod si agnoscere potestis errores profanorum *in rebus ad religionem pertinentibus:* quidni igitur terrenas etiam caussas iudicetis, quae et levioris sunt momenti et facilius ad aequitatis leges definiendae; siquidem sequi quisque Christianus admonitionem magistri sui velit, ut, quod sibi quisque velit dari, id det quoque alteri, omninoque mala ferre malit, quam fratribus inferre? *Ἀνάξιοι* sunt *inidonei.* *Κριτήρια* autem sunt *caussae*, de quibus contenditur, ut vel docent *βιωτικὰ κριτήρια*, Vs. 4. quae, nisi de caussis s. rebus, quae in

quaestionem veniunt, intelligi non possunt. Ἐλάχιστα, res et caussae parvae, de pecuniis, bonis, haereditate etc.

3. Οὐκ οἴδατε — βιωτικά;) *Num ignoratis, quod vel angelos iudicare possimus? quanto magis res huius vitae? Angelos*, i. e. homines, qui pro prudentissimis ab aliis haberi solent, si angelos etiam malos aequarent astutia et fallendi calliditate. Paulus nempe, ut magnitudinem periculi Christianis imminentis exprimat, saepe utitur imagine angelorum, qui sint Christianis inimici, iis tamen, adiuvante Deo, longe inferiores futuri, ut Rom. VIII, 38. 39. Gal. I, 8. 2 Cor. XI, 14. Col. II, 12. Κρίνειν autem h. l. ut supra c. II, 15. 16. habet vim agnoscendi erroris aut fraudis eorum, qui doctrinam christianam contemnerent, atque pro ea falsam aliam substituere ac commendare vellent. Ergo (verbis Noesselti utor,) sensus verborum in nostro loco hic esse videtur: Non ignoratis, si vel angeli vellent nobis veritatem doctrinae christianae mentiendo eripere, alienamque pro vera commendare, nos ita contra fraudem munitos esse per institutionem divinam, ut fraudem facile agnoscere, quidque veri vel falsi sit, iudicare possimus: quanto magis igitur possimus res vitae communis iudicare, idque quod rectum pravumque sit, discernere? Non valde differt *Schulzii* interpretatio, qui his verbis *universalitatem* exprimi arbitratur, ut Rom. VIII, 38. *Omnes homines, angelos adeo diiudicare possumus.* Etenim per Christum edocti, quid bonum sit, quid malum, quid iustum, quid iniustum, tam certe scimus, ut omnium hominum, et paene dixerim, angelorum

etiam actiones diiudicare possimus. Eadem igitur videtur esse sententia, quae supra II, 15. μήτι γε βιωτικά;) *Quanto magis* (diiudicare licet nobis) *lites de rebus huius vitae?* Μήτι γε *nedum, multo minus, multo magis*, prouti nexus orationis requirit. H. l. denotat: *multo magis.* Βιωτικὰ sc. πράγματα, sunt negotia ad res huius vitae pertinentia. Infra dignitatem Christianorum esse dicit, litigare coram Infidelibus, quum et sapientia et probitate praestare debeant omnibus reliquis hominibus, adeoque etiam malis angelis. Sumta haec sunt ex disciplina Hebraeorum, qui docent, non esse litigandum coram gentibus. Quare dicunt: *Qui adducit Israelem ad tribunal gentium, profanat Nomen, et honorat nomen idoli.* Drus. ad h. l.

4. Βιωτικὰ — καθίζετε;) *Quodsi igitur lites de rebus huius vitae habetis, an contemtos apud ecclesiam arbitros et iudices constituitis?* De significatione vocis κριτήρια, vide modo ad Vs. 2. dicta. *Contemti apud ecclesiam* videntur esse gentiles. Καθίζετε, in Indicativo, cum interrogandi signo. Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, iudicio ecclesiae. Καθίζειν sc. δικαστὰς *constituere iudices sive arbitros.* Reprehendit itaque Apostolus Corinthios, quod non ex Christianis, sed ex ethnicis sibi eligerent litium suarum arbitros, sive quod adversarios ad ethnicos traherent iudices. Hanc interpretationem sequentia verba postulare videntur. Alii sine signo interrogandi verba nostra legunt, et cum *Wetstenio* interpretantur: *Potius quam ut iudices ex gentibus adeatis, eligite litium vestrarum arbitros ex coetu vestro, vel illos, quos ad iudican-*

os existimatis. Sanhedrin f. 3. 1. *ria per tres iudices idiotas, iudicia aesionis per probatos.* IV. 2. *omnes iudicent lites pecuniarias. Storrius* 6. not. 8.): *Si iudices* (κριτήρια) *de vitam pertinentibus habere debetis*, iis inter vos omnino non opus esse): *ecclesiae homines* (si omnia recte se *o muneri abunde sufficere putandi* interpretatione h. l. κριτήρια *tropice* es caussae, qui veluti iudices sedebant, LXX. Dan. VII, 10. Καθίζετε autem signo imperativus esset. Sed durior ositio.

οπὴν ὑμῖν λέγω) Ut vos pudeat huius ut supra IV, 14. ὃς δυνήσεται — αὐ- Syro, scriptum hic olim fuisse: ἀνὰ οῦ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Nam ἀνὰ on dicitur. *Qui possit sententiam gantes fratres.* Fortassis etiam (ut ur) Singularis τοῦ ἀδελφοῦ *collective* XVII, 9. Ceterum hoc malum, ut Co- licibus ethnicis litigare inciperent, inde quod inter *diversarum partium* Chri- crebro lites fierent. In his autem liti- ecclesia, qui talem apud litigantes ut dirimere possent controversias inter utra pars litigans alteri satis fidebat, forte una pars arbitros dari vellet, tanquam adversariae factioni addictos

et in alienae sectae homines iniquiores horrescebat.

1. Ἦν μὲν — μεθ' ἑαυτῶν) *Iam* vobis vertendum est *vitio, quod litis* nos. Ἥττημα, vitium. Κρίμα, lis, ob damna parva, quae ceterum stabam tebant litigat, facit contra Christi praec V, 40. ἀπὸ — ἀπαιτοῦντος τὰ) Ἀδικεῖ aequo animo iniurias perpeti. Μειονε τινος ἐστ' ἀνήρ, ὃ Γαΐε, ἵνα ἀδικῇ ἑτέραται βροτῶν. Et videtur hoc verbu tem laesam, ἀπαιτεῖσθαι id rerum, tinere; nam ex his duabus causis nasc

6. Ἀλλὰ — ἀδελφούς) *Non modo* ipsi inferis iniuriis. Τοῦτο, quidem τοῦτο, *et quidem modo.* Ἰουδᾶς, Ἀπ ἄξιον μὲν ἦν — αὐτὸν τὸν Ἰούδαν — ἀδ στερήσας, καὶ ταῦτα οὐ τυχόντος ὑπερ Hoc eis dicit, quorum pejor erat causa.

9. 10. Ἄδικοι, *flagitiosi*, nimis d virtute praediti. Hinc latiorem sig lare videntur sequentia verba, ubi recensentur, βασιλείαν τοῦ Θεοῦ οὐ Regni Dei, i. e. beneficiorum per partorum, et futurae felicitatis in regno erunt participes. Nec nomine Christian neo aeterna felicitate frueretur, quamdiu sunt. Κληρονομεῖν, hebr. יָרַשׁ non tantu

et in alienae sectae homines iniquiores futuros, perhorrescebat.

7. Ἤδη μὲν — μεθ' ἑαυτῶν) *Iam hoc omnino vobis vertendum est vitio, quod lites habetis inter vos.* Ἥττημα, vitium. Κρίμα, lis, contentio. Qui ob damna parva, quae ceterum statum suum non evertebant litigat, facit contra Christi praeceptum. Matth. V, 40. διατὶ — ἀποστερεῖσθε;) Ἀδικεῖσθαι h. l. est *aequo animo iniurias perpeti.* Menander: οὗτος κράτιστος ἔστ' ἀνήρ. ὦ Γοργία, ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν. Et videtur hoc verbum ad dignitatem laesam, ἀποστερεῖσθαι ad rerum damnum pertinere; nam ex his duabus caussis nascuntur lites.

8. Ἀλλὰ — ἀδελφούς) Non modo non fertis, sed ipsi infertis iniuriam. Ὑμεῖς, *quidam* e vobis. καὶ ταῦτα, *et quidem, adeo. Ioseph.* Ant. XV, 5. 3. ἄξιον μὲν ἦν — οὐδὲ τοὺς Ἄραβας — ἀδικεῖν ἡμᾶς ἀποστεροῦντας, καὶ ταῦτα οὐ πολεμίους οντας, ἀλλὰ φίλους. Hoc eis dicit, quorum peior erat caussa.

9. 10. Ἄδικοι, *flagitiosi*, sicuti δίκαιοι saepe sunt virtute praediti. Hanc latiorem significationem postulare videntur sequentia verba, ubi varii generis vitia recensentur. βασιλείαν τοῦ Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι) *Regni Dei*, i. e. beneficiorum per Messiam nobis partorum, et futurae felicitatis in regno coelesti, *non erunt participes.* Nec nomine Christiano digni sunt, nec aeterna felicitate fruentur, quamdiu nempe tales sunt. Κληρονομεῖν, hebr. נָחַל non tantum est *haere-*

ditare, sed et in genere *possidere*, *tenere*. μαλακοὶ) *Molles* sunt alias Graecis generatim homines effoeminati, delicatuli, voluptatibus dediti; sed h. l. ubi tot hominum turpium inservientium libidinibus distinguuntur species, μαλακοὶ sunt pueri *pathici*, *cinaedi*, *muliebria pati adsueti*. Dionys. Halic. Ant. L. VII. de Aristodemo dicit, eum a civibus suis μαλακὸν, *mollem* vocatum esse: εἴθ' ὅτι θηλυδρίας ἐγένετο παῖς ὤν, καὶ τὰ γυναιξὶν ἁρμόττοντα ἔπασχεν, *sive quod in pueritia effoeminatus fuisset, et muliebria passus esset*, sive quod miti esset ingenio. Ἀρσενοκοῖται est ἀντίστροφον eius, quod praecessit. Πλεονέκται, fraudatores, inhonesti lucri studiosi. *Xenoph.* Memorab. καὶ γὰρ οὖν ὥσπερ οἱ πλεονέκται τῶν ἄλλων ἀφαιρούμενοι χρήματα ἑαυτοὺς δοκοῦσι πλουτίζειν etc. Nec obstat hoc nostro loco contextus, ut recentior quidam interpres putat; nam praecedit κλέπται.

11. Καὶ ταῦτά τινες ἦτε) Tales ex parte fuistis. Vox ταῦτα neutraliter ponitur pro οὗτοι, sive τοιοῦτοι. Sic apud Aristophanem in Nubibus Act. 1. sc. 5. Strepsiades quum plurima commemorasset convicia, quae in ipsum congeri possent, addit: ταῦτ' εἴ με λέγουσιν ἀπαντῶντες, *talem si me esse dicant occursantes*, faciant, ut libet. ἀλλ' ἀπελούσασθε — ἐδικαιώθητε) *Sed purgati estis* (a peccatis, veniam peccatorum nacti per Christum), *sed sancti et per Spiritum Dei nostri*, i. e. per religionem divinam, per eam doctrinam, quae Deum habet auctorem. Vid. supra cap. I, 30. Aliter explicat locum nostrum *Griesbachius* in Progr. 1783. scripto. Constituit nempe hunc sensum: *Sed baptis-*

mo suscepto purificati, et sanctorum iustorumque coetui aggregati estis. Ex eius sententia verba ἀπελούσασθε, ἡγιάσθητε, ἐδικαιώθητε synonyma sunt, nec peccatorum veniam, neque animi et morum emendationem h. l. indicantia, sed mutatam Christianorum conditionem describentia, quod scilicet segregati a profanis gentilibus et incredulis Iudaeis, ac participes facti sint beneficiorum et privilegiorum omnium, a Deo cunctis ecclesiae Christi membris concessorum, et per baptismum in singulos collatorum, quorum consideratio incitare Christianum quemque et potest et debet ad ingenuum sanctitatis studium.

12. Transit Apostolus ad aliud vitiorum genus, ex abusu libertatis christianae apud Corinthios ortum. πάντα μοι ἔξεστιν, sc. ex eo genere, quae dicuntur Adiaphora, quae corpori voluptatem creant. Omnia licet facere, quae non disertis legibus sunt vetita; vel populariter: *multa* licet facere. Respicere videtur Apostolus ad verba usitata illis Corinthiis, qui opiparas divitum mensas sectabantur, et epulis gentilium sacris in templis Deorum interesse solebant. Dicebant illi: *Omnia mihi licent,* i. e. Deus ista omnia nostri caussa condidit; quare nihil est mali, si eis utamur. *Mimesis.* ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει) Respondet Paulus, adhibendum modum: non enim omnem usum talium conducere aut valetudini, aut recto usui rationis, aut aliis hominibus. Sic Paulus ipse eligere potuisset iucundiorem vitae modum, contrarium isti, quem c. IV, 11. seqq. descripserat; sed tunc aliis non potuisset prodesse. πάντα μοι ἔξεστιν) Repetit hanc sententiam, ut pressius respondeat. Frequens talis obiectionum repetitio apud

Senecam. ἀλλ' οὐκ — τινος) *Sed ego non redigar ab ulla re in servitutem.* In servitutem autem redigitur licitarum etiam in se rerum, qui se carere ipsis non posse putat. Quod liberum est, non decet in perpetuam consuetudinem verti. Ἐγὼ, ubi sensum spectaveris, impersonaliter intelligendum est. Sed consulto (bene monente *Potto*) Paulus dixit ἐγὼ, ut, servato obiectionis tenore, adversario, dubio vix prolato, e vestigio quasi suggerat et insusurret, quae, vel se non monente, ad illud refutandum, ipsemet sibi respondere debuisset. Elegans est paronomasia in ἔξεστί μοι et ἐξουσιασθήσομαι. Ceterum notum est, Paulum saepius usurpare vocem πάντα, ubi de licito *ciborum* usu loquitur, e. c. Rom. XIV, 2. 20. 1 Tim. IV, 4. Unde non male suspicatur *Storrius*, licentiores Corinthios verba: πάντα μοι ἔξεστι, quae olim ex Apostolo, de *cibis* locuto, forte audierant, et de cibis *per se* spectatis intelligere debebant, transtulisse ad esum *cum idololatria* coniunctum, imo ad consequentem epulis idololatricis πορνείαν, Vs. 13. Apostolus igitur, de pronunciationis suae abusu per litteras Corinthiorum certior factus, docet: per se omnino, quae dixerit, licita esse; sed illicita fieri, quam primum usus libertatis nostrae aliis noceat, vel etiam *in se* licita in potestate nostra esse desinant, nosque potius ipsos ita in potestate sua habeant, ut iam non libertate nostra utamur, sed rapi nos patiamur ad ea, quae non conducant vel aliis vel nostrae ipsorum saluti.

13. Τὰ βρώματα — βρώμασιν) Sc. ἀνήκει, *destinantur.* Vel Dativi respondent hebraicae particulae ל,

quae saepe *propter* significat. Cibi sunt ventris implendi caussa, et venter ad cibos accipiendos et digerendos. *Ventrem* hic intellige ventriculum et intestina. In se itaque indifferens est, sive edas sive non edas hoc vel illud ciborum genus. ὁ δὲ Θεὸς — καταργήσει) Efficiet, ut cessent. Matth. XXII, 30. Usus ciborum ad hanc vitam sustentandam tantum est necessarius. Post hanc mortalem vitam nec cibis nec ventriculo amplius opus erit: quare his rebus non multum est tribuendum; et graviter peccant, qui tantillae rei caussa, quae in hanc humilem duntaxat mortalemque conditionem cadit, infirmioribus nocent. τὸ δὲ σῶμα — τῷ σώματι) *Corpus autem non scortationi, sed Domino* consecratum esse debet; *sicuti Dominus* se consecravit *corpori*. Corpus ad Christum et Christus ad corpus pertinet. Τὸ σῶμα, corpus hominis cum suis membris. Toti consecrati esse debemus Christo. Ergo non tantum animi nostri facultatibus, sed etiam corporis membris uti debemus ad voluntatem Domini. Sed plane contra voluntatem Domini agebant, qui dehonestabant corpus in delubro. Quod autem Christus *corpori* se consecrasse dicitur, id ita intelligendum esse videtur: Christum totius hominis salutem procurasse, hancque ob caussam dignum esse, cui animo et corpore serviamus. Fortassis etiam per τὸ σῶμα, cui Christus se consecrasse dicitur, intelligitur *coetus christianus*, qui haud raro τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ vocatur, e. c. Eph. I, 23. V, 23. et aliis locis. Si hoc sumimus: post σώματι supplendum erit αὐτοῦ. Alii de corpore vitae olim a Deo restituendo cogitant: corpus nostrum in societatem vitae futurae veniet. Sic in Versione *Ca-*

roli et *Leand. van Ess: so wie der Herr für den Leib* scil. *einst sich wirksam beweisen wird.* Apte ad ea quae sequuntur.

14. Ὁ δὲ Θεὸς — αὐτοῦ) *Deus autem suscitabit nos per potentiam suam, sicuti Dominum suscitavit.* καὶ τὸν κύριον — δυνάμεως αὐτοῦ, pro: ἐξεγερεῖ ἡμᾶς διὰ τ. δυν. αὐτοῦ, ὡς τὸν κύριον ἤγειρε, et hoc porro per metonymiam consequentis, pro: Quemadmodum Deus Christum e mortuis resuscitatum praemio affecit, ita etiam nos e mortuis resuscitatos remunerabitur. Sed Vs. 13. dictum erat, Deum effecturum esse, ut alimentorum usus et venter cessent. Excitabit igitur Deus mortuos longe diversissimo ab hoc, quo nunc utimur, corpore instructos.

15. Οὐκ οἴδατε — Χριστοῦ ἐστιν;) *An ignoratis, vos esse membra Christi?* Τὰ σώματα ὑμῶν, vos toti, quoad animum et corpus. Estis *membra Christi*, pars societatis christianae, ad eum singulari modo pertinentis, eique consecratae. Ergo τὰ μέλη Χριστοῦ sunt membra τοῦ σώματος Χριστοῦ, societatis Christianae Vs. 13. ἆρας — μέλη;) *Num igitur auferam membra Christi* (eripiam quasi iusto domino), *ut inserviant scorto?* Nefas profecto esset, hoc facere.

16. Ἢ οὐκ — μίαν) φησὶν nempe ἡ γραφή, ut alibi saepe. Quod de uxore dictum erat Gen. II, 24. aptat meretrici, quae est velut uxor usuraria, et iis fungitur, quibus uxorem fungi ius fuit. Εἰς σάρκα μίαν Hebraismus est pro σὰρξ μία, i. e. σῶμα ἕν, ut modo dixerat. Constituunt quasi personam unam,

et est inter eos intima voluntatis coniunctio. Scortator detrahit Christo, Domino et capiti suo amorem et obsequium ei debitum, et se mancipat scorto.

17. Ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ) *Qui adhaeret*, i. e. deditus est Domino, eiusque voluntati obsequi studet. Κύριος, Christus. ἓν πνεῦμά ἐστι) Ita animatus est, vel esse debet, quomodo Christus fuit animatus, adeoque etiam omnem animi et corporis impuritatem aversari debet. Metonymia, in qua caussa nominatur pro effectu. Sic amici dicuntur ψυχὴ μία.

18. Πᾶν ἁμάρτημα — ἐστιν) *Pleraque peccata, quae ab homine perpetrantur, extra corpus sunt*, i. e. magis aliis, quam ei, qui peccat, nocent. Τὰ πάντα saepe sunt *pleraque* ut hebr. כֹּל. H. l. ita sumendum esse πᾶν, ex eo patet, quod etiam vinolentia, intemperantia et alia vitia nocent iis ipsis, qui iis sunt dediti. Verissime *Pottus* observavit haec: Sententia Apostoli non ad summam ἀκριβείαν revocanda est, sed potius inde spectanda, quod nobis vel exhortantibus vel dehortantibus saepius accidere solet, ut sicuti virtutem, ad quam iam nunc potissimum alios excitare satagimus, omnium longe praestantissimam, ita vitium, a quo ipso perpetrando alios revocare conamur, omnium atrocissimum et perniciosissimum vocemus, licet, ubi omnia morose urgere velimus, virtutes praestantiores vitiaque perniciosiora cogitari possint. ὁ δὲ — ἁμαρτάνει) *Sed scortator in suum corpus iniurius est*, sibi ipsi nocet; robur et valetudinem corporis sui imminuit. Etiam gentiles peccata illicitae Veneris hanc ob caussam turpiora ceteris esse crede-

bant, quod haec in ipsum hominis corpus fiant. Aeschines in *Timarchum* de Timarcho dicit: ἐγὼ γὰρ, ὅσα μὲν παῖς ὢν εἰς τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ ἡμάρτηκεν, ἀφίημι. Verum quidem est, Aeschinem de *cinaedis* loqui: at de cinaedis etiam loquitur Apostolus: per πορνείαν enim omnes illicitae Veneris species intelligit, eamque opponit peccatis plerisque, quae ἐκτὸς τοῦ σώματος sunt. Cf. supra c. V, 11. VI, 9.

18. Ἢ οὐκ — ἐστιν) Vid. supra c. III, 16. *Schulzius* τὸ πνεῦμα, h. l. interpretatur *animum hominis. Annon scitis, corpus vestrum esse templum* vel domicilium *animi sancti*, mentis probae? Hunc sequitur *Krausius*, cui sensus horum verborum esse videtur: *annon scitis, corpus vestrum esse sedem animi, omnibus illis bonis instructi, quae Deus per Christum hominibus tribuit, scientia religionis perfecta, virtutis amore et studio, viribus ad studium illud persequendum* etc. Hoc vero πνεῦμα ἅγιον, *normam* vobis vivendi exhibere debet. Dilucidiorem huius loci interpretationem exhibet *Pottus:* «Paulus, communi aevi istius, de spiritu sancto cum hominibus per ipsum Deum communicando, sententiae innutritus, absque dubio sic intelligi vult: *inest vobis, praeter mentem humanam, et, succurrens ipsi, divinae particula, cui totos vos regundos permittere debetis, neque adeo corpore vestro pro arbitratu tam turpiter abutendi vobis superest potestas.* Unde nobis priscae istius notionis origines non negligentibus, sensus remanet hic: habetis praeterea, quod neminem vestrum fugere potest, in corpore vestro mentem sanam, eamque, uti recti honestique amore ac

studio, sic eius explorandi et persequendi facultate ac viribus instructam, ac, interveniente summo Numine, vestro pietatis studio promovendo, singulari modo, ac praecipue religionis christ. beneficio vobis impertiendo, benignissime providente, mirifice adiutam, qua prorsus vos indignos reddetis, si et in posterum pro sensuum arbitrio, foedae impudicitiae inservire velitis.» — οὗ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ, referendum est ad πνεῦμα, *qui vobis a Deo concessus est, quem debetis Deo.* καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν) proinde non estis vestrae potestatis, vel iuris vestri. Rom. XIV, 7. 8. Omnia vestra Deo debetis.

20. Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς) *Redemti enim estis* (magno) *pretio.* Alia caussa affertur, cur Christiani non sint sui iuris, sed addicti Deo; quia nempe Deus permultum impendit, ut eos faceret suos. Ἠγοράσθητε, *redemti, liberati estis*, nempe a superstitione, ignorantia, vitiositate et omni peccatorum miseria. Τιμῆς. Vulgata: *pretio magno;* recte quidem quoad sensum. Terent. Eunuch. I, 2, 53. *pretium* sperans illico producit: *Donatus*: deest *magnum.* Hoc magnum pretium, quo Deus nos redemit, est filius eius dilectissimus, Iesus Christus. Rom. VIII, 32. Eum nempe misit in mundum eo consilio, ut humani generis salutem procuraret. Quoniam igitur (inquit Paulus) omnia vestra, et hoc etiam insigne beneficium Deo debetis, quod estis Christiani: aequum sane est, ut gratos vos geratis. δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν) *Honorate Deum*, quod praecipue fit obsequendo. ἐν τῷ σώματι ὑμῶν) Non solo animo. Nam et corpus eius est, ei servire debet. καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι

τοῦ Θεοῦ) Haec verba absunt a codicibus optimis, Versionibus nonnullis, et Patrum scriptis bene multis, Latinis omnibus fere. Recte igitur omittuntur.

CAP. VII.

1. Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι) Elliptice. *De quibus ad me scripsistis, sic habetote.* Scripserant igitur Corinthii (fortassis Paullinae et Apolloniae partis) ad Paulum epistolam, in qua eum de variis rebus consuluerant. Respondet nunc Paulus ad varias sibi propositas quaestiones. Prima quaestio erat de matrimonio. Orta erat Corinthi controversia de matrimonio eiusque necessitate, ut ex ipso Pauli responso patet. Quaenam autem fuerint Corinthiorum de hac re diversae sententiae, id quidem non liquet. Fuerunt fortassis inter Iudaeo-Christianos, qui matrimonium eiusque necessitatem nimis extollerent. Nam hodieque Iudaei in ea sunt opinione, illum, qui XX annos natus matrimonium nondum contraxit, licet nec defectus quidam, nec assiduum legis studium obfuisset, in praeceptum divinum peccare. Vid. *Ikenii* antiquitt. hebr. P. III. c. 1. §. 2. Sed et apud Philosophos frequens erat quaestio, an sapienti ducenda uxor? Qui considerabant, quam parum commoda saepe sint mulierum ingenia, educatio liberorum quam molesta, quot periculis obnoxia, abstinendum a nuptiis censebant; quorsum spectant dicta *Lycurgi*, *Thaletis*, *Socratis*, et aliorum. Contra, qui publicas spectabant utilitates, dicebant, reipublicae, sicut alia tributa, ita et liberorum sationem

deberi; ut ostendit ad h. l. *Grotius*. Fortassis etiam Pseudapostoli plerorumque Iudaeorum more de coniugii praestantia iusto intolerantius gloriabantur, eiusque necessitatem, *Petri et fratris Domini* omniumque Apostolorum exemplo (c. IX, 5.) commendabant, et id cum sugillatione Pauli caelibis (infra Vs. 7.). Unde cupiditas Paulinorum facile aliquos in alterum extremum praecipitare potuit. Quum itaque *Corinthi* de hac re orta esset controversia: pii quidam homines Apostolum consulendum censuerunt. Respondet igitur Paulus ad propositam sibi quaestionem: καλὸν — ἅπτεσθαι) *Bonum fuerit viro, mulierem non attingere.* Per ἄνθρωπον h. l. *vir* s. *mas* intelligitur, ut Matth. XIX, 3. 10. Ἅπτεσθαι per εὐφημισμὸν pro *usu* mulieris sive in coniugio, sive extra illud. Xenoph. dict. et fact. Socr. L. I. suasisse dicit Socratem, τῶν καλῶν ἰσχυρῶς ἀπέχεσθαι· οὐ γὰρ ῥάδιον εἶναι, τῶν τοιούτων ἁπτόμενον σωφρονεῖν. Latinos quoque sic uti verbo *tangere*, notissimum est, et patet exemplis a Wetstenio allatis. Quod de mare dicit, intelligi vult etiam de muliere, quam satius esse putat abstinere a matrimonio. Praefert autem vitam sine nuptiis, quod sic expeditius quis Deo et ecclesiae, et Christianorum singulis inservire possit. Cf. etiam Vs. 26.

2. Διὰ δὲ τὰς πορνείας) *Vitandas* scilicet. Ut incestui occurratur. Pluraliter dixit πορνείας, ut omnia impuritatis genera includeret, c. VI, 9. ἕκαστος — ἐχέτω) *Suam* quisque uxorem habeat, et mulier suo viro contenta alterum non norit. Hebr. XIII, 4. Ἔχειν, ubi de coniugio agitur, et viro tribuitur et mulieri.

3. Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλὴν ἀποδιδότω) Τὴν ὀφειλὴν legunt Codices quidam Alexandrinae recensionis, quae cum occidentalibus convenit; sic et Vulg., Copta, Aeth., Latini plerique inde a Tertulliano, Clem. Al., Orig., Methodius. Recensio autem Antiochena et ceteri habent τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν. Sive ὀφειλὴν legas, sive ὀφειλομένην εὔνοιαν, intelligi debet *officium mariti cum uxore concumbendi*, quod vulgo *debitum coniugale* nominant.

4. Ἡ γυνὴ — ἐξουσιάζει) Γυνὴ, *coniux*, post initum matrimonii foedus. Οὐκ ἐξουσιάζει, non habet ius plenum atque integrum. Nam non vitae tantum, sed et corporum inita est communio. In re autem sociali nemo sociorum ius plenum habet.

5. Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους) *Nolite fraudare vos invicem*, sc. isto iure. Nulla pars se contineat ab altera, altera invita. Recte Chrysostomus: Ex ista continentia magna mala nascuntur, adulteria, stupra, domorum eversiones etc. εἰ μή τι — καιρὸν) *Nisi id fiat utriusque partis consensu, ad tempus (breve).* Εἰ μή τι, לא ם. Ex consensu semper abstineri potest, quantum ius coniugum attinet; volenti enim non fit iniuria. Sed addit: πρὸς καιρὸν, *ad tempus breve.* Hoc ex more Iudaico. *Cetuboth.* f. 62. 2. Si quis voto se obstrinxerit a concubitu uxoris, ei Schammaeani binas hebdomas; Hilleilani vero unicam tantum concedunt. Excipiuntur viri docti, qui in studio legis versantur, qui non sunt in potestate uxoris per XXX. dies. ἵνα σχολάζητε τῇ προσευχῇ) Vulgaris lectio est: τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ. Sed optimi

codices, versiones nonnullae et multi Patres Graeci Latinique omittunt verba: τῇ νηστείᾳ καὶ. Apud Iudaeos et Gentiles receptum erat, ut aut luctus caussa, aut propter dies festos celebrandos a concubitu abstinerent. Exod. XIX, 15. 1 Sam. XXI, 5. *Ioma* VIII, 1. *Die expiationis interdictum est cibo et potu, — et ministerio lecti. Iuvenal.* VI, 534. *Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor concubitu sacris observandisque diebus.* Tibull. II, 1. 11. *Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris, queis tulit hesterna gaudia nocte Venus. καὶ πάλιν — συνέρχεσθε*) Pro συνέρχεσθε alii legunt ἦτε, eodem sensu. In eundem lectum convenite. Nam ἐπὶ τὸ αὐτὸ est in eundem locum, ut Act. II, 1. ἵνα μὴ — ἁρπαγὴν ὑμῶν) *Ne Satanas* (si una pars non possit diutius ferre abstinentiam a matrimonii usu) *vos ad turpe facinus perpetrandum incitet. Catullus: Nupta tu quoque, quae tuus vir petet, cave, ne neges: ne petitum aliunde eat. Ialkut Simeoni* I. fol. 295. *Qui sine uxore habitat — concupiscentia prava ipsum vincit, egrediturque cum ipso in plateam. Satan stat, ipsumque e mundo perdere cupit.* S. D. Gen. IV, 7. Notum est, quicquid virtuti adversatur, omne malum morale interdum referri ad Satanam, Dei hominumque adversarium. Cf. Eph. II, 2. 1 Thess. II, 18.

6. Τοῦτο δὲ — ἐπιταγήν) *Hoc autem,* (quod nunc dicam Vs. 7. 8.) *dico ex mea sententia, non tanquam praeceptum.* Alii hunc Vs. cum Vs. 1. coniungendum existimant. Discernit Paulus suas opiniones a praeceptis Christi. Hoc quidem loco consilium dat, non praecipit, quid faciendum sit. Συγγνώμη hic non veniam delicti significat, sed aequam concessionem.

7. Θέλω — ἐμαυτὸν) Θέλω, *vellem, optarim nempe*, ut Marc. X, 35. Γὰρ h. l. valet *nempe*. Alii legunt δὲ, eodem sensu. Equidem vellem omnes homines esse, sicut ego sum; nempe habere donum continentiae. *Caelibes* esse omnes homines, non optare videtur Apostolus; sed potius, omnes homines ita esse affectos, ut, urgente necessitate, etiam sine coniugio vivere possint. Nec ad virgines hoc pertinere videtur, sed tantum ad viduos et viduas. Nam de virginibus infra Vs. 25. seqq. praecipit Apostolus. Cf. etiam quae statim sequuntur com. 8. ἀλλ' ἕκαστος — οὕτως) *Sed quisque proprium suum donum habet ex Deo; unus quidem sic, alius vero aliter.* Unus donum continentiae habet, alius non habet. Ergo nemini imperari potest continentia; etenim non omnibus datum continentiae donum a Deo. Videntur (ut suspicatur Storrius) quidam antiiudaicae partis socii in discrimen vocasse castimoniam suam, Pauli caelibatum, cui pares ipsi non essent, aemulantes; quin in ipso coniugio imitari affectantes (Vs. 3—5.), vel societatem initam omnino dissolventes, Vs. 10. seqq. 27.

8. Λέγω — χήραις) *Dico autem innuptis et viduis utriusque sexus.* Ἄγαμος ex vi vocis est tam, qui nunquam in coniugio fuit, quam cuius coniux est mortua. Graeci mulierem, amisso coniuge, χήραν vocant: ut vir, amisso coniuge, χῆρος dicatur, analogia permittit, usus popularis non recipit. Quare aliam vocem quaesivit Paulus, et ἄγαμον dixit, generis nomen pro specie usurpans. ὡς κἀγώ) *Sicut ego*, i. e. sine iterato matrimonio. Videtur igitur Paulus fuisse viduus. Quod autem multi et veteres et recen-

tiores statuerunt, Paulum in coniugio quidem, sed continentem vixisse, id quidem sine ratione dicitur.

9. Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται) Ἐγκρατεύεσθαι idem est quod ἀνέχεσθαι, ab aliqua re sibi temperare, abstinere. *Si continere se non possunt.* γαμησάτωσαν) *Matrimonium contrahant;* id enim commune maribus et foeminis. *Nubere* autem latine de foeminis tantum dicitur. κρεῖσσον — πυροῦσθαι) *Satius est matrimonium contrahere, quam uri,* i. e. aestuare libidine, ita, ut aut voluntas succumbat tentationi, aut certe Deum pacata conscientia non possis invocare. Virgil. Aen. IV, 68. *Uritur infelix Dido.* Ecl. II, 68. *Me tamen urit amor.*

10. Οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ κύριος) Comparate dictum: Non ego ex me, sed ex Christi auctoritate. γυναῖκα — χωρισθῆναι) *Ne uxor a marito se separet.* Passivum χωρισθῆναι hic est pro reciproco. Matth. V, 32. XIX, 4—9. De divortiis coram magistratu confirmatis Paulo non est sermo; sed potius de eo, quod inter coniuges propter discordias fieri solebat, suo arbitrio. Foeminis Mosis lex non dabat ius, a marito discedendi, sed Romanae et Graecae leges, illorum populorum ingeniis aptatae, id permiserunt. Pertinet autem hoc Pauli praeceptum ad coniuges, quorum uterque erat Christianus.

11. Ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ) Nempe interea temporis, antequam haec mea epistola ad vos perlata fuerit. καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι) Μὴ ἀποπέμψαι dicerent

Attici: *ne repudiet*, *ne exigat.* Hebraei dicerent: לֹא יְגָרֵשׁ, *μὴ ἐκβάλλῃ.*

12. Τοῖς δὲ λοιποῖς) *Reliquorum* appellatione eos intelligit, qui impari matrimonio constricti degebant. Horum multi in ea erant opinione, se salva conscientia non posse continuare matrimonium; Christianum veluti pollui infidelis consortio; quod Apostolus negat. ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ κύριος) i. e. *meam* sententiam dico; praeceptum Domini non habeo. Nempe Christus de iis coniugiis, in quibus alter esset Christianus, alter non esset, nihil dixerat, vel Paulo revelaverat. εἴ τις — ἄπιστον) *Si quis Christianus habeat uxorem idololatrida*, i. e. si quis vestrum iam vinctus fuerit tali matrimonio, quum Christo nomen dedit. Ἀδελφὸς, *Christianus.* Γυνὴ ἄπιστος, uxor non christiana, vel Deorum profano cultui addicta. καὶ αὐτὴ — μετ' αὐτοῦ) *Et ipsa voluerit apud eum manere*, continuare matrimonium cum eo, qui nunc est christianus.

14. Ἡγιάσται — γυναικί) Praet. pro Praes. *Nam Deo dicatur* et consecratur, vel consecrari facile potest *maritus infidelis* (Iudaeus vel Ethnicus) *per uxorem*, fidelem nempe, i. e. desinit quodammodo esse profanus et impurus, ob coniunctionem cum christiana uxore, et habet faciliorem aditum ad ius civitatis Dei. *Sanctum* h. l. opponitur profano et impuro. Quum igitur saepe ἀνάθαρτος sit profanus, non habens partem cum iuribus populi Dei, Act. X, 28. Ies. XXXV, 8. LII, 1. vi oppositionis ἁγιάζεσθαι dicitur, cui aperitur aditus ad iura populi Dei. Simili sensu dicitur in *Cethuboth*, IV, 3. Peregrina si proselyta facta fue-

rit, et cum ea filia eius, et haec adulteraverit, strangulabitur: *si concepta fuerit et nata in sanctitate*, est ut filia Israelitica per omnia. *Iebamoth* f. 35. 1. R. Abi dixit: Si concepta sit *sine sanctitate*, et nata *in sanctitate*, lapidibus obruetur. Expectandum est tribus mensibus, ut discernatur inter progeniem *sanctam* et *profanam*. ἐπεὶ — ἅγιά ἐστιν) *Alioqui*, nisi alter coniux per alterum purus factus esset, *liberi vestri profani essent;* non pertinerent ad societatem christianam; *nunc autem desinunt esse profani;* nam Deus ad educationem liberorum opitulatur parti meliori; cuius exemplum habemus in Timotheo, et haud dubium, quin extiterint alia eiusmodi, quum haec Paulus scriberet.

15. Εἰ δὲ — χωριζέσθω) *Sin autem infidelis coniux velit separare se* a fideli coniuge, *separet se.* χωρίζεται, actu primo, ut antea ἁγιάζεται. οὐ δεδούλωται — τοιούτοις) *Non constringitur Christianus aut Christiana* (legibus certis) *in huiusmodi rebus.* Tum alter coniux ei non amplius adstrictus est; libertate sua uti potest. Non obligatur, ut caelebs maneat, et reconciliationem expectet aut procuret. ἐν δὲ — Θεὸς) *Deus autem nos Christianos reddidit eo consilio, ut concordiae studeremus*, a discordiis alieni essemus. Ἐν εἰρήνῃ pro εἰς εἰρήνην, ut pacem colamus etiam cum paganis, quoad fieri potest, *Deus nos vocavit*, i. e. ad christianam fidem perduxit. His verbis restringere videtur antea dicta: εἰ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω, addito hoc monito: At quamvis (utor *Heydenreichii* verbis) danda sit coniugi infideli venia discedendi, si cum Christiano diutius vivere no-

lit; omnibus tamen modis curandum est, ne discedat; hoc tamen debet observari, ut fidelis pro sua parte nihil omittat, quo possit concors manere cum coniuge profano, sibique reconciliet animum eius; quamquam profanus si discedere velit, a christiano sit dimittendus, huic tamen non licet priorem discedere; quamdiu fieri potest, illum oportet etiam in impari coniugio pacem tueri, et praecavere, ne illa turbetur. Pacem enim Deus amat et aversatur dissidia; si pacem cum coniuge profano servandam curas, accidet forsan (Vs. 16.), ut illum quoque ad Christi castra adducas.

16. Τί γὰρ — σώσεις;) *Num enim satis certo scis, o uxor, annon maritum ad saniorem mentem* s. ad Christum *perducere possis?* Ut σωθῆναι saepe ad corpus refertur, sic ad *animum sanandum* transtulerunt etiam *Pythagorici*, *Iamblich.* de vita Pythagorae c. 9. Homini multis exercitiis opus est ad σωτηρίαν. Praecipue vero dicuntur σώζειν alii alios, quos ad Christum perducunt infra IX, 22. κερδαίνειν. Cf. 1 Petr. III, 1. *Bereschit R.* XVII, 12. *Factum pii, qui duxerat uxorem piam, et non procrearunt liberos. Dixerunt: Deo nihil prosumus. Steterunt et fecerunt divortium. Ivit ille, duxit impiam, quae illum impium fecit. Illa nupsit impio, quem pium fecit. Ecce omnia esse ex uxore.*

17. Εἰ μὴ — περιπατείτω) *Sed prout cuique sortem suam assignavit Deus, prout fuit externa conditio, in qua quemque Deus ad christianam religionem perduxit, in ea permaneat.* Εἰ μή, *sed*, ut apud Latinos. Cic. pro Roscio: *Quid erat, quod*

Capitoni primum nunciarit, nescio: nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium. Tum vero inverso ordine bis hic ὡς positum, ut supra III, 5. Μερίζειν, חלק dicitur Deus, quum alicui sortem aliquam assignat natalium, fortunae, coniugii. Καλεῖν, ad Christianismum perducere. Περιπατεῖν hic, ut הָלַךְ apud Hebraeos, est vitae genus sive institutum insistere. Mos est Pauli, obiter quaedam a re non aliena interiicere, ac deinde coeptum sermonem repetere. Itaque ex occasione eorum, quae de coniugio dispari dixerat, locum ingreditur communem de variis huius vitae conditionibus, quae saluti nihil obstent. Redit vero ad propositum comm. 25. *καὶ οὕτως — διατάσσομαι*) Nihilo vos plus quam ceteros onero. Paria doceo ubique tum praecepta, tum monita.

18. Περιτετμημένος—ἐπισπάσθω) *Si quis iam fuerat circumcisus, quum ad christianam religionem accederet, ne attrahat* praeputium. Μὴ ἐπισπάσθω sc. ἀκροβυστίαν. Tales Hebraei מְשׁוּכִים vocant quasi ἐπισπαστικούς, ab attractu pelliculae scilicet. Id fiebat arte medica. *Celsus* de medic. VII, 25. Faciebant hoc quidam, qui inter Graecos degebant, ne in gymnasiis, ludis et balneis publicis, si forte conspicerentur nudi, Graecis, ut fieri solebat, ludibrio essent. De filiis Tobiae 1 Macc. I, 17. dicitur: *καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίαν*, de quibus et Iosephus Antiq. XII, 5. 1. *καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες.* Nihil omnino caussae esse Paulus dicit, quod quem quasi pudeat, circumcisum fuisse, non enim esse meliorem conditionem eius, qui circumcisus non sit. Videntur in eorum numero,

qui Paulum amarent, et de variis rebus consuluissent, Exiudaei nonnulli fuisse, qui per Pseudapostolorum, circumcisione sua gloriantium, et Corinthiorum, huius forte laudis aemulorum despicientiam et odium de ipso circumcisionis vestigio delendo cogitassent; quum contra Exgentiles nonnulli, Pseudapostolorum auctoritate commoti, circumcidi vellent. Utrorumque errorem iam corrigit Apostolus.

19. Οὐδέν ἐστι) i. e. nullius est momenti, in salutis negotio, de quo hic agimus. ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ) Subaudi: momentum habet maximum. Gal. V, 6. πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, Gal. VI. 15. καινὴ κτίσις. Comprehendit itaque observatio praeceptorum Dei fidem in Christum cum omnibus fructibus fidei.

20. Ἕκαστος—μενέτω) *Unusquisque in ea conditione vitae externae maneat, in qua fuerat, quum ad christianam religionem accederet.* Est Paronomasia; nam aliud significat κλῆσις, aliud ἐκλήθη. Κλῆσις (appellatio) est conditio hominis, ex qua appellatur Iudaeus, Graecus, liber, servus, per metonymiam Hebraeis frequentem, quibus נִקְרָא, καλεῖσθαι statum alicuius aut conditionem significat. Verbum autem ἐκλήθη pertinet ad designationem temporis, quo quis ad fidem pervenit.

21. Δοῦλος ἐκλήθης) *Si tu in servili conditione factus es Christianus.* μή σοι μελέτω) *Noli hoc curare*, nec metuere, ne deterioris sis conditionis, quod attinet ad professionem religionis christianae. ἀλλ' εἰ—χρῆσαι) Si potes, volente domino, obtinere libertatem:

sume hoc. Non enim prohibet religio, quo minus vitae huius utamur commodis, si nobis offerantur.

22. Ὁ γὰρ ἐν κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος) *Qui enim, quum* adhuc *servus esset, perductus est ad Christianismum, per Christum.* ἀπελεύθερος κυρίου ἐστὶν) *Libertus est Christi;* libertate fruitur a cupiditatum ac vitiorum tristi imperio, quae libertas multo est melior ac augustior illa civili. Ἀπελεύθερος, i. e. ἐκ δούλου ἐλεύθερος ut *Hesychius* explicat.

23. Τιμῆς ἠγοράσθητε) VI, 20. Sc. e servitute illa, quam secum fert ignorantia, superstitio, et consuetudo illa hominum flagitiosorum. μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων) Nolite in vos ultro arcessere servitutem non necessariam, quam vobis imponere volunt pro suo lubitu e. c. doctores nonnulli, qui omnibus ad religionem christianam accessuris circumcisionem praecipiunt.

25. Περὶ—ἔχω) De virginibus, sc. quod rogabatis. Redit ad propositum. Nam quum de coniugibus et viduis egisset, respondet etiam de virginibus. Quod ad has attinet, nullum se habere Domini praeceptum, omnibus conveniens, fatetur. Παρθένων ad utrumque sexum refer, Vs. 26. 27. 32—34. *Suid.* sub voce παρθένος· Παρὰ δὲ Γοργίᾳ παρθένος ἐπὶ παντὸς ἀμετόχου τέτακται. Idem sub voce Ἀβέλ· οὗτος παρθένος καὶ δίκαιος ὑπῆρχε. Etiam apud Latinos *virgo* saepe tantum aetatis nomen est. *Horat.* Od. III, 17. 36. γνώμην δὲ δίδωμι) *Consilium do;* quod si secuti eritis, laudabo vos; sin minus, non damnabo. ὡς—εἶναι) *Ut cui Dominus ex gratia dederit, fidum esse,* fidem praestare,

scil. in munere administrando. Ἠλεημένος ab ἐλεεῖσθαι, quod est *beneficium sonsequi;* quod Verbum Passivum habemus Matth. V, 7. Rom. XI, 30. 31. *Schulzius: utpote quem Deus dignum habuit, cui crederet munus docendi religionem.* Gal. II, 7. 2 Tim. I, 11.

26. Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην) *Propter instantem calamitatem.* Luc. XXI, 23. Instabat per Romanum imperium magna Iudaicarum rerum conversio. Cum Iudaeis vero solebant Christiani partim matrimonia inire, partim facile confundi ab aliis. Instabat etiam persecutio per *Neronem.* Satius igitur erat, unum caput, quam multa obiicere tantis malis. Alii per τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην intelligunt aerumnas et calamitates in matrimonio viventibus perferendas. Prior sententia egregie confirmatur ex Vs. 29. sqq. Quicquid sit, *maioris perfectionis caussa* abstinendum esse a matrimonio, Paulus non dicit. τὸ οὕτως εἶναι) i. e. sicut virgines, sine coniugio scilicet. Ἀνθρώπῳ, utrumque sexum complectitur.

28. Οὐχ ἥμαρτες) Videntur omnino fuisse Corinthi ex illorum numero, de quibus loquitur 1 Tim. IV, 3. κωλύοντες γαμεῖν, i. e. qui peccati in loco reputarent, atque a tali peccato abstinendum esse dictitarent. Θλῖψιν—τοιοῦτοι) *Calamitatibus autem quoad externam conditionem obnoxii erunt tales.* Σὰρξ hic, ut saepe, est *externa hominis conditio,* corpore inprimis conspicua, res externae, et hoc quidem loco paupertas, exilia, carceres, fugae etc. Has autem calamitates magis sentiunt qui in matrimonio vivunt, quam caelibes. ἐγὼ δὲ ὑμῶν φείδομαι) i. e. Vestrum miseratione ducor.

Act. XX, 29. tutos et incolumes ab his calamitatibus vos praestare vellem.

29. Τοῦτο δέ φημι) *Hoc autem volo.* Explicat Ap. quod dixerat com. 26. et utilitatem consilii sui commendat ex rebus futuris sibi a Deo revelatis, praecipue a persecutione superventura per Neronem. ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστι) Τὸ λοιπόν, s. τὸ λοιπόν ἐστι multi sequentibus iungunt, ita interpungentes: ὁ καιρὸς συνεσταλμένος sc. ἐστι. Τὸ λοιπόν ἐστι, ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες κ. τ. λ. Sed plerique ad praecedentia referunt. Συνεσταλμένον *contractum, angustum, triste.* Nam verbum συστέλλειν, quod proprie est *contrahere, coarctare*, metaphorice significat, *in angustias redigere*, et si de *tempore* adhibetur, *molestum reddere.* Plerumque tamen hoc sensu de hominibus usurpatur. Sic 1 Macc. III, 6. συνεστάλησαν ἀπὸ τοῦ φόβου αὐτῶν. *Syrus* tempora *angusta, tristia* intellexisse videtur. Aliis καιρὸς συνεσταλμένος est *tempus contractum*, i. e. breve. Sensus: *Tempus breve posthac est*, nempe tempus quietis. Prior explicatio simplicior est; sensus non valde diversus. Tristia tempora mox esse secuta, negari non potest; paulo post enim instabat illud *Romanorum* bellum contra *Iudaeos:* quae publicae aliquot annorum calamitates etiam ad Christianos non parum pertinebant; erat enim per plerasque urbes Romanas magna Iudaeorum multitudo. ἵνα καὶ— ὦσι) Ἵνα secundum quosdam pro ὅτε, ut Io. XVI, 2. 3 Io. 4., ut sensus sit: Triste instat tempus, quum ii, qui uxores habent, pares erunt non habentibus, nempe quia quotidie in periculis erunt, ne alter alteri eripiatur per saevitiam iudicum aut inimicorum. Alii iungunt ἵνα verbo praecedenti φημί, ut sit sensus: *Dico,*

volo (quia triste tempus posthac est), *ut ii, qui habent uxores* etc. In universum Apostoli mens haec esse videtur: tanta futura est rerum mutatio, tot existent calamitates, ut nemo possit recte suis bonis uti.

30. Καὶ οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες) *Fletus* appellatione more Hebraeorum *res adversae* intelliguntur, quemadmodum *gaudium* denotat res secundas, per meton. effect. pro caussa. *Qui rebus adversis affliguntur, mox pares erunt iis, qui nunc prospera utuntur fortuna, et vice versa.* Paulo post ita convertetur praesens rerum status, ut nemo sit, qui sibi de rebus suis gratulari, aut de iis valde dolere debeat. καὶ οἱ ἀγοράζοντες, ὡς μὴ κατέχοντες) Qui e. g. fundum emerunt, pares erunt nihil possidentibus.

31. Οἱ χρώμενοι—ὡς μὴ καταχρώμενοι) *Qui huius mundi bonis utuntur, quasi non utantur;* qui opes habent, quasi non habeant. Καταχρώμενοι non est reddendum: *male utentes*, aliter non responderet antecedentibus, οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες etc., sed vertendum: *utentes, habentes*, Composito pro Simplici posito. Neque insolens Graecis, καταχρᾶσθαι pro χρᾶσθαι ponere, e. g. apud Ioseph Ant. III, 14. 2. IX, 8. 2. Latinos quoque *abuti* pro *uti* usurpare, vel tirones sciunt. παράγει—τούτου) *Praesens rerum status mox mutabitur:* quare nolim, vos distrahi terrenarum rerum curis. Παράγει, pro παρέρχεται, ut *Hesychius* interpretatur. Σχῆμα τοῦ κόσμου ex linguae ratione nihil aliud est, quam κόσμος s. *mundus*, ita tamen, ut ad praesentem rerum statum simul respiciatur. Sic apud Ioseph. Ant. III, 12. 3. σχῆμα τῆς δουλείας

simpliciter est *servitus*, respectu tamen ad servorum conditionem habito. Respicitur h. l. praecipue ad mundi Iudaici conversionem; sed verissima est etiam haec sententia de omni rerum humanarum indole. Omnis rerum humanarum status est instabilis atque varius.

32. Θέλω — εἶναι) Θέλω hic rursus est *velim*, et ἀμερίμνους intelligendum comparate. Minus enim curarum habet, qui se, non totam familiam curat. (Terent. Adelph. V. 4. 13. *Duxi uxorem; quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura.*) Haec altera est ratio, praeter illam de persecutione, cur caelibatus coniugio praeferendus. ὁ ἄγαμος—κυρίου) Post μεριμνᾷ supple μᾶλλον, et τὰ πράγματα; *diligentius* Domini caussam et quae ad cultum eius pertinent, procurare poterit. Vix aliud habet quod agat. Ἀρέσκειν h. l. *facere quae aliis placeant*, ut infra c. X, 33. coll. IX, 22. Gal. I, 10.

33. Ὁ δὲ γαμήσας — τὰ τοῦ κόσμου) Post μεριμνᾷ iterum supple μᾶλλον, et τὰ πράγματα. Magis curare debet, quae ad praesentem vitam in coniugio transigendam necessario requiruntur. τὰ τοῦ κόσμου h. l. non sunt per se vitiosa; nec Apostolus ita addicit mundo coniuges, ut a rerum divinarum cogitatione eos prorsus excludat: sed hoc dicit, variis curis circa negotia ad praesentem vitam pertinentia distrahi in matrimonio viventes. πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, quomodo faciat ea, quae uxori placeant. Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος) Ingens hic est lectionis et distinctionum varietas, quam *Griesbachius* diligenter annotavit. Codices enim et interpretes veteres 1) *vel* nihil adiungunt verbo

μεμέρισται, praeterquam quod textus noster offert, 2) *vel* adiiciunt huic verbo particulam καὶ ita, ut ea vel reperiatur *ante* hoc verbum: καὶ μεμέρισται ἡ γυνὴ κ. τ. λ. 3) *vel post* illud: μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, 4) *vel utrinque*: καὶ μεμ. καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος (quam lectionem *Pottus* assensu probat, vertitque: *eodem modo etiam nuptae et virginis diversa est sors*, s. *conditio*). Quae lectio sit origine prima, eaque ab ipsius Apostoli manu, difficile dictu videtur. *Prima* tamen, *tertia* et *quarta* lectio hactenus consentit, quod verbum μεμέρισται referendum sit ad ea, quae sequuntur, hoc est ad homines sequioris sexus, de quibus Paulus loquitur Vs. 34., ut Vs. 32. et 33. de maribus. *Secunda* lectio (quae duplici modo intelligi potest, ut ostendit *Noesselt* Opusc. Fasc. 2. p. 146.) nimis suspecta est correctionis, quae glossam induxit, ut tamen aliquis verborum sensus extorqueretur. Hoc saltim certum esse videtur, verba nostra non ad superiora s. ad mares, sed ad sequentia, s. ad foeminas referenda esse; atque sic nihil refert, quamcunque lectionem inter quatuor istas supra commemoratas sequaris. Disputatur autem de sensu verbi μερίζεσθαι in hoc loco. *Kypkius* vertit: *Distrahitur, s. curis implicita est et uxor et virgo.* Verbum μερίζεσθαι idem h. l. esse dicit, quod μεριμνᾷν, et hoc patere ex sequenti partitione, ubi Apostolus curas, quas uxores haberent et virgines, distincte recenset. Nota est etymologia τῶν μεριμνῶν, ἀπὸ τοῦ μερίζεσθαι τὸν νοῦν. *Noesselt* l. c. vertit: *Et uxor habet suas curas et virgo*, s. *districta est et coniux et virgo*, sensu eo, quo verbum est apud Ciceronem ad divers. II, 15. i. e. suas quaeque habet curas, quamquam diversas. Qua-

les autem? id statim comm. seq. dicitur. Aliis rectius μεμερίζεσθαι (in neutro) h. l. est *differre*, *dissimilem esse*, ut sensus sit: *Eadem diversa conditio est nuptae et virginis*, nempe diversis sunt studiis. Chrysostomus μεμέρισται reddidit: διεστήκασι. Duae hae explicationes sensu non differunt.

34. Ἡ ἄγαμος—τῷ ἀνδρί) *Quae* videlicet *non nupta est*, s. virgo magis *intenta potest esse caussae Domini, ut sancta sit et corpore et animo; sed nupta*, s. coniux magis *collicita est de rebus huius vitae, quomodo placeat marito. Sancta* h. l. non dicitur de virtute, quasi coniugium sit in vitio (haec enim interpretatio esset contra ipsius Pauli verba Vs. 28.); sed sensu verbi hebraico, quo *sanctum* disiungitur a communi; atque significat *singulare*, inprimisque quod praecipuo quodam modo, quamquam non nisi externo, sacrum Deo dicitur, ut primogeniti inter Israelitas Luc. II, 23., Hierosolyma, Matth. XXVII, 53., mons sanctus 2 Petr. I, 18. et similia. Utrumque autem membrum comparative esse intelligendum, in promptu est. Πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρί) *Stobaeus* S. XXII. Θεανὼ ἡ πυθαγορικὴ φιλόσοφος ἐρωτηθεῖσα, τί πρῶτον εἴη γυναικὶ, τὸ τῷ ἰδίῳ, ἔφη, ἀρέσκειν ἀνδρί.

35. Οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω) *Non ut laqueum vobis iniiciam*, i. e. non ut vobis vim faciam, necessitatem vobis imponam ex arbitrio meo agendi. Βρόχος idem h. l. est quod παγίς, et usus τῶν βρόχων praecipue erat in bellis, in proeliis et obsidionibus, ubi hostes *laqueo iniecto* ad se pertrahere et capere solebant. Ergo *laqueum alicui iniicere*, est ca-

ptivum illum reddere, libertate illum spoliare. Manet Paulus in metaphora, et vinculo coniugali opponit laqueum collo iniectum. ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως) *Propter decentiam et assiduitatem apud Dominum absque distractione;* i. e. *Ut decenter et assidue adhaereatis Domino sine distractione.* Adiectiva τὸ εὔσχημον et εὐπάρεδρον, pro quo alii legunt εὐπρόσεδρον, sensu manente eodem, pro Substantivis posita esse haud obscurum est. Πάρεδρος, sive πρόσεδρος est, qui alteri assidet, qui alteri frequenter adhaeret. Τῷ κυρίῳ elliptice positum est, pro πρὸς s. παρὰ τῷ κυρίῳ, apud Dominum. Supressa est praepositio, utpote iam latens in voce εὐπάρεδρον s. εὐπρόσεδρον. Ἀπερισπάστως, *absque distractione*, i. e. ἄνευ τοῦ μεριμνᾶν τὰ τοῦ κόσμου, Vs. 54.

36. Εἰ δέ τις—ὑπέρακμος) *Si quis vero putat, se ignominiam subiturum esse propter filiam suam, si fiat plus quam matura.* Euripides in Hecuba v. 407. *Num vis* ἀσχημονῆσαί τ' ἐκ νέου βραχίονος σπασθεῖσ', *dedecorari iuvenili brachio avulsa?* ubi Scholia Arsenii ἀσχημονῆσαι explicant per ἀτιμασθῆναι. Praesens ἀσχημονεῖν vicem futuri ἀσχημονήσειν sustinet. Vereri possunt nempe parentes, ne, si quid turpe pro sexus sui et aetatis fragilitate admittant filiae virgines, id sibi commune cum filiabus adferat dedecus. Τὴν παρθένον αὐτοῦ, *virginem suam;* elegans est constructio, pro: *filiam suam virginem.* Ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος, *si fiat plus quam matura;* nam ᾖ saepe pro γένηται ponitur. Virgo ὑπέρακμος est *plus quam adulta,* primos iam supergressa

pubertatis annos. Respicit Corinthiarum puellarum ingenia. Priora verba posses etiam vertere: *Si quis putat, se aliquid indecorum committere erga virginem suam.* Rabbinorum est sententia: *Si filia tua sit* בוגרת, *ὑπέρακμος, manumitte servum tuum, ut ipsi eum facias maritum.* *καὶ οὕτως ὀφείλει γενέσθαι*) Si urget necessitas ex corpore aut animo puellae. *Ὃ θέλει, ποιείτω*) Det eam nuptum. Ea enim res more Iudaeorum qui et nunc obtinet, ex auctoritate patrum pendebat; nec minus more Graecorum. *γαμείτωσαν*) Nempe ipsa, et qui ipsam desiderat.

37. *Ὃς δὲ — καρδίᾳ*) *Si quis vero animo sibi satis constat.* Opponitur phrasis animi levitati et inconsiderantiae, cuius generis homines sibi non constare dicuntur. *μὴ ἔχων ἀνάγκην*) *Si nulla necessitate prematur,* i. e. si praeterea tali proposito nec corpus nec anima filiae obsistit, nam *intactae dura est custodia pubis; nec patitur formosa moras.* *ἐξουσίαν — θελήματος*) *si libere, et plane e suo arbitrio agere potest,* e. g. si coniux non obstet, si filia virgo ipsa *imperare voluntati suae* (affectibus suis) *possit.* Multis verbis eandem rem persequitur, quia non vult nolenti filiae necessitatem virginitatis imponi. *καὶ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ*) *Et hoc omnino animo decrevit,* scil. filiam suam nemini in matrimonium dare. *Κέκρικε* dicunt Philosophi, ubi aliquid plane decreverunt.

38. *Ὥστε καὶ ὁ ἐκγαμίζων — κρεῖσσον ποιεῖ*) *Itaque et qui nuptum dat, recte agit; qui autem non nuptum dat, melius facit.* Ille non peccat; hic vero magis consulit commodis filiae suae, ob rationes Vs. 26. sqq. allatas.

59. Γυνὴ δέδεται νόμῳ) Vincta est lege coniugii. Deest νόμῳ in multis, sensu eodem manente. Videntur Corinthii consuluisse Paulum de viduis, an licitae sint nuptiae secundae? quod nonnulli negarunt. Respondet Paulus, licitas esse; sed addit: μόνον ἐν κυρίῳ) i. e. modo sit Christianus maritus, quem sibi vidua eligit. Sic Tertullianus saepe, Hieronymus aliique vetustiores. Ita et hic accepit Arabs.

40. Μακαριωτέρα—μείνῃ) Felicior, tranquillior, securior, si ita maneat, qualis est, innupta nimirum. δοκῶ — ἔχειν) *Videor autem et ego mihi veram religionis scientiam*, vel sincerum affectum Deo et piis serviendi *habere*. *Pottus:* Putaverim tamen, nemine vestrum repugnante, et me frui spiritu divino, ita ut inde et aliqua ad consilia auctoritas redundet.

CAP. VIII.

1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων) Verisimile est, de hac ipsa etiam re retulisse Corinthios litteris suis. De Idolothytis diximus ad Act. XV, 20. Mos erat gentilibus, ut epulas ex sacrificiis in ipsis templis ad honorem Deorum cum amicis instituerent. Hoc factum Corinthi, patet ex Vs. 10. huius capitis, et X, 20. 21. Ad has epulas veniebant multi Christiani, ab amicis ethnicis vocati. Ex sensu communi hoc aliam interpretationem vix poterat recipere, quam ab iis, qui talibus immolatitiis vescebantur, approbari cultum Idolorum, cf. Num. XXV, 2. At isti Corinthii, nomine Christiani, intus Graecanici Philosophi, sicut istud de incestis, ita

et hoc ad dialecticas quasdam disputationes trahebant. Argumentati sunt ita: *Idolum re ipsa non subsistit; quod non est, contaminare animum non potest; nihil ergo in eo peccati, si in templo epuler.* Fortassis etiam (quae Storrii est coniectura) ea pars Corinthiorum, quae Paulo et Apolloni adhaerebat, per ipsum veritatis tuendae studium, vel per affectuum intemperantiam, ut in aliis, sic in eo etiam deflexit, ut huius partis exgentiles plures, Pauli exemplo moti, non modo victimarum idolis mactatarum reliquiis venalibus vel suae vel ethnicorum domi vesci solerent, sed sacrificis etiam epulis in idoli cuiusdam delubro interesse non dubitarent. Paulus itaque Corinthios rectiora docet. Περὶ δὲ—γνῶσιν ἔχομεν) *De iis autem, quae idolis sunt immolata, novimus quod omnes intelligamus*, sc. quam recte iis liceat vesci. Assentior *Noesselto* (Opusc. Fasc. 2. p. 150. seq.) qui haec verba non Pauli esse arbitratur, sed Corinthiorum, quorum sententiam recitet, atque tum contra dicat: ἡ γνῶσις φυσιοῖ κ. τ. λ. Paulus enim, qui infra com. 7. scribit: οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, aperte sibi contradixisset, si Vs. 1. affirmasset, ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν. Sunt igitur haec Corinthiorum verba, fortassis in ipsis litteris ad Paulum datis expressa, quibus sive sententiam suam de iure idolothytis vescendi defendebant, sive consuetudinem excusabant, quibus Paulus obiicit ea quae sequuntur. Plerique interpretes verba ὅτι πάντες—ὑπ' αὐτοῦ parenthesi concludenda putant, hac ratione ducti, quod Vs. 4. iisdem paene verbis Paulus orationem persequatur. Sed non eadem est sententia Vs. 1—3. et Vs. 4. seqq. Nostro enim loco *universe* admonet, cavendum esse, ne illo recto iudicio abutantur; sed comm.

4. sqq. examinat rationem, qua Corinthii ius suum defendebant. ἡ γνῶσις — οἰκοδομεῖ) Huiusmodi *intelligentia contemnit alios*, facit, ut nullam rationem habeamus eius quod aliis de ea re videatur, *amor autem consulit iis.* Haec et quae Vs. 2. et 3. sequuntur, obiicit Paulus illis Corinthiorum verbis, et, quoniam obiter quasi dicta sunt, uncis includi possunt. Γνῶσις, ut contextus docet, h. l. neque de cognitione universa, neque de doctrinae s. litterarum excellentia, sed de recti conscientia est intelligenda, sive de persuasione quod recte ac sine officii negligentia fieri aliquid possit. Cf. Vs. 7. et c. X, 28. sq. Ἡ γνῶσις autem est pro αὕτη ἡ γνῶσις. Haec *intelligentia* φυσιοῖ, *contemnit alios*, facit ut nullam rationem habeamus eius, quod aliis de ea re videatur. Est nempe φυσιοῦσθαι eorum, qui, acquiescentes in eo quod licere putant, sibi vivunt, non aliis; ea curant, quae sibi, non quae aliis prodesse videantur, inprimisque non cavent quae aliis offendiculo sint, sed potius exemplo suo ad imitandum alliciunt eos, qui recte se facere, non intelligentia sua sed aliorum exemplo persuasi sunt. Sic φυσιοῦσθαι κατά τινος, *contemnere alterum*, commodi eius negligentiorem esse, occurrit supra c. IV, 6. Rom. XI, 18. Gal. VI, 4. Ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ) *Qui vero aliorum amantes sunt, ii curant quod aliis prosit.* Haec est vis τοῦ οἰκοδομεῖν in universa hac Pauli disputatione, ut locus c. X, 23. perspicue docet.

2. Εἴ δέ τις — δεῖ γνῶναι) *Si quis autem sapere sibi videtur*, aliosque contemnit, *is nondum quicquam ita intelligit, ut intelligere oportet*, summa iniuria

iactat rectam recti intelligentiam. Verbo δοκεῖν significatur non aliqua simplex persuasio, sed quae cum superbia et insolentia coniuncta est, ut Matth. III, 9. οὐδέπω—γνῶναι) *Nondum quicquam novit sicut oportet nosse.* Geminatio negantis particulae vehementius negat. Nempe non nobis solis id prodesse debet, quod cognovimus; Deum imitari oportet, ut omnibus prodesse discamus.

3. Εἴ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεὸν) Sc. patrem hominum omnium, qui sollicite omnium felicitatem efficere studet, cui connexum est et illud, ut proximus diligatur propter Deum. Potest etiam in illo ἀγαπᾷν τὸν Θεὸν esse significatio universa pietatis in Deum, idque sic omnia in universum officia complecti, quasi tu diceres: *qui vere probus est,* ut Rom. VIII, 28. οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ) *Hic vere ab eo edoctus est*, ei recta demum atque vere divina intelligentia potest tribui. Verbum ἔγνωσται reddendum esse videtur per *consecutus est veram intelligentiam*, *recte edoctus est per Deum*, more Hebraeorum, qui verba neutra adhibent pro activis; γινώσκειν igitur, ut hebr. יָדַע pro *docere*, γινώσκεσθαι pro *doceri* s. edoctum esse, ut Gal. IV, 9. 1 Cor. XIII, 12.

4. Περὶ τῆς βρώσεως—εἰ μὴ εἷς) *Quod igitur attinet ad esum eorum quae idolis immolata sunt, scimus, idola nihil esse, et nullum alium Deum existere, nisi unum.* Refellit nunc Paulus duplicem rationem, qua Corinthii sententiam suam de iure idolothytis vescendi defendebant, sive consuetudinem excusabant, unam Vs. 4—7. alteram Vs. 8. sqq. Prima igitur

ratio erat, Deos gentium non esse Deos, et ne existere quidem. Rem ipsam concedit quidem Apostolus, et confirmat (Vs. 4—6.), sed falsum esse id, quod Corinthii ex hac propositione in se vera, concludebant, ostendit Vs. 7. οἴδαμεν — κόσμῳ) οὐδὲν, sc. ἐστὶ. *Sanhedrin* f. 63. 2. *Dixit R. Iuda, dixit Rav: Noverant utique Israelitae, idolum nihil esse*, Ioseph. Ant. VIII, 13. 16. Ideo vocantur אֱלִילִים vel הֲבָלִים μάταια. Nam Iupiter, Apollo, Venus etc. homines fuerant, qui iam olim interierant.

5. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ) Etiamsi existant aliqui, revera qui Deorum habeant nomen, et dicantur אֱלֹהִים. Λεγόμενοι, i. e. νομιζόμενοι. εἴτε ἐν οὐρανῷ) Ut sol, luna, astra. εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς) Ut reges viventes, oceanus, tellus, Neptunus, Ceres etc. Quodsi illa astra, et illi Reges Dii nobis non sunt, multo minus ii, qui non existunt. ὥσπερ—πολλοὶ) *Multos quippe Deos, multosque Dominos vocari constat*, sc. more loquendi apud gentes recepto. *Domini multi*, בְּעָלִים רַבִּים, sic enim *Dii gentium* vocabantur. Tot autem erant Domini, i. e. Baales, in Syria, quot regiones, ne dicam urbes. Sed principes etiam et magistratus vocati sunt *Domini*. Horat. *Carm.* L. I. Od. I, 5. 6. *Palmaque nobilis Terrarum Dominos evehit ad Deos*, ubi *terrarum domini* vel sunt Romani, iuxta illud Poëtae: *Romanos rerum dominos, gentemque togatam;* vel Reges et principes, qualis fuit Hercules, Coroebus, Alcibiades, aliique, qui in Olympiis victores fuisse dicuntur. Haec domini appellatio adeo augusta erat, ut nonnulli Imperatores Ro-

mani illam recusarent, tanquam nimis tyrannicam, fortassis etiam ad plebis captandam benevolentiam. Tacit. *Annal.* II, 87. de Tiberio: *Acerbe increpuit eos, qui divinas occupationes, ipsumque dominum dixerant.* Sueton. *Aug.* 53. *Domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit.* Sed mox invaluit mos, ut ita vocarentur Imperatores; hinc C. Plinius in epistolis suis ad Traianum fere omnibus hunc appellavit Dominum, nec is recusavit.

6. Ἀλλ' ἡμῖν — ἐξ οὗ τὰ πάντα) *Nos tamen Christiani colimus unum Deum Patrem, ex quo omnia* (quae existunt) *originem habent*, quia omnia creavit. Opponitur hoc gentilibus, quibus erant θεοὶ πολλοί, Vs. 5. καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν) sc. ἐσμέν. *Cui et nos existentiam nostram debemus.* Εἰς αὐτὸν, pro: ἐν αὐτῷ, *per eum*, vel potius ἡμεῖς εἰς αὐτὸν significat: Nos debemus eius consiliis inservire, id agere, ut fiant πάντα εἰς δόξαν αὐτοῦ. Cf. notata ad Rom. XI, 36. καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς) *Et unum Dominum, Iesum Christum colimus. Dominus noster* appellatur Christus, quatenus est Messias, Dominus et Rex summus a Deo constitutus (Act. II, 36.), qui inde a reditu suo in vitam, doctrinam suam quam potentissime propagandam curat, res sui coetus regit ac tuetur, suos omnis generis bonis, quae ad animi salutem spectant, replet (Col. II, 10.), et haec omnia eo consilio atque fructu facit, ut ipse omnibus omnino celsior, et caussa datorque felicitatis aeternae agnoscatur et colatur (Hebr. V, 9.), atque suos iam nunc ex parte beatos, olim reddat in aeternum beatissimos, omnique genere humano in vitam revocato, sua quemque sorte

in aeternum frui iubeat (Act. X, 36. 42.). Cf. *Mori* dissertatt. theol. pag. 249. s. Δι' οὗ — αὐτοῦ) *Per quem omnia sunt*, (qui auctor est religionis nostrae et salutis,) *et nos per ipsum* sumus, quod sumus, nempe Christiani. 1 Pet. I, 21. Per Christum Dominum nostrum et Regem summum a Deo constitutum, *omnia sunt*, i. e. omnia praesidia salutis nobis conferuntur; *per ipsum nos etiam sumus* sc. Christiani, participes felicitatis, quam suis promisit.

7. Ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις) i. e. οὐ πάντες γινώσκουσι τοῦτο, καθὼς δεῖ γνῶναι. *Non omnes illam veritatem, idola nihil esse, ita cognoscunt, ut decet.* Haec igitur est responsio Pauli ad illam Corinthiorum rationem, qua sententiam suam de licito idolothytorum esu defendebant. Parcendum esse dicit imbecillitati eorum, qui hanc veritatem, Deos gentium nihil esse, non satis recte intelligebant. Imbecilliores, quibus haec cognitio negatur, antipaulinae partis fuisse videntur, quae iudaizantibus advenis aures dederat, vel etiam ex numero eorum, qui e paganismo ad christianam religionem transierant, nec opinionem, existere Deos, etsi falsos, statim deponere poterant. τινὲς δὲ — ἐσθίουσι) *Quidam potius iudicantes adhuc idolum aliquid esse, hactenus vescuntur tanquam immolatitiis*, i. e. tanquam carnibus Daemoni cuidam vere existenti dicatis. Συνείδησις h. l. est *opinio*, *iudicium quod de aliqua re ferimus. Schulzius* intelligit *ideam, obscuram cogitationem*, ut Eccles. X, 20. ubi LXX. voce utuntur pro hebr. מַדָּע, et vertit: *wegen einer gewissen dunkeln Vorstellung eines Götzen.* Ideam nempe *Iovis*, *Neptuni* etc. tanquam Deorum vere

existentium, a pueris impressam animis suis, nunc, Christiani facti, prorsus extinguere non possunt. Vescuntur igitur ἕως ἄρτι, *hactenus*, (in so ferne,) in ea opinione, quasi huiusmodi cibi immolati essent Diis vere existentibus, quanquam falsis. καὶ ἡ συνείδησις — μολύνεται) *Et conscientia eorum, quae morbida* (male instituta) *est, contaminatur;* i. e. contra conscientiam, quamvis erroneam, peccant. Sic vero conscientiae vis omnis sensim perit, et talis homo facit alia etiam aperte impia. Qui igitur exemplo suo vim infert aliorum animis, ut sine recti conscientia tamen vescantur iis, quae sacra putant esse deastris, is non vere amat Deum, non est pius, Vs. 1—3. *Schulzius: ita suis erroneis opinionibus commoti ad idolorum cultum redeunt.* Μολύνεσθαι, *impurum reddi, profanum fieri* Cf. Ierem. XXIII, 11. LXX. Sed non sequitur, eos, qui contra conscientiam peccarant, statim ad paganismum rediisse, nec phrasis ἡ συνείδησις μολύνεται ex usu loquendi significat *ad idolorum cultum redire.*

8. Βρῶμα δὲ — τῷ Θεῷ) *Sed cibus* (inquis) *nos non commendat Deo.* Est haec altera ratio, qua Corinthii suam idolothytis vescendi consuetudinem excusabant, vel defendebant, ipsis Corinthiorum verbis in litteris ad Paulum datis expressa. Hanc igitur rationem hoc Vs. 8. proponit, Vs. 9. sqq. autem refellit Apostolus. Dicebant igitur Corinthii: *Cibus nos non commendat Deo;* sive delectum ciborum faciamus, sive minus, nihil refert. Ergo licet etiam idolothytis vesci, nec in ea re peccatur. Possunt tamen haec verba etiam connecti cum praecedentibus, ut opposita opi-

nioni eorum inter Corinthios, qui putabant se meliores esse aliis, et acceptiores Deo, ob esum idolothytorum, quod abiectis praeiudiciis purius colerent Deum. Si hoc sumimus, ostendit Paulus hoc Vs. falsos esse qui ita sentirent. *οὔτε γὰρ — περισσεύομεν*) Sc. *παρὰ τῷ Θεῷ*. *Ἐὰν φάγωμεν*, sc. omnia sine discrimine. Neque enim, si intersumus Infidelium conviviis, ob id Deo erimus gratiores, seu: aliis, non vescentibus praestamus. *Περισσεύειν* h. l. significat *praestantiam habere prae aliquo*, hebr. יָתֵר. Hinc *περισσὸν*, *praestantia*, יִתְרוֹן. *οὔτε ὑστεροῦμεθα*) Neque si abstineamus, aliis deteriores erimus, vel minus habebimus de Domini benevolentia. Concedit itaque Apostolus *in se* esse indifferens, sive aliquis intersit his conviviis, sive non intersit. Sed magna opus esse cautione in usu huius libertatis, ostendit in iis quae sequuntur.

9. *Βλέπετε δὲ*) *Sed etiam atque etiam videte*, i. e. cavete. *μήπως — ἀσθενοῦσιν*) *Ne haec libertatis vestrae usurpatio occasio peccati fiat imperitioribus.* *Ἐξουσία* per metonymiam est libertatis usurpatio. *Πρόσκομμα* idem quod *σκάνδαλον*, Matth. V, 29.

10. *Ἐὰν γὰρ — ἐσθίειν;*) *Nam si quis viderit te, qui te melius edoctum existimas, in fano discumbentem* vescentemque etiam profanis cibis: *nonne animus huius infirmi*, h. e. qui dubitat idem sibi licere, *confirmabitur*, incitabitur, *ita, ut etiam vescatur his quae deastris immolata fuere?* *Ὁ ἔχων γνῶσιν* h. l. est qui se melius edoctum existimat. *ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον*) *Εἰδωλεῖα* sunt *templa idolorum*, ut patet ex 1 Macc. I, 47. X, 83. 3 Esr. II, 9. Sunt

autem varia εἰδωλεῖα, Ἴσειον, Ἀπολλώνειον, Ποσειδώνειον etc. οὐχὶ ἡ συνείδησις — ἐσθίειν) Οἰκοδομηθήσεται varie explicatur. Grotius: *Confirmabitur;* tunc συνείδησις est opinio, ut supra Vs. 7. Οἰκοδομεῖν, *aedificare, reficere, firmare.* Plaut. Trinum. I, 2. 95. *Qui aedificaret suam inchoatam infamiam.* Aliis est: *incitabitur, impelletur.* Alii delent interrogationem et vertunt: *Nequaquam conscientia illius, qui infirmus est, emendabitur, dum idolis immolata comedat.* Wetstenius intelligit *ironice* dictum. *Egregie aedificas scilicet!* Tantum abest, ut aedifices, quod officii tui est, comm. 1. ut potius destruas ipsum. Consentit *Storrius* (notit. histor. pag. 31. not. 55.). Videntur nempe Paulini et Apollonii in epistola ad Paulum data usi fuisse his verbis ἡ συνείδησις τοῦ ἀσθενοῦς οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδ. φαγεῖν, quibus significare volebant, se suo exemplo alios etiam corrigere posse, ut idolothytis vesci haud recusarent. Haec igitur verba repetit Apostolus, sed ita, ut doceat, quam egregia scilicet correctio sit, quam externa solum actione metiantur, ob id ipsum perniciosa, quod interno sensui, quamvis imbecilli et falso, non respondeat; ipsam vero conscientiam et sensum (συνείδησιν) non continuo emendari, si modo exprimatur actus vescendi.

11. Καὶ ἀπολεῖται — ἀπέθανεν.) *Sic perditur ille infirmus frater propter tuam,* quam iactas, *meliorem intelligentiam,* ille inquam, *propter quem Christus est mortuus.* Cf. Rom. XIV, 14. sq. 20. sq. ubi eandem rem tractat Apostolus. ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφὸς) *Peribit,* non iam statim, ob comestos hos cibos, sed quia sensim plura admittet, quae tandem

eum a Christianismo alienum facient. Paullatim desinet esse Christianus. ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει) Occasione scientiae tuae, cuius obtentu ista defendis.

12. Καὶ τύπτοντες — ἀσθενοῦσαν) Τύπτειν, *vulnerare*. Quum facitis, ut contra conscientiam peccent, et ex malis sensim fiant deteriores. εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε) Eriptis enim ei discipulum; fructum mortis Christi, quantum in vobis est, impeditis. Magna haec est in Christum iniuria.

13. Διόπερ — σκανδαλίσω) Est exaggeratio. Potius quam occasionem dem alicui Christiano, contra conscientiam peccandi, et fratrem delicto et poenae obnoxium faciendi, vel etiam redeundi ad idololatriam, malim non epulis tantum illis immolatitiis, sed omni omnino carne sive animato abstinere, et pane solo, atque oleribus, ut nonnulli faciunt, victitare. Hoc dicit, ut ostendat, multo graviora, quam de quibus hic agitur, sustinenda pro proximorum salute.

CAP. IX.

1. Suum iam exemplum Paulus commendat, cuius magna apud Christianos debebat esse auctoritas, etc. X. demum ad propositum redit. Docet nempe, se in multo maioris momenti rebus abstinuisse ab usu iuris sui, ne alios offenderet, vel religioni impedimentum obiiceret. Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος;) Adversarii iudicabant, Paulum non esse dignum nomine et honore Apostoli, quod non conver-

satus esset cum Christo. Contra eos Paulus obiter auctoritatem suam tuetur, significans se omnino esse Apostolum et liberum. ἐλεύθερος) Mei ipse iuris, non subiectus aliis, a quorum mandatis pendendum mihi, a quibus venia sit expectanda victum accipiendi ab aliis. Possem etiam uti libertate illa christiana in templis idolorum cum ethnicis convivandi. οὐχί — ἑώρακα;) Fuisse videntur, qui Paulum magno intervallo putarent distare ab illorum auctoritate, qui fuissent ipsi Christi socii, Vs. 5. Sed Paulus dicit, se nec in hac re inferiorem esse aliis, omnino se vidisse Christum, quamvis non humilem in his terris versantem, at gloria conspicuum; cf. infra cap. XV, 8. 2 Cor. XII, 1. sqq. οὐ τὸ ἔργον — κυρίῳ;) *Nonne ego vos ad Christi religionem perduxi?* Philo de Legat. ad Caium, pag. 554. 14. ἐμόν ἐστι τοῦ Μάκρωνος ἔργον Γαΐος, μᾶλλον αὐτὸν ἢ οὐχ ἧττον τῶν γονέων γεγέννηκα. *Seneca* Epist. 34. *Assero te mihi, meum opus es.* Paulus vero addit ἐν κυρίῳ, quia Corinthios in Christi religione instituerat.

2. Εἰ ἄλλοις — ὑμῖν εἰμι) i. e. Si alii dubitarent, an Apostolus essem, vos certe non deberetis dubitare, quia satis me Apostolum vobis probavi. ἡ γὰρ σφραγὶς — κυρίῳ) *Nam certissimum documentum Apostolatus mei* (i. e. me verum esse legatum et Apostolum a Christo missum) *vos estis, eo ipso quod estis Christiani.* Ἐν κυρίῳ, supple ὄντες. *In Christo esse* significat *Christianum esse.* Σφραγὶς proprie notat *annulum signatorium*, qui litteris impressus, eis dat auctoritatem et fidem; deinde *signum certum, documentum.* Sic Corinthii a Paulo ad christianam reli-

gionem adducti, fidem faciebant hominibus divinitus dati Paulo Apostolici muneris.

3. Ἡ ἐμὴ — ἐστι) *Haec mea est defensio adversus eos, qui mihi detrahunt.* Ἀνακρίνειν est forense vocabulum, quod de industria usurpavit Apostolus, ut obiter arrogantiam eorum notaret, qui ipsius vocationem in dubium vocabant, quasi iudices sederent de hac caussa cognituri.

4. Μὴ οὐκ — πιεῖν) Nunc exemplis ostendit Paulus, se multis in rebus non uti libertate ea, qua uti potuisset. *Potestatem se habuisse,* dicit, *edendi et bibendi,* nempe ecclesiae sumtu, sicut alii facere solebant. Luc. X, 7. Inter Iudaeos res erat satis usitata, ut Doctores victum acciperent a cunctis, qui suppeditare et possent et vellent. Paulus vero ista venia usus non est, sed potius manuum labore victum sibi quaesivit, ut abesset ab omni specie alienorum consiliorum. Alii intelligunt libertatem edendi et bibendi sine discrimine omnia, vetita etiam Iudaeis. Paulus, ut saepe solet, etiam hic de se loquitur in Plurali, ut et in sequentibus.

5. Μὴ οὐκ ἔχομεν — Κηφᾶς) *Nonne ius habeo uxorem, quae sit christiana, in itineribus habendi comitem, ut reliqui Apostoli?* etc. Ἀδελφὴ h. l. est *mulier christianae religioni addicta.* Commentatores Graeci plerique γυναῖκα hic accipiunt de matronis talibus, quales Christum olim comitatae fuerant. Sed περιάγειν *circumducere,* nempe in itineribus, est longe aliud, quam ut de mulierum harum studiis explicari possit. Accedit, quod Paulus de publicis sum-

tibus tractat. Innuit igitur, sibi competere ius postulandi, ut non tantum ipse, sed etiam uxor, quam habere possit comitem, ab ecclesiis aleretur. Si vero ad tales mulieres provocasset, quae sine sumtu ecclesiarum, de suo Apostolis et fratribus Domini victum suppeditassent, plane sua caussa cecidisset. Itaque et *Hilarius* de veris uxoribus accepit. *Petrus*, ut Clemens Alexandrinus Lib. VII. ex traditione refert, uxorem suam comitem habuit itinerum, quae et coram ipso ad mortem ducta est. Idem fecere et alii Apostoli, et uxorum opera usi sunt ad matronas convertendas, ut idem narrat lib. III. De fratribus Domini vid. Matth. XIII, 55.

6. Τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι) *A labore manuum victus parandi caussa abstinere.* Putatis forte, nos duos ius nostrum non intelligere. Intelligimus sane: sed et intelligimus, quanto utilius sit, eo iure non uti. Vid. Act. XVIII, 5. XX, 34. Erat autem Barnabas comes Pauli. Act. XI, 30. XII, 25. XIII, 1. sqq. XIV, 12. seq. XV, 2. sqq.

7. Τίς στρατεύεται — ποτέ;) *Suis stipendiis;* i. e. suo aere, suo sumtu. Ὀψώνιον proprie est, *quicquid ad vescendum datur,* et translate dicitur *de militis stipendio,* Luc. III, 14., quia olim frumentum, carnes et fructus militi dabantur. Ut ostendat, se ius suum intelligere, argumenta eius iuris affert, primum ex consensu gentium, deinde etiam ex lege Mosis. Ἐκ τοῦ καρποῦ ἐσθίειν dicere, inusitatum est Graecis. Quare nonnulli supplent: μέρος τι. Codices pauci habent τὸν καρπὸν.

8. Μὴ — λέγω;) An putatis, me, quae dico, sola humana auctoritate adstruere, ex moribus scilicet? Vid. de hac formula Rom. VI, 19. ἢ οὐχί — λαλεῖ) Lex ipsa, a Deo data, in qua nihil est iniqui.

9. Ἐν γὰρ — γέγραπται) Deut. XV, 4. οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα) *Ne iniicias bovi trituranti capistrum.* Φιμοῦν, *capistrare*, ut loquuntur Plinius et Columella; ἐπιστομίζειν, ut Hesychius, *os occludere.* Ἀλοᾶν dicuntur boves, quum grana ex aristis exterunt pedibus; qui mos Orientis, sed et Graeciae, ut ex *Theophrasto*, et aliis discimus. Hic triturandi mos in Asia hodieque retinetur. Solent enim illarum regionum incolae, postquam demessae fruges sunt, non domum eas ex agris, more nostro, granis nondum excussis, in horrea convehere: sed in aream quandam sub dio comportare; deinde, sparsis in aream manipulis frugum, boves et bubalos immittunt, qui vel pedibus calcantes, vel curruum quoddam genus trahentes super frumenta, ex aristis eliciunt grana. Fuerunt autem quatuor modi triturandi apud Veteres usitati, de quibus consulendus est *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. II. c. 32. pag. 314. sq. edit. Lips. Cf. *Paulsen* in libro: *Zuverlässige Nachrichten vom Ackerbau der Morgenländer.* c. VI. p. 110. sq. Legis, cuius hic meminit Apostolus, rationem *Iosephus* Ant. IV, 8. 21. reddit hanc: οὐ γὰρ εἶναι δίκαιον εἴργειν τοὺς συνεργασμένους τοῦ καρποῦ, καὶ περὶ τὴν γένεσιν αὐτοῦ πονήσαντας, *non enim aequum esse, eos a fructu arcere, qui una laborarunt, et in eius procuratione sese delassarunt.* μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ;) sc. μόνον. An boum curam gerit, nullam vero hominum?

Num hac lege aequitas tantummodo erga pecudes commendatur? Nonne plura disci possunt ex illa? Est argumentum a minori ad maius.

10. Δι' ἡμᾶς — μετέχειν) *Propter nos scriptum est, arantem debere arare cum spe, et triturantem debere esse participem eius quod speraverat.* Voluit Deus, ut a minori concludamus ad maius. Si nempe bos adeo triturans frui debet suo labore, multo magis homini, qui bove ad arandum et triturandum utitur, licet *sperare* fructus laborum, quum *arat* arva ope boum, et *percipere* fructus quos speraverat, quum ope boum triturat. Ἐλπίς, altera vice est id quod speratur, *fructus.* *Schulzius* intelligit e versu praecedente τὸν βοῦν ἀροτριῶντα et ἀλοῶντα, ut sensus huius commatis sit: *Nostri* (hominum) *caussa omnino scriptum est, bovem arantem debere arare cum spe, et triturantem debere obtinere fructus speratos.* Non male. Rectius autem *Pottus* expressit sic: *uti aratori arandum est, sub spe, fore, ut ager fructus ferat, quibus, suo tempore collectis, ad vitam sustentandam frui possit; sic etiam triturator frumentorum* speratorum *particeps fieri debet.*

11. Εἰ ἡμεῖς — ἐσπείραμεν) *Si nos semina bonorum ad animum pertinentium inter vos sparsimus,* i. e. si vobis in rebus ad animi immortalis salutem pertinentibus operam praestitimus. Nam *serere* h. l. est operam praestare, et τὰ πνευματικὰ quae ad spiritum vel animum hominis pertinent. μέγα — θερίσομεν;) *Num magnum est si nos fiamus participes bonorum vestrorum ad hanc vitam pertinentium?* Pro μέγα locutio integra foret: μήτι μέγα ἔργον ἐστιν;)

num id est aliquid magnae rei? Τὰ σαρκικὰ, alias τὰ βιωτικὰ vocantur, quae ad hanc humanam vitam sustentandam pertinent. *Metere* autem est, pro opera aliquid accipere.

12. Εἰ ἄλλοι — μετέχουσιν) *Si alii fruuntur facultatibus vestris*, et sumtu vestro vivunt. Ἐξουσία, pro οὐσία, *facultates, opes, res familiaris.* Alii ἐξουσία ὑμῶν dictum esse putant pro ἐξουσία εἰς ὑμᾶς, quomodo ἐξουσία πάσης σαρκὸς, Io. XVII, 2. Ἄλλοι h. l. sunt, qui nihil ipsi operae in Corinthios contulerant, et aliunde advenerant Corinthum. οὐ μᾶλλον ἡμεῖς;) Subaudi: aequum fuit pari frui iure? Nos, qui multam et continuam contulimus operam in vos. ἀλλ' οὐκ — τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ, *non usus sum hoc iure.* Nunc enim ἐξουσία [illegible]*tius, potestas.* ἀλλὰ πάντα στέγομεν) *Sed omnia vitae incommoda perfero.* Στέγειν, *perferre, tolerare.* Themistius orat. 22. de amicit. τὸν οὐ στέγοντα ὕβριν, *qui non est patiens iniuriarum.* 1 Thess. III, 1. 5. Tacemus et continemus nos, nec in querelas erumpimus, quod, quae aliis praestatis, nobis non praestitistis. ἵνα μὴ — Χριστοῦ) *Ne impedimentum obiiciamus Evangelio Christi.* Ἐγκοπὴ, *impedimentum*, quemadmodum ἐγκόπτειν est *impedire*, Rom. XV, 22. Gal. V, 7. Impensae in ministros faciendae facile homines deterrere possunt a professione Christianismi. Ne igitur Corinthii etiam deterrerentur, maluit Paulus molestias, labores et egestatem sustinere, quam aliquid mercedis pro institutione in religione ab iis accipere.

13. Οὐκ οἴδατε — ἐσθίουσιν;) *An nescitis, eos qui Sacris operantur, vitam sustinere suam ex iis, quae*

in templo offeruntur? Ἐκ τοῦ ἱεροῦ, *ex templo*, metonymice pro iis quae in templo offeruntur, ut sunt decimae, oblationes et primitiae. οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ — συμμερίζονται;) *Qui altari vacant, cum altari participant*, s. ex iis quae altari imponuntur, partem accipiunt. Προσεδρεύειν, *assidere, vacare, assiduum esse.* Sic apud Ioseph. L. I. contra Apion. sacerdotes vocantur: τῇ ἱερατείᾳ τοῦ Θεοῦ προσεδρεύοντες. Συμμερίζονται idem est quod μερίζονται, praepositioñe sensum non augente. Subaudi: τὰ δῶρα, τὰς θυσίας, aut similia.

14. Οὕτω καὶ — ζῆν) *Sic etiam praecepit Dominus, ut ii qui doctrinam Evangelii tradunt, ex tradendo Evangelio victum capiant.* Matth. X, 10. quod dictum tunc per manus tradebatur. Ζῆν ἐκ τινὸς s. ἀπὸ τινὸς tam de *negotio* quam de *bonis* et *cibis* ex quibus aliquis vivit, dici potest. Aristoteles Politic. L. VI, 4. Ubi pastores sunt, καὶ ζῶσιν ἀπὸ βοσκημάτων, *et ex pecudibus vivunt.* Demosthenes cont. Theocrin. ζῶντες ἀπὸ τοῦ συκοφαντεῖν, *calumniando vitam sustentantes.* Εὐαγγέλιον h. l. est institutio in doctrina evangelica.

15. Ἐγὼ δὲ—τούτων) *Ego autem nullo usus sum istorum.* Non usus sum ulla re vestra ad vitae meae sustentationem, quamvis iure meo uti potuissem, ut homo *liber* (ἐλεύθερος, Vs. 1.) et *minister* Iesu Christi. οὐκ ἔγραψα — ἐμοὶ) *Non tamen scripsi haec, ut sic fiat in me;* non eo consilio, ut mihi in posterum praestentur, quae aliis. Amolitur a se suspicionem, quasi optet, ut sibi Corinthii in posterum de facultatibus

suis communicarent. Καλὸν γὰρ — κενώσῃ) *Mori enim mallem, quam hanc mihi gloriam a quopiam eripi.* Καλὸν μᾶλλον pro κάλλιον. Καύχημά μου, *gloriam meam,* quod ego solus de meo vivo, quum alii omnes utantur victu publico, nec incommodo aut molesto vitae modo. Κενοῦν, propriae: *evacuare,* metaphorice: *minuere, irritum reddere, eripere.*

16. Ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι) Si id solum ago, quod et alii faciunt; si nempe Evangelium doceo vel mercedis caussa, vel ex necessitate tantum, quia munus hoc mihi est impositum. οὐκ ἔστι μοι καύχημα) *Non habeo gloriandi caussam;* id mihi non ducendum est honori. ἀνάγκη — ἐπίκειται) *Necessitas mihi imposita est;* i. e. nonnisi id, quod officii mei ratio postulat, facio. *Liban.* O. V. δικαστῇ δ' ὑπηρετηκότι νόμοις οὐκ ἂν ὀφείλοιτο χάρις. ἃ γὰρ ἦν αὐτῷ κατ' ἀνάγκην πράττειν, ἔπραξε. — οὐαὶ — εὐαγγελίζομαι) *Poenis divinis dignus adeo essem, ni Evangelium docerem.*

17. Εἰ γὰρ — μισθὸν ἔχω) *Si nempe voluntarius hoc facio* (non coactus necessitate, sed lubens et volens Evangelium doceo), *praemium sperare possum.* Γὰρ h. l. valet *nempe.* Declaratur enim, quod dictum erat Vs. 16. Μισθὸν autem intelligit praemium a Deo exspectandum. Qui nonnisi necessitate coactus et metu poenae facit quod suum est, is nec laude nec praemio est dignus. εἰ δὲ ἄκων οἰκονομίαν πεπίστευμαι) *Sin autem invitus* hoc facio, *concreditum tamen mihi est munus,* proptereaque faciendum id quod muneris ratio postulat. Εἰ δὲ ἄκων, sc. πράσσω τοῦτο. Sin invitus facio quod meum est, eo tantummodo consilio,

ut poenas effugiam. Subaudi: Faciendum tamen est mihi quod muneris ratio postulat, quia οἰκονομίαν πεπίστευμαι, i. e. οἰκονομία ἐπιστεύθη μοι, *munus mihi creditum est.* Constructionis huius exempla non sunt rara, e. g. quum Diogenes Laërtius dicit Lib. VII, cap. I, §. 29. πιστευθέντος τὴν ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκην, *cuius curae bibliotheca Pergamena commissa erat.* Οἰκονομία h. l. est munus Apostolicum. cf. IV, 1. Semlerus ita iungit orationem: εἰ δὲ ἄκων οἰκονομίαν πεπίστευμαι, τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; *Si vero invitus quasi eam provinciam gero, quae tandem hic esse potest merces mea?* Sed nexus sermonis priori interpunctioni et interpretationi favere videtur.

18. Τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός;) *Quidnam igitur est, cur praemium expectare queam?* sc. a Deo et Christo. Ὁ μισθὸς per metonymiam h. l. videtur esse *caussa* mercedis vel praemii. ἵνα—τοῦ Χριστοῦ) Haec inprimis est caussa, cur praemium exspectem, *quod Evangelium ita annuncio, ut nullas impensas ab iis postulem, quibus id praedico.* Argute dictum, ut *Wetstenius* notat. *Nullam mercedem accipere, haec mea merces est.* Quoniam enim *voluntarius*, (ἑκών, Vs. 17.) nullius commodi vel vanae gloriae caussa, tantummodo ad Deum et utilitatem hominum respectu habito, Evangelium doceo, eam ob caussam opera mea Deo est grata et accepta. Is mihi mercedem tribuet, quam ab hominibus exspectare nec possum, nec volo. Τιθέναι hic ponitur pro ποιεῖν, *facere.* Plutarch. discrim. adul. et am. *Ut εὐκλεᾶ θήσει τὴν Ἀκαδημίαν, inclytam redderet Academiam.*

Ἀδάπανον dicitur *gratuitum, quod gratis datur quod nullis constat sumtibus.* εἰς τὸ μὴ—εὐαγγελίῳ) *Dum nempe non utor iure meo* (mercedem postulandi) *pro institutione in religione christiana.* Καταχρήσασθαι h. l. iterum est *uti*, aut *peruti*, ut supra VII, 31. Ἐξουσίαν autem intelligit ius postulandi victum ab aliis, quo iure ipse non utebatur, ut alii faciebant.

19. Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων) i. e. ab omnibus hominibus liber; nemini obnoxius. πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα) Sponte me ut omnium servum gessi, nullum laborem, nulla incommoda ipsorum caussa defugiens. Videtur autem et hoc innuere, se hominum moribus ingeniisque inservire, aliorumque vel molestos mores perferre, servi instar. ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω) *Ut eo plures ad bonam frugem revocem*, ac proinde in salutis viam reducam: nam hoc est h. l. *lucrifacere.*

20. Καὶ ἐγενόμην — Ἰουδαίους κερδήσω) i. e. In Iudaeorum gratiam iudaico more vivo, ut Iudaeis religionem christianam persuadeam. Sciebat nempe Paulus, legem Mosaicam post Christi in coelos ascensum non amplius valere; quia vero plurimi ex Iudaeis adhuc magni faciebant legem Mosis, et facilius admittere videbantur doctrinam Christi, si Mosi suus servaretur honos, ideo Paulus, horum caussa, rediit quasi ad Iudaicam vitae externae indolem; admisit circumcisionem aliaque, ut tandem discerent ultro, non opus porro esse circumcisione. Huc referri potest etiam docendi et oracula V. T. explicandi ratio, quam ingenio Iudaeorum accommodavit Paulus. Fuit autem omnino pru-

dentis doctoris, ut temporibus et locis sese accommodaret. τοῖς ὑπὸ νόμον (θελοῦσιν εἶναι, ἐγενόμην) ὡς ὑπὸ νόμον) Erga eos Christianos, qui adhuc legis Mosaicae auctoritatem agnoscunt, ita me gero, quasi et ego huic legi essem adstrictus. Post haec verba multi Codices vetusti, Vulgata et Patres nonnulli addunt: μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον, *quum tamen ipse non adstrictus sim legi* Mosaicae.

21. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος) Erga eos, quibus lex Mosis data non est, ita me gessi, et gero quasi nec mihi ea lex esset data. Ἄνομοι hi dicuntur, οἱ νόμου μὴ ἔχοντες. Rom. II, 12. 14. Actor. II, 23. οἱ μὴ ὑπὸ νόμον ὄντες, *Ethnici*. In Ethnicorum gratiam abstinuit a ritibus iudaicis, usus est cibis lege Mosaica vetitis etc. μὴ ὢν — Χριστῷ) *Qui non sum exlex Deo, sed vivo secundum legem Christi.* Hanc parenthesin addidit, ne quis vocem ἄνομος male interpretetur; nam alio sensu dicuntur ἄνομοι, qui pro animi lubitu vivunt. Dicit ergo, se legem habere, nempe Christi, et secundum eam vivere.

22. Τοῖς ἀσθενέσιν) *Imperitioribus*, de quibus Rom. XV, 1. seqq. τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα) *Propter omnes in omnes me mutavi formas.* Sic apud Achillem Tatium L. V. c. 19. Clitophon dicit: τούτοις ἐντυχὼν, πάντα ἐγενόμην, ὁμοῦ ἀνεφλεγόμην, ὠχρίων, ἐθαύμαζον, ἠπίστουν, ἔχαιρον, ἠχθόμην, *haec quum legerem, omnes induebam formas, amore incendebar, expallescebam* etc. Asserit igitur Apostolus, se εὐτράπηλον fuisse bono sensu.

23. Διὰ τὸ εὐαγγέλιον, *Evangelii caussa*, i. e. ut doctrina Christi eo magis propagetur. Cf. supra Vs. 12. Ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι) Metonymia: Ut particeps Evangelii fiam, i. e. praemii eius, quod in Evangelio promittitur. Est igitur τὸ εὐαγγέλιον h. l. praemium, iis exspectandum, qui propagandae religioni diligentem operam navare solent, et quidem praemium coeleste, aeternum. Cf. supra Vs. 17. sq.

24. Suum exemplum iam Paulus comparatione quadam Corinthiis commendat luculentius, et quidem similitudine a re ipsis maxime nota, desumta. Se omnes vires intendere, ait, ut consequatur illud praemium, de quo modo Vs. 23. et supra Vs. 17. 18. dixerat, et monet Corinthios, ut hoc suum exemplum imitentur. οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσιν) Respicit Paulus ad solennia certamina, Graeciae olim valde usitata, in quibus praemio proposito, certabatur cursu, lucta, cestu, gladio etc. Inter hos ludos, de quibus consulendi Antiquitatum Graecarum Scriptores, erant etiam Isthmii, qui Corinthi, innumera spectante hominum multitudine, celebrabantur. Est autem in verbis nostris traiectio, pro: πάντες μὲν οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, τρέχουσιν. Et prius illud τρέχοντες est participium pro nomine σταδιοδρόμοι, more Hebraeo. *Omnes Stadiodromi currunt. Alle Wettläufer laufen*, eo nempe consilio, ut palmam ferant. εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον) Etymol. βραβεῖον λέγεται ὁ παρὰ τῶν βραβευτῶν διδόμενος στέφανος τῷ νικῶντι. Hesychius: βραβεῖον, ἔπαθλον, νικητήριον, ἀμοιβή. *Palma.* οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε) Sc. τὸ βραβεῖον. Ita currite, ut primi sitis in cursu, et sic praemium possitis assequi.

Ne vobis sit satis, utcunque vestro fungi officio, ac poenam effugere: ad summum pro viribus enitendum est, atque ita currendum in stadio christianarum virtutum, ut laudem apud agonothetam Deum assequamini.

25. Πᾶς—ἐγκρατεύεται) *Omnis autem athleta ab omnibus abstinet*, quibus sc. vires corporis debilitari possint. πάντα, pro κατὰ πάντα. *Epictetus* 35. Θέλεις ὀλύμπια νικῆσαι; — Δεῖ σ' εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἀν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ, παραδεδωκέναι σαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ, εἶτα εἰς τὸν ἀγῶνα παρέρχεσθαι. Aelian. V. H. XI, 3. Horat. de Arte poët. v. 412. *Qui studet optatam cursu contingere metam, Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit, Abstinuit Venere et vino.* Sic multo magis nobis, laudis apud Deum assequendae gratia multa toleranda, licet dura, modo conducant ad hoc praemium; a multis temperandum, licet alias licitis, si palmam remorentur. ἐκεῖνοι—λάβωσιν) Ἐκεῖνοι μὲν, sc. τρέχουσιν, καὶ ἐγκρατεύονται, *illi quidem* currunt, atque ut currendo optatam contingere metam possint, a multis licitis abstinent, *ut consequantur coronam mox perituram*, nempe ex oleastro, aut picea, aut lauro. Fruebantur vero etiam aliis honoribus et emolumentis, ut patet ex *Vitruvio* Praef. ad Lib. IX. de architectura. ἡμεῖς δὲ, ἄφθαρτον) i. e. ἡμεῖς δὲ τρέχομεν καὶ ἐγκρατεύομεν, ἵνα λάβωμεν ἄφθαρτον στέφανον. Non perituram gloriam, non praemia per breve tempus percipienda assequi studemus, sed aeterne duraturam coronam. Vitam aeter-

nam atque coelestem vocat metaphorice coronam ἄφθαρτον. 1 Pet. V, 4.

26. Ἐγὼ — ἀδήλως) *Ego igitur non ita curro, quasi incerta sit victoria.* Ἀδήλως, *obscure, incerte.* Ex Stadiodromis nonnisi unus reportare poterat victoriam; ergo semper dubia erat spes. Sed aeternam illam gloriam et felicitatem omnes possunt consequi, et certissime sperare, qui recte virtuti student. οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων) *Sic pugilem quasi ago, non verberantem ictibus auras.* Aliis verbis repetit, quod modo dixerat. *Certa est mihi victoria, certum praemium.* Nam ἀέρα δέρειν est *frustra contendere.* Pugiles enim *aërem vibrare* dicebantur, si in certamine cum adversario agiliori et exercitatiori confligebant, qui ictus eorum apta corporis contractione, incurvatione, declinatione evitabat. Virg. Aen. V, 443. *Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte Extulit: ille ictum venientem a vertice velox Praevidit, celerique elapsus corpore cessit. Entellus vires in ventum effudit.* Aen. V, 376. — *alternaque iactat Brachia protendens et verberat ictibus auras.* Dicit igitur Paulus, se pugilatu certare, conatibus non temerariis aut incertis, neque cum hoste, qui ictus hos declinare et effugere possit, sed pugnare se cum semet ipso, ita ut non minori cum effectu quam nisu corpus suum s. τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον obtundat atque subigat.

27. Ἀλλ' ὑπωπιάζω — δουλαγωγῶ) *Sed duriter habeo corpus meum, et servituti quasi illud ipse subiicio.* Opponuntur sibi ἀέρα δέρειν, *aberrare*, et ὑπωπιάζειν, *certos ictus infligere.* Persequitur

postremam similitudinem a pycta desumtam; nam pyctarum est, adversarium ὑπωπιάζειν, i. e. faciem eius caestu ita obtundere, ut aut livida reddatur, aut vulnus oriatur. Cic. Tusc. II. *Pugiles caestibus contusi*, i. e. ὑπωπιαζόμενοι. Cum adversario comparat ipsum corpus suum, quod multis afficiebat incommodis, supra IV, 11. Dicit, se minime adsuefieri molli et iucundo vitae generi, sed quasi servilem conditionem corpori imponere; servi enim mediocri victu et exili commoditate vivendi utebantur, quibus a labore vix licebat respirare. Sic Paulus adsuefaciebat corpus, ut, quotiescunque postularet Evangelii negotium, facile temperaret a licitis, neque gravate ferret, si quid esset molestum. μήπως — γένωμαι) Et haec desumta sunt a certaminibus Graecorum, in quibus voce praeconis et nomina eorum qui vicerant, et praemia eorum declarata sunt. Paulus se cum praecone comparat, quia publice tradebat doctrinam Christianam, in qua Christianis hoc nomine dignis maxima promittuntur praemia. Sensus igitur est: *Ne praeconem agens, ipse sim praemio indignus*, i. e. ne ego, qui alios docui viam salutis, ipse ea salute indignus fiam.

CAP. X.

1. Οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἀγνοεῖν) *Nolo igitur vos immemores esse.* Ἀγνοεῖν hic valet immemorem esse. Nam legerant isti Corinthii libros V. T., sed non omnia memoria retinebant. Γὰρ, pro quo alii habent δὲ, omnino vera est lectio. Dehortatur Apostolus Vs. 1—13. Corinthios a levitate animi, qua multi eorum epulis

sacris Ethnicorum interesse solebant. Proponit iis triste Israelitarum exemplum, quibus incauta familiaritas cum idolorum cultoribus magnae perniciei fuit. ὅτι οἱ πατέρες — νεφέλην ἦσαν) *Omnes maiores nostros sub nube fuisse*, i. e. nubis quasi ductu iter fecisse, quum educerentur ex Aegypto, Exod. XIII, 21. sq. Ὑπὸ τὴν νεφέλην, pro ὑπὸ τῇ νεφέλῃ, et ὑπό τινι Graecis est *alicuius ductu, auspiciis, comitatu.* καὶ πάντες—διῆλθον. Exod. XIV. Quum enim sinum Arabicum transirent Israelitae, et Aegyptii eos insequerentur, Deus e nube illa fulmina atque tonitrua emisit, quibus hi perturbati in aquis perierunt, illis sub praesidio nubis tuto transeuntibus mare.

2. Καὶ πάντες — θαλάσσῃ) His miraculis, a Mose vi divina sibi concessa patratis, quod nubes ipsos comitaretur in itinere, et ipsi incolumes per mare transiissent, baptizati sunt quasi et obligati ad obsequium, Mosi praestandum. Considerat itaque Paulus columnam nubis, quae comitabatur Israelitas, et transitum eorum per mare, tanquam Symbola baptismatis. Bene illustravit totum hoc caput *Strothius* in *Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur* Tom. XIV. p. 211. sqq.

3. Τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν) *Unum eundemque virtute divina suppeditatum cibum*, e nubibus pluentem, nempe *Manna*, Exod. XVI, 14. sq. Manna funditur quidem arboribus variis et plantis, nec producitur miraculo. Sed Orientalium regionum incolae, et ipsi quoque Arabici rerum naturalium scriptores, eam tanquam ros e coelo delabi putant. Appellatur

autem ab Apostolo *βρῶμα πνευματικὸν*, quia hic cibus Israelitis vi quadam singulari divina datus est. Nam *πνευματικὸν* ex hebr. significatione *τοῦ πνεύματος*, רוּחַ est in suo genere *perfectum, eximium, extraordinarium*, e. g. Rom. VII, 14. 1 Cor. III, 1. Praecipue vero huc pertinet Gal. IV, 29. ubi *ὁ κατὰ σάρκα γεννηθείς*, *vi naturali progenitus*, et *ὁ κατὰ πνεῦμα*, *vi divina progenitus* sibi opponuntur. *Iosephus* Antiq. III, 1. *θεῖον βρῶμα καὶ παράδοξον*. Alludere Paulum ad sacram coenam Christianorum, vix dubitandum esse videtur. Sicuti, inquit, vos Christiani in sacra coena corpore et sanguine Christi fruimini: ita etiam illi Israelitae *βρῶμα κ. πόμα πνευματικὸν ἔφαγον καὶ ἔπιον*.

4. Πόμα *πνευματικὸν*) *Potum, qui datus est per miraculum* ex petra percussa, ut modo Vs. 3. Exod. XVII, 6. Num. XX, 10. *ἔπινον — ὁ Χριστὸς*) *Hunc potum vero acceperunt a petra summa eos comitante, nempe Messia.* Illa petra documentum erat praesentis Messiae. Vel etiam: symbolum erat rupes, referri ad eam Messias potest. Sic, aut simili modo intelligo haec verba. Iudaei enim statuebant, illum מַלְאַךְ יְהוָה qui Exod. III, 2. et in aliis locis commemoratur, fuisse Messiam. Is autem, sicut alibi saepe Deus, comparatur cum petra, ad quam securitatis caussa confugitur. Cf. Deut. XXXII, 4. 15. 18. 31. *Ἀκολουθεῖν* h. l. est *comitari*. *Ἐκ* vero denotat caussam efficientem, ut Matth. XXI, 25. Io. I, 13. Rom. V, 16. etc. Aliis *πέτρα*, e qua Israelitae biberunt, est ea petra, e qua profluxerunt aquae. «Iudaeis, (verbis uter Wetstenii,) qui aquas Nili biberant, et in Aegypto

fontium scaturgines nullas viderant, non potuit non valde mirum videri, quum aquas ex petra profluentes aspicerent; quod tamen etiam φυσικῶς fieri experientia testatur, et *Aristoteles* observat. Meteor. I, 2.„ Addo, in populari sermone facile dici potuisse, petram illam comitatam esse Israelitas, quia saepius hoc beneficium illis contigit, ut in variis locis petra illis praeberet potum. Quum igitur petra dicitur Israelitas esse secuta, sensus est: eos ubique reperisse aquam, qua sitim restinguerent. Caussam vero huius miraculi efficientem fuisse Christum. Sed Rabbini, ad quorum fabulas Paulum respexisse verosimile est, mira excogitarunt de hac petra, e. g. *R. Salomo* in Psalm. LXXVIII, 16. *et principes faciebant baculis suis sulcos, et aquae trahebantur post illos per tota castra ad singulas tribus.* Ialkut Rubeni fol. 144. 4. *Quomodo comparatus fuit ille puteus?* (de quo Num. XXI, 16.) *Resp. Fuit sicut petra, sicut alveus apum, et globosus, et volutavit se, et ivit cum ipsis in itineribus ipsorum. Quum vexilla castra ponerent, et tabernaculum staret, illa petra venit, et consedit in atrio tentorii. Tunc venerunt Principes et iuxta illum steterunt, dicentes: Ascende putee etc. et ascendit.* Vid. *Schoettgenii* hor. hebr. et Talmud. ad h. l. Fortassis tamen ipsi Iudaei nonnisi id exprimere voluerunt, quod nos modo in his Pauli verbis latere dicebamus. Qui aliter sentiunt, ii correctionem esse putant in verbis: ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστὸς. *Non illa petra, ex qua biberunt Israelitae, comitata est eos,* ut Iudaei fabulantur, sed Christus intelligendus est nomine eius petrae, quae illos est comitata. Quodsi hoc probamus, duplici sensu hic sumitur vox πέτρα, nempe

proprio, quatenus Israelitae ex ea biberunt; improprio vero sensu, quatenus πέτρα quaedam comitata est Israelitas. *Chrisostomus: οὐ γὰρ ἡ τῆς πέτρας Φύσις τὸ ὕδωρ ἠφίει, ἀλλ' ἑτέρα τις πέτρα πνευματικὴ τὸ πᾶν εἰργάζετο, τουτέστιν, ὁ Χριστὸς ὁ παρὼν αὐτοῖς παντα-χοῦ, καὶ πάντα θαυματουργῶν· διὰ γὰρ τοῦτο εἶπεν, ἀκο-λουθούσης.* Caeterum haec Pauli disputandi ratio tota est Iudaica et Rabbinica. Iudaeis enim erat elegantiae genus, comparationes e. V. T. desumere, et narrationibus eius in rem suam uti. Hunc morem Paulus quoque sequutus est, cuius theologia saepius est typica. Universum V. T. ei ad Christum spectabat. Omnes res ibi traditae imagines erant temporis futuri; per Christum et religionem christianam demum perfecte poterant explicari.

5. Ἀλλ' οὐκ — ὁ Θεὸς) *Sed plerosque illorum non approbavit Deus;* affecit potius poenis. Εὐδόκησεν, רָצָה. Κατεστρώθησαν, *prostrati sunt,* non contigit illis terram attingere promissam, sed praeter Iosuam et Calebum omnes, per varios iactati casus, morte tandem in ipso itinere abrepti sunt. Num. XIV, 16. 29. 30. Sic etiam Christiani promissam felicitatem non adipiscentur, si fuerint immorigeri Deo et Christo.

6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν) *Haec autem exemplo nobis facta sunt.* Τύπος h. l. denotat *exemplum, exemplar,* ut 1 Thess. I, 7. 1 Tim. IV, 12. Tit. II, 7. Ταῦτα referendum est ad poenas, quibus Deus affecit veteres illos Israelitas. Quod Deus illos tam severe punivit, id factum est, ut nos exemplis istis sapiamus. εἰς τὸ μὴ — ἐπεθύμησαν) *Ne appeta-*

tamus prava, sicut illi cupiditates pravas secuti sunt. Quibus vero pravis cupiditatibus Corinthii potissimum abstinere debeant, Paulus in iis, quae sequuntur, docet.

7. Μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε) i. e. Nolite ullo modo participes fieri idololatriae. Nam tangit eos, qui idolothytis vescebantur, quod aut idoli cultus erat, aut gradus ad cultum idoli. ἐκάθισεν — παίζειν) Exod. XXXII, 6. *Sedit populus*, nempe sicut vos accumbitis in conviviis sacris gentilium. Παίζειν nonnulli de *re venerea* interpretantur. Sed dubium esse non videtur, quin de *saltatione* intelligi debeat, quum Exod. XXXII, 18. seqq. expressis verbis saltationis circa aram vituli aurei fiat mentio. Virgil. Ecl. VI, 27. *Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.* Horat. 3. od. XV, 11. *Illam cogit amor Nothi Lascivae similem ludere capreae.* In sacris vero solemnibus gentilium consuetas fuisse saltationes circa aras, notum est; cuius moris etiam meminit *Callimachus* in Dian. extremis verbis: περὶ βωμὸν κυκλώσασθαι.

8. Μηδὲ — ἐπόρνευσαν) De Israelitis vide Num. XXV, 1., qui per filias Moabitarum etiam ad sacrificia peregrina pertracti fuerunt. In simili periculo fuerunt Christiani Corinthi, ubi scortatio sequebatur plerumque convivia sacra et saltationes, et grata Diis habebatur. καὶ ἔπεσον — χιλιάδες) Πίπτειν, *fatali morte perire.* Textus hebraicus habet *viginti quatuor* hominum millia, quem numerum tuentur etiam versio Alexandrina, Iosephus et Philo Iudaeus. Commodissima ratio Pau-

lum cum his conciliandi haec est, si dicamus, viginti tria millia hominum vi divina, mille hominum autem gladio Zelotarum, Phinees et sodalium eius interiisse.

9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν) Neque adversemur Christo, contra eum, eius voluntatem agamus. Nolite abuti libertate christiana, dum praesentes estis in epulis sacrificalibus, veluti Christo adversaturi. Pro τὸν Χριστὸν alii legunt Θεὸν, alii κύριον. Πειράζειν, i. e. πεῖραν λαμβάνειν τινὸς, *explorare aliquem, vires eius tentare, an hoc vel illud facere possit. Christum* seu *Deum* tentare dicuntur qui spretis beneficiis praesentibus, alia et maiora expetunt; nam experiri quasi volunt, an Deus maiora facere possit. Vid. not. ad Act. V, 3. 9. Sic Israelitae olim spreto Manna (Num. XI, 4. sq.) alia miracula optabant; Corinthii autem, non contenti suis donis a Deo acceptis, maiora desiderabant. *Theodoretus:* ἕκαστον τῶν εἰρημένων ὡς συμβαῖνον τοῖς Κορινθίων πλημμελήμασι τέθεικε. — ἐγόγγυζον οἱ τῶν ἐλαττόνων χαρισμάτων τετυχηκότες, ἐπειδὴ μὴ πάντων ἦσαν ἠξιωμένοι etc. Sed eo etiam sensu Corinthii *provocarunt Christum*, quod vitiis, quae notaverat Apostolus, fovendis, velut experiri voluerunt, an caussam Pauli adiuvare Christus velit et possit, similes Israelitis, qui fastidio cibi, divina virtute suppeditati, aliorumque miraculorum, quibus adhuc iuvabantur, profano contemtu Deum provocarunt ad auctoritatem Mosis, legati sui, miraculo tuendam (Num. XXI, 5.), quod vero nunc, quum tot et tanta miracula per Mosen edita fuissent, non beneficium fuerat, ut in superiore πειρασμῷ (Exod. XVII, 6. coll. 7.), sed terribile. Num. XXI, 6.

10. Μηδὲ γογγύζετε) Γογγύζειν, *obmurmurare, obloqui*, ingrati animi et indignationis est indicium. Hoc faciebant Israelitae, Num. XIV, 2. 3. 4. XVI, 1. seqq. Corinthi etiam erant factiones obmurmurantium Paulo vel aliis doctoribus. καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ) Ὁλοθρευτὴς, qui Hebr. XI, 28. ὁ ὀλοθρεύων pro hebr. מַשְׁחִית Exod. XII, 23. denotare videtur *pestem*, sub persona angeli, mortem subitam populo inferentis, repraesentatam. Nam *fulgura*, *pestem*, et similia fatalia hominibus, tribuebant Iudaei angelo, fati ministro.

11. Τύποι) Tanquam poenarum exempla, ut Vs. 6. Alii legunt τυπικῶς, eodem sensu. Facta illa sunt ad nos monendos et meliores reddendos. εἰς οὓς — κατήντησεν) *Qui ultimis seculis vivimus.* Τὰ τέλη τῶν αἰώνων, *ultima tempora*, sive tempus illud, post quod nulla nova lex, aut nova religionis forma a Deo revelanda, erat expectanda, Gal. IV, 4. Eph. I, 10. *Semlerus* cui *Strothius* accedit, ex Iudaico more computandi annos durationis mundi, hanc phrasin explicandam esse putat. Credebant nempe Iudaei, 6000 annos duraturum esse mundum. Hellenistis αἰών erat spatium mille annorum. Pauli autem aetate fere 5600 a mundo condito anni numerabantur. Solebant etiam Iudaei sic dispescere tempora: 1) Tempus ante legem; 2) tempus legislationis Mosaicae, a Mose usque ad Messiam; 3) tempora Messiae, עולם הבא. In hac ultima periodo, inquit Paulus, nos vivimus. *Targum Hieros.* Genes. III, 15. *Insidiae calcaneo fient* בסיף יומיא ביומוי דמלכא משיחא *in fine dierum, h. e. tem-*

poribus Regis Messiae. Vid. *Schoettgen* et *Michaelis* ad h. l.

12. Ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι) i. e. Qui putat, se firmum esse in religionis confessione, ut nihil periculi sibi metuendum sit a tentationibus. Ἑστάναι h. l. est firmum perstare in religione, quemadmodum statim πίπτειν, *labi*, deficere a Christo.

13. Πειρασμὸς — ἀνθρώπινος) *Nonnisi levem tentationem experti estis.* Λαμβάνειν h. l. est *corripere, invadere.* Ἀνθρώπινος, *levis*, quae vinci facile potest, quia vires humanas non superat, sive etiam *vulgaris*, frequens inter homines, 2 Sam. VII, 14. Ies. VIII, 1. Chrysostomus: ἀνθρώπινος, τουτέστι, μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος. Πειρασμὸς h. l. plerisque interpretibus est *calamitas, afflictio.* Equidem accedo *Strothii* sententiae existimantis, πειρασμὸν hic esse sollicitationem ad peccatum. Sic Iac. I, 13. πειράζεσθαι est *in peccatum impelli*, inprimis ad defectionem a religione christiana. Respicit Paulus ad id, quod Christiani ab Ethnicis ad convivia sacra invitabantur, quae tentatio erat levis, quia tantum ad edendum, bibendum etc. invitabantur, et nihilominus iam concesserant, et victos se dederant. Sed instabant graviora, e. g. tentatio in honorem Deorum thurificandi, iurandi etc. πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς) Dixerat, maiora mala posse evenire, ut eo magis cautos redderet. Nunc, ne nimium consternarentur, solatium addit, significans, Deum, modo ipsi negligentes non sint, daturum vires pares tentationi. Πιστὸς, fidelis in praestanda ope. Ὃς οὐκ —

δύνασθε) sc. ὑπενεγκεῖν, quod addunt nonnulli Codd. et Augustinus aliquoties: *qui vos in nullum periculum incidere patietur, cuius propulsatio vires vestras excedat.* ἀλλὰ — τὴν ἔκβασιν) *Sed largietur cum tentatione vicendi facultatem*, i. e. si permittat tentationem, dabit etiam vires ut vincere possitis. Ἔκβασις, *evasio*, evadit autem, qui tentationem vincit.

14. Διόπερ — εἰδωλολατρείας) i. e. Fugite occasionem omnem, quae vos in idololatriae societatem trahere possit. Bene hoc cohaeret cum paullo ante dictis. Si vosmet ipsos assuefaciatis epulis in idolio, facile, ubi gravior persecutio incubuerit, ad plenissimam idololatriam devolvemini. Redit simul Apostolus ad disputationem, c. VIII. coeptam de esu carnium idolis mactatarum, et ostendit, quatenus hic esus sit licitus, vel illicitus. Non licebat Christianis interesse ipsis epulis sacris gentilium; hoc enim erat idololatriae genus, Vs. 14—24. Licet vero edere carnes, quae in macello venduntur, et in epulis communibus apponi solent, quamvis fortassis diis immolatae fuerint, Vs. 25—33.

15. Ὡς φρονίμοις λέγω) *Loquor vobiscum, ut cum prudentibus.* Attentionem Corinthiorum excitat, quum ipsis ingenium tribuit. κρίνατε ὑμεῖς, ὃ φημι) Quasi dicat: Adeo aequa adferam, ut non alios quam vosmet ipsos sumam iudices.

16. Τὸ ποτήριον — τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι) *Calix ille sacer a nobis consecratus, nonne cum Christi sanguine coniunctus est?* Sensus est: *Nonne bibitione eius vini consecrati, quod haurimus e po-*

culo, participes reddimur sanguinis Christi? i. e. profitemur ad alios, nos religione esse Christianos, vel: declaramus, nos esse cultores Christi, qui pro nobis mortuus est? Ποτήριον, pro eo, quod in calice est, nempe *vino*, et per novam metonymiam pro *bibitione vini;* nam sine usu non posse locum habere, quod statim dicitur, per se patet. Est autem *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας*, כוס דברכה, pro *τὸ ποτήριον εὐλογητὸν* vel *εὐλογημένον*, *poculum pro quo gratias agimus Deo*, vel quod gratiarum actione consecratum est usui sacro. De significatione verbi *εὐλογεῖν*, vid. dicta ad Matth. XXVI, 26. Κοινωνία per meton. h. l. est id, per quod fit ipsa communio, ut sit sensus: *omnes bibentes ex hoc sacro poculo sunt κοινωνοὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.* Sanguis Christi vero pro toto sacrificio Christi in cruce peracto. Ostendere vult Apostolus, ut ex sequentibus et praecedentibus patet, Christianos, qui epulis sacris Gentilium interesse solerent, ab aliis Ethnicis considerari tanquam homines idololatricae religioni faventes, atque ab ea non valde abhorrentes, quemadmodum qui Christianorum sacris epulis intersunt, censentur profiteri mortem Christi expiatoriam, adeoque se pertinere ad Christianorum religiosam societatem, publice declarant. Vid. *Stroth.* ad h. l., qui bene monet, contextum esse attendendum. Ita etiam veteres interpretes intellexerunt locum hunc, e. g. *Theodoretus: τῶν ἱερῶν ἀπολαύοντες μυστηρίων, οὐκ αὐτῷ κοινωνοῦμεν τῷ Δεσπότῃ, οὗ καὶ τὸ σῶμα εἶναι καὶ τὸ αἷμα Φαμὲν; — τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν*) Pro *ὁ ἄρτος ὃν κλῶμεν.* Sic: *Urbem quam statuo, vestra est*, pro *urbs. Esus panis consecrati* iterum hic intelligitur. *οὐχὶ — Χριστοῦ ἔστιν;*) *Nonne* (esu

panis sacri) *declaramus nos esse membra corporis Christi*, i. e. societatis Christianae? Τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, h. l. esse *societatem christianam*, ut infra c. XII, 27. et alias saepe, ex Vs. 17. patet.

17. Ὅτι εἷς — ἐσμεν) Recte *Pottus* vertit: *Ut unus idemque* (i. e. omnibus communis) *in sacra coena panis adponitur comedendus; sic et nos, licet multi simus, nonnisi unum* σῶμα (in quod potissimum vocabulum Apostolus ex Vs. 16. incidisse putandus est) seu *unam societatem arctissime iunctam constituimus.* Arctissima illa Christianorum non solum cum *Christo* sed etiam *inter se* coniunctionis notio magis amplificatur. οἱ γὰρ — μετέχομεν) Ἐκ τοῦ ἑνὸς, i. e. ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἄρτου. Sensus est: Dum omnes participamus eundem panem, eo ipso declaramus, nos huius societatis christianae membra esse.

18. Βλέπετε — σάρκα) Alio exemplo utitur, ut ostendat, Christianos, qui Gentilium sacris epulis interessent, in societatem venire cultus idololatrici. *Considerate*, inquit, *Israelitas, Iudaeos.* Addit κατὰ σάρκα, ut distingueret Iudaeos nondum ad Christum conversos a *Christianis* ex Iudaeis, seu Israelitis κατὰ πνεῦμα. οὐχὶ — θυσιαστηρίου εἰσί;) *Nonne, qui de victimarum carnibus edunt, etiam in altari obtulisse censentur?* Τὰς θυσίας, שְׁלָמִים, carnes victimarum, quibus vescebantur cum amicis, qui eas obtulerant. Sunt *particípes altaris*, adeoque Dei, cui in altari offertur, vel cultus qui in altari exhibetur; fatentur publice, se eum Deum colere, cuius est altare. Conclusio ex duobus exemplis, Vs. 16. sqq. allatis, tam

facilis erat, ut verbis eam exprimere non fuerit opus. Est autem haec: Sicuti qui sacrae Christianorum coenae intersunt, eo ipso declarant, se esse Christianos; sicuti porro, qui sacris epulis Israelitarum vescuntur, eo ipso ostendunt, se esse Iudaeos: ita etiam ii, qui ad convivia sacra gentilium invitati accedunt, eo ipso declarant, se esse idolorum cultores.

19. Τί οὖν — τί ἐστιν;) *Quid igitur dicere* (ex hactenus dictis concludere) *volo?* Hoc fortassis, *quod idolum aliquid sit* (et efficere possit)? *vel quod idolothytum aliquid sit* (et ab aliis carnibus differat)? Haec non est mea sententia, Paulus inquit. Concedo idolum nihil esse, et carnes Diis immolatas nihil differre ab aliis carnibus. Sed licitum esse Christianis interesse epulis sacrificalibus gentilium, id non concedo. Refutat eorum sententiam, qui putabant, licere Christianis vesci idolothytis eam ob caussam, quod idola et idolis immolata nihil sint, vel efficere possint, supra c. VIII, 4. Respondet, his etiam concessis, non sequi, quod illi inde inferre voluerunt. Verba: ὅτι — τί ἐστιν *Semlerus* e textu in marginem reiicienda esse putat; esse enim glossas, in variis regionibus varie adscriptas. Alii vero retinenda esse verba recte censent.

20. Ἀλλ' ὅτι — δαιμονίοις θύει) Plena oratio esset: οὐχί, ἀλλὰ τοῦτο φημὶ ὅτι κ. τ. λ. *Minime hoc inde consequitur; sed hoc tantum volo dicere: Quod gentiles sacrificant, id sacrificant diis fictitiis, non autem Deo.* Sensus est: Quanquam gentilium Dii nihil sunt, ipsi tamen gentiles eos pro vere existenti-

bus habent, et pro certo sumunt, nos etiam in hac esse sententia. Δαιμόνια, qui h. l. et Vs. 21. opponuntur Θεῷ et κυρίῳ iidem sunt qui Apoc. IX, 20. εἴδωλα, et indicant *falsos, fictitios Deos.* Cf. LXX. interprett. Deut. XXXII, 17. coll. Vs. 21. Ipsi etiam pagani deos, quos colebant, δαιμόνια nominare solebant. καὶ οὐ Θεῷ) Non autem vero Deo, quem nos Christiani colimus. οὐ θέλω — γίνεσθαι) Nolim autem, vos vel in speciem consortes fieri falsorum deorum, cultusque qui illis praestatur.

21. Οὐ δύνασθε) Non convenit, non decet. Ipsi facile cognoscetis, hoc non licere. ποτήριον δαιμονίων) i. e. *Vinum fictitiis diis libatum*, quod praecipue in conviviis sacris bibere solebant Gentiles. Aen. VIII, 273. *Quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum, Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris, Communemque vocate Deum, et date vina volentes.* τραπέζης κυρίου — τραπέζης δαιμονίων) *Mensae Domino sacrae — falsis diis sacrae.*

22. Ἢ παραζηλοῦμεν τὸν κύριον;) *Deum ad indignationem provocare* eminenter dici solet de iis, qui idolis honorem exhibent, ut Deut. XXXII, 21. μὴ ἰσχυρότεροι αὐτοῦ ἐσμεν;) Ut nempe poenas evadere possimus, quas iratus Deus nobis velit infligere.

23. Πάντα — συμφέρει) *Omnia licent* (omnibus cibis *per se* spectatis vesci licet), *sed non omnia prosunt*, iis nempe, qui in his rebus libertate sua abutuntur: nocent potius sibi ipsis, qui e. c. epulis sacrificalibus gentilium intersunt. Nimirum noxae sibi fuerunt

licentiosi Corinthii, dum divinas poenas per amoris neglectionem et idololatriae crimen in se concitabant (Vs. 22. 6. 11.), atque per nimiam cum idololatris familiaritatem pristinis moribus, tum animi vitiis universe, tum maxime solemni in delubris lasciviae denuo, et tanto quidem facilius implicabantur, quanto magis assueti fuerant huic scelerum generi, quod Corinthi praesertim regnasse constat. Πάντα — οἰκοδομεῖ) *Omnia licent, sed non omnia prosunt aliis.* Quanquam συμφέρειν et οἰκοδομεῖν in se idem significare possunt, per *contextum* tamen altera pars commatis de sua *cuiusque*, altera, ne idem bis dicatur, de *aliorum* utilitate accipi potest, ut συμφέρει ad *agentem*, οἰκοδομεῖ ad alios trahatur, seu in universum ad rem christianam. Non omnia, quae per se licent, faciunt ad rei christianae incrementa, utilitàtem afferunt religioni christianae.

24. Μηδεὶς — ἑτέρου) Plena oratio esset: μηδεὶς το ἑαυτοῦ συμφέρον (ex Vs. 23.) μόνον ζητείτω, ἀλλὰ καὶ τὸ συμφέρον τοῦ ἑτέρου, *nemo suis tantum, sed et aliorum hominum commodis studeat.* Ζητεῖν τὸ ἑαυτοῦ, *suis commodis servire.* Licet nobis omnino uti nostro iure; sed si id cum fratris periculo futurum sit, magis perpendere debemus, quid illi expediat, quam quid nobis liceat.

25. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε) i. e. *Licet vobis edere quicquid vendi solet in macello.* Ostendit nunc Apostolus, quatenus carnibus immolatitiis vesci liceat; sed sic etiam hac cautione opus esse monet, ne alios temere offendant ii, qui hoc suo iure

utuntur. Μάκελλον vox est graeca ex latina, ut φλαγελλοῦν, κουστωδία et similia. Plutarchus quaest. Rom. explicat per κρεωπώλιον, *locum ubi carnes venduntur*. *Aedificia* erant, in hunc finem exstructa, vel *spatia* quaedam *in foro*, s. *fora carnaria*. μηδὲν — συνειδησιν) *Nihil inquirentes, ne conscientia* (vestra) *perturbetur*. Fieri poterat, ut macellarius, antequam ad macellum carnes ferret, aliquid de iis in aram dedisset, vel ut sacerdotes partes, quae ipsis cedebant, venderent. De eo non vult sollicite inquiri; licet nescire talia, et nescisse se dicere, sine scrupulo. *Strothius* et *Schulzius* τὴν συνειδησιν intelligunt ideam sive imaginem, quam quis sibi de aliqua re formavit.

26. Τοῦ γὰρ — πλήρωμα αὐτῆς) *A Deo enim condita est terra cum omnibus rebus quae in ea sunt.* Ex Ps. XXIV, 1. Πλήρωμα, מְלוֹאָהּ est omne id, quod super terram versatur, animalia, herbae etc. Non potest autem impurum esse, quod a Deo conditum est in usus hominum.

27. Εἴ δέ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων) sc. *ad convivium*; nam καλεῖν est ad convivium vocare. Non loquitur de conviviis sacris in idoleis, nec concedit, porro a Christianis frequentari posse idolea, sed de communibus s. privatis epulis.

28. Ἐὰν δὲ — εἰδωλόθυτόν ἐστι) De convivatore loquitur, qui putaret Diis consecrata fas non esse Christiano comedere. καὶ τὴν συνειδησιν) *Ne offendatis conscientiam*, sc. alterius, ut statim explicatur. *Schulzius* verba δι' ἐκεῖνον — συνειδησιν per Hendiadyn po-

sita esse putat pro: *διὰ τὴν συνείδησιν τοῦ μηνύσαντος*, propter opinionem (ideam) eius, qui hoc vobis indicavit; quia nempe aliter putat, esse Deos, et agnosci pro Diis a vescentibus. Sic etiam comm. 29. vocem *συνείδησις* explicandam esse putant *Schulzius* et *Strothius*. Verba: *τοῦ γὰρ κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς* absunt a melioribus codicibus, Versionibus nonnullis et Latinorum multis citatis.

29. *Συνείδησιν — ἑτέρου*) Consulendum est nempe conscientiae alterius, et cedendum ad tempus errori, quem non possis tollere. Tibi autem, qui meliorem cognitionem habes, licet vesci omnibus carnibus, si nemo offendatur. *ἵνα τί — συνειδήσεως*) *Qui enim condemnari* (et eripi mihi) *possit libertas mea, a conscientia aliena?* Omnino licet mihi uti libertate mea, si solus sim, vel alios non offendam, quamvis alii aliter sentiant. *Ἄλλος* est quivis alius, quocum negotium nobis non est; *ἕτερος* is, quocum negotium est.

30. *Χάριτι*) i. e. *ἐν εὐχαριστίᾳ*, *cum gratiarum actione*. Alii vertunt: *per Dei beneficium*; Deo dante et id concedente. *Τί — εὐχαριστῶ*;) *Quid ego movear aliorum obtrectatione propter id, cuius caussa gratias ago* (Deo)?

31. *Εἴτε οὖν — εἰς δόξαν Θεοῦ*) *Sive igitur edatis, sive bibatis, sive quicquid agatis, omnia facite sic, ut Deus celebretur*, eiusque cultus promoveatur. Cavete, ne ullo vestro facto Dei honor laedatur; id potius agite, ut omnes intelligant, vos duci Dei sensu et numine, nihilque agere tantum voluptatis vestrae

caussa. *Aboth* II, 12. R. Iose inquit, omnia opera tua fiant in nomen Dei. *Schol. Bartenorae:* etiam si edas et bibas, non cogitabis de deliciis corporis, sed haec omnia facies ad acquirendas vires, quibus voluntatem Dei omnimodo implere possis.

32. Ἀπρόσκοποι — τοῦ Θεοῦ) *Nolite occasionem peccandi praebere vel Iudaeis* etc. Ἀπρόσκοποι hic active sumitur, pro eo, qui neminem offendit, i. e. deteriorem facit. Cavete, ne *Iudaei* dicere possint, vos haud sincero studio Deum verum colere; ne *Graeci* dicant, vos nihil in idolatria mali esse censere; ne *Christiani* adhuc teneri, impendentibus malis aliquibus ad defectionem impellantur.

33. Πάντα πᾶσιν ἀρέσκω) Πάντα, pro κατὰ πάντα, in omnibus rebus. Ἀρέσκω, *placere studeo* in iis nempe rebus, de quibus hactenus fuerat sermo, vescens, non vescens, accipiens, non accipiens; ut multis persuadeam christianam religionem, nulla impedimenta ipse inferam. Nam ἀρέσκειν h. l. est *servire, aliorum inservire commodis.* Sic LXX. Ps. XXXV, 14. et CXVI, 9.

CAP. XI.

1. Μιμηταί μου γίνεσθε) Hunc versum perperam Latini a superiori capite absecuerunt, cum quo potius cohaeret, ita tamen, ut singulari quodam Pauli artificio sit simul et superioris disputationis conslusio, et transitio ad ea quae sequuntur. καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ) Ne

suum exemplum laudare videatur, ad Christum refert, cuius modum et docendi et vivendi imitabatur.

2. Ἐπαινῶ — μέμνησθε) *Laudo vos, fratres, quod in omnibus mei memores estis.* Πάντα, pro κατὰ πάντα, in omnibus rebus, ad religionem et instituta in ecclesia pertinentibus. Progreditur Apostolus ad alium abusum taxandum, qui in ecclesia Corinthiaca invaluerat. Ipsae Corinthiorum litterae quaestionem de cultu feminarum cum altera de Idolothytis coniunxisse videntur; quare Paulus hanc tractationem superiori annectit. Iidem nempe, qui templa idolorum denuo frequentare solebant, ex fano in ecclesiam translatum voluerunt morem, ut mulieribus liceret in concione sacra orare remoto velamine, Vs. 5. Quum autem ipsius etiam antiiudaicae partis complures (Paulini et Apollonii) christiani a Iudaico ritu, quem ab ipso Paullo et Apollo, quum inter Corinthios versarentur, teneri vidissent, recedere dubitarent, quaestionem hanc in epistola partis antiiudaicae communi nomine exarata, ad Paulum retulerunt. Is igitur laudat Corinthios, quod inconsideratae certorum sociorum cupiditati non statim obsecuti fuerint, sed *memores Apostoli*, moribus ab ipso ut alibi, ita etiam Corinthi servatis, vim facere noluerint, verum ex ipso prius *percontari* maluerint, num in veteri instituto novare aliquid liceat. Ceterum totum hunc locum egregie illustravit *Storrius* l. c. p. 35. sqq. καὶ καθὼς — κατέχετε) *Et praecepta quae ego vobis tradidi, retinetis.* Παραδόσεως nomine vocatur omne id quod docetur (cf. Matth. XV, 2.), hic autem significatur *praeceptum* de ritibus et moribus publicis, ad ordinem et decorum in ecclesiis

servandum institutis. Multa erant in hoc genere per se non ita magni ad pietatem momenti, sed in quibus utile erat aliquid in commune constitui, ne discrepans usus dedecoraret ecclesiam, vel disputationes, et ex disputationibus schismata sereret.

3. Ut efficiat Paulus, uxoribus christianis in concione sacra velandum esse caput (Vs. 5.), praemittit rationes decidendi, si ita loqui fas est. Et primo quidem ponit, uxorem in mariti potestate esse, maritum autem in rebus ad religionem et cultum divinum pertinentibus, nemini nisi Christo subiectum esse. ὅτι παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός ἐστι) Κεφαλὴ improprie est *dominus*, aut qui maiori utitur auctoritate. Dicit igitur Apostolus, in rebus ad religionem pertinentibus viros nullum alium super se dominum agnoscere, nisi solum Christum. Sunt autem istae rationes, quas Paulus hic affert, *ad hominem*, quae alio tempore, aliis locis, apud alios homines porro non valent. κεφαλὴ δὲ γυναικὸς, ὁ ἀνὴρ) i. e. Mulieres vero praeter Christum etiam suos maritos pro dominis agnoscere debent. κεφαλὴ δὲ Χριστοῦ ὁ Θεὸς) *Deus autem Christum sibi subditum habet*, utpote qui eum misit ad mandata peragenda. Cum hic dicitur, Deum, *patrem*, Christi esse caput, hoc referendum est ad regnum Christi, vel novam eam Christianorum societatem, quam Christus Dei patris auctoritate instituit, quare et alibi ecclesiae caput dicitur Christus, Eph. I, 22.

4. Πᾶς ἀνὴρ—τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ) Προφητεύειν h. l. ut hebr. הִתְנַבֵּא est *divinas laudes canere, sacris hymnis celebrare Deum*, ut Exod. XV, 20. Num.

XI, 25. 29. 1 Reg. XVIII, 29. Κατὰ κεφαλῆς ἔχων, sc. κάλυμμα, *velamen*, puta pileum vel galerum. Καταισχύνει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, nempe *Christum*, qui est caput viri, vel etiam *seipsum*. *Dedecorat vir caput suum*, orans aut divinas laudes canens, *operto capite*, quia more Graeco *caput tegere* erat servorum, et signum subiectionis. Non decet ergo virum, quum soli Christo subsit, publice quasi se servum aliorum profiteri. Alii ita intelligunt: Dedecorat caput suum — quia ratione vestitus imitatur sexum sequiorem. Haec omnia, ut et proxime sequentia ex moribus illorum temporum. Ceterum (ut Storrius monet p. 38.) hoc comma non in eam partem accipiendum videtur, ut certorum opinioni contradicatur, *qui viros operto capite orare voluerint*, sed in hanc potius sententiam, ut Aposolus *concedat*, viros *quidem* (μέν, Vs. 7.) non debere caput operire, *sed* mulieres idem decere *neget*. Credibile nonnullis visum est, Corinthios christianos viris christianis *Iudaicum* morem *contra graecam consuetudinem* obtrudere voluisse. Sed ne constat quidem *illius temporis* Iudaeos recentiorum ritu operto capite precari consuevisse.

5. Πᾶσα δὲ γυνὴ — τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς) Προφητεύειν eodem sensu quo Vs. 4. Usu fuit receptum apud multas gentes cultiores, ut virgines et mulieres velarent caput; contra vero turpe et indecorum est habitum, mulieris nuptae vultum in publico adspici et oculis aliorum usurpari posse. Apud Iudaeos certe hic mos obtinuit. Hunc autem velaminis muliebris usum *Christi et Apostolorum aetate* sensim inter Iudaeos exolevisse, tanto incredibilius est, quanto certius

constat, etiam *seriori tempore* priscam consuetudinem a mulieribus hebraeis religiose servatam fuisse. Vid. *Schroederus* de vestitu mulierum hebr. 87. 89. sq. Videtur potius *graeca* consuetudo fuisse, ut mulieres velamina, alias usitata, in templis tantisper seponerent, quam consuetudinem nonnulli Corinthii *odio Iudaismi* et cupiditate partem ecclesiae iudaizantem omnibus modis lacessendi, in ecclesiam invehere voluerunt. Paulus vero de ea muliere, quae haud velata sacris christianis intersit, dicit: καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς, *dehonestat caput suum*, i. e. suum ipsius corpus, seipsum. *Caput* nempe intelligitur, quod radi poterat, ut statim dicitur. Negligentia velaminis in publico, quam Rabbini inter caussas repudii retulerunt (*Seldeni* uxor hebr. L. III, c. 17.), ipsa etiam Pauli aetate suspicionem impudicitiae habuit. Contra vero capitis tegumentum *modestiae* signum fuit, de capite uxoris *adulterii suspectae*, ex prisco Iudaeorum more detrahi solitum, Num. V, 18. Ubi igitur hoc in more positum fuit, ut *honestae* mulieres velarentur, *ceterae* aperto capite in publicum prodirent, ibi vel eae feminae, quarum castitati nullum periculum creavit velaminis negligentia, suam certe famam abiecerunt. Alii τὴν κεφαλὴν ut Vs. 4. ita etiam hic sumunt improprie, ut sensus sit: mulier orans haud velato capite dedecorat maritum suum, publice quasi ostendens, se maritum pro domino non agnoscere. Sed durior est haec expositio. ἓν—τῇ ἐξυρημένῃ) *Unum enim idemque est, ac si rasa esset.* Proprie tamen ἓν καὶ τὸ αὐτὸ positum est pro μία καὶ ἡ αὐτὴ, uti ταῦτα pro οὗτοι supra c. X, 6. VI, 11. Feminae tonderi non solebant, nisi quum turpes videri vellent, ut in luctu, Deut. XXI, 12.

Apud profanas etiam gentes *rasa coma* mulieribus *αἰσχύνη* esse, et formam extinguere credebatur. Praeterea rasa coma erat poena adulterarum. Multa loca *Wetstenius* ad h. l. congessit.

6. Εἰ δὲ *αἰσχρὸν — ξυρᾶσθαι*) Κείρασθαι referre solent ad occiput: *ξυρᾶσθαι* vero ad sinciput. Germani feminis adulteris crines accidebant. *Tacit.* Germ. 19. *paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus.* Apud Hebraeos autem *uxori adulterii suspectae* velamen detrahi solitum (Num. V, 18.), iam monuimus ad Vs. 5. Haec igitur prima ratio est, quam Paulus pro retinendo velamine affert, quod nempe feminae secus facientes famae suae noceant. Ceterum Paulus de *uxoribus* solum praecipit (Vs. 3.) sive quod Corinthi, quemadmodum in alia Peloponnesi parte, Laconicam puta, *uxoribus* tantum necesse fuerit velari, (vid. *Schroederus* l. c. p. 93.) sive quod consuetudinem latissime per omnes regiones, ubi Christianorum ecclesiae essent, patentem (Vs. 16.), defendisse satis haberet, confisus, in iis locis, ubi ad communem et antiquissimum morem recentior consuetudo etiam virginum velandarum necessitatem adiunxerat, matres, velo adsuetas, sua sponte invigilaturas esse, ne filiae negligentia velaminis suo honori male consulant.

7. Ἀνὴρ *μὲν — τὴν κεφαλήν*) Redit Paulus ad disputationem, quam Vs. 3. inceperat, et *secundam* rationem explicat, cur uxor christiana caput velare debeat, quia nempe mariti imperium agnoscere teneatur,

nec servitutem muliebrem exuere possit. Vir, inquit, caput obtegere non tenetur. *εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων*) *Similitudinem et maiestatem Dei referens.* Est enim vir in supremo gradu collocatus in hoc mundo, tanquam secundarius aliquis Deus, ipsius etiam mulieris respectu. Quapropter in *communi virorum et mulierum coetu* non decet eum esse capite velato, quia signum hoc est subiectionis et servitutis. *Augustin.* Serm. IV. in octava Paschae: *Revelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Imago Dei* h. l. non sumitur illa notione consueta de morali quadam praestantia et perfectione, sed de dominio. Ne *Epiphanii* quidem tempore convenerat ecclesiasticis doctoribus, quid sit imago Dei; et fuerunt ex antiquioribus, qui negarent, imaginem Dei pertinere ad sexum muliebrem; quod de dominio valet, non vero similitudine Dei morali. *γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστιν*) *Mulier vero mariti auctoritatem refert.* Imperat enim materfamilias suae familiae, sed viri nomine. Itaque respectu viri debet gestare signum subiectionis in capite in communi virorum et mulierum coetu.

8. *Οὐ γὰρ — ἀνδρὸς*) Ostendit, quo iure mulier cogatur subdi viro; non contra. Prior conditus est Adam, ex eius vero latere subducta est Eva, ceu viri portio quaedam.

9. *Γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα*) In viri solatium, et generationis adiumentum. Igitur per creatoris voluntatem uxor in mariti potestate est. Gen. II, 18.

10. *Διὰ τοῦτο — τοὺς ἀγγέλους*) Locus, ut omnes sciunt, vexatus. Verterim: *Quapropter uxor debet*

velamen habere in capite propter exploratores. Ἐξουσία nempe hoc loco est *velamen*, ut etiam Vulgatus transtulit. Nempe vocabula rerum haud raro ponuntur pro notarum signorumque earum vocabulis. *Velum* igitur ἐξουσία dicitur, quia honoris signum erat; nam honestiorem conditionem nuptarum apud Iudaeos innuptarum fortuna fuisse constat; ἐξουσία vero etiam *dignitatem, praerogativam*, omninoque *omne, quod praestans et eximium est*, significat, Io. I, 12. 1 Macc. I, 13. XI, 58. Eam ob caussam Alexandrini Gen. XX, 16. velamentum oris Sarae, uxoris Abrahami, quod ab ipso Mose כְּסוּת עֵינַיִם dicitur, τὴν τιμὴν τοῦ προσώπου eleganter vocarunt. Vid. *Jo. Frid. Fischeri* Proluss. p. 557. sqq. Debet autem uxor velare caput διὰ τοὺς ἀγγέλους, propter *exploratores* et *speculatores*. Poterat nempe novae consuetudinis notitia per ἀπίστους speculatores in publicum emanare, christianasque uxores tum Iudaeis, de isto mulierum habitu pessime existimantibus, tum Graecis quoque in suspicionem rei christianae probrosissimam adducere. Ἄγγελοι h. l. ut Iac. II, 25. videntur esse *exploratores*, quo sensu hoc vocabulum accepit *Heumannus*. (Erklär. des N. T. P. X. p. 439. sqq.) quem et alii nonnulli secuti sunt. Sed alios etiam audiamus. Quod igitur attinet ad vocem ἐξουσία, nonnulli mutationem lectionis tentarunt. Varias coniecturas vide apud *Bowyerum* ad h. l. *Io. Toup*, in opusculis criticis p. 26. edit. 2dae rescribendum putavit una literula amota: ἐξιοῦσα. *Quapropter oportet mulierem, quum prodit in publicum, velato esse capite.* Mera coniectura, codicum auctoritate destituta. Graecorum Theo-

logi ita explicarunt: Ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ὀφείλει ἔχειν, τουτέστι, τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίαν καὶ κυριότητα, ἥπερ ὑπόκειται, ὀφείλει ἔχειν, καὶ ἐπιδείκνυσθαι ἐπ' αὐτῆς τῆς κεφαλῆς. Et deinde: Διὸ καὶ αὐτὸ τὸ κάλυμμα εἰκότως ἂν ἐξουσία κληθείη, ὡς τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίας καὶ κυριότητος ἐνδεικτικὸν ὑπάρχων καὶ παραστατικόν. Ἐξουσίαν igitur *velum* metonymice, quod ἐξουσίας sive *potestatis* eius quam in feminam vir habet, indicium sit, dici volunt. Haec sententia plurimis recentiorum interpretum placuit; nec immerito; nam optime cohaeret cum Vs. 7—9. et 11. 12. Nonnulli etiam statuunt, *hellenisticum* esse significatum, pro hebraico רְדִיד, quod erat et ipsum aliquod tegumentum, Cant. V, 7. Ies. III, 23. Dignus etiam qui hic conferatur *Michaelis*, Introductione in Libros N. F. p. 165. edit. recentiss. Διὰ τοὺς ἀγγέλους nonnulli de angelis proprie sic dictis intelligunt, vel de bonis, vel de malis, e. g. *Ne angelis, qui solent praesentes esse, et qui observant cultum nostrum divinum, displiceamus;* aut *ne eos quasi pulchritudinis specie avertamus a suo officio;* aut *ut tutae sitis a malorum angelorum vexatione.* Wetstenius: *Mulier, quae caput tegit, illud protegit, defendit, et habet in sua potestate: quae caput aperit, illud in potestatem malorum angelorum tradit, qui eam vexant.* Aboth R. Eliezer, cit. Wagenseil Sota p. 43. *malus est angelus, qui vocatur Uziel, si videat, mulierem esse nudato capite.* R. Simeon, f. Iochai: *Si mulieris capillus nudus est, veniunt mali spiritus, eique insident, et omnia, quae in domo sunt, perdunt.* Secundum Semleri sententiam Paulus Iudaicam ἔννοιαν hic informat. Sed

contra istas sententias multa docte monuit *Storrius* p. 40. not. 72. Addo *Heinsii* sententiam, qui κεφαλὴν improprie sumit, ut Vs. 3. de *viro*, et ἐπὶ vertit *a*, vel *in* cum Abl. Dixerat Apostolus Vs. 9., non uxoris caussa virum, sed ipsam viri, hoc est, sui capitis caussa creatam esse. Aequum itaque esse, ut ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *in suo capite, non in se*, potestatem suam habeat ac gerat, vel ab illo dependeat idque ut tecto capite aut involuto, quod submissionis signum est, testetur. Quemadmodmum nempe vir ἐξουσίαν ἔχειν ὀφείλει ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, qui est Christus, ita femina ἐξουσίαν ἔχειν ὀφείλει ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, qui vir est, etc. Sed nimis artificiosa videtur haec expositio.

11. Πλὴν οὔτε — ἐν κυρίῳ) *Veruntamen neque viri separatim a mulieribus, nec mulieres exclusis viris Domini sunt*, efficiunt societatem christianam. Quanquam uxor agnoscere debet viri in se potestatem, de reliquo tamen mulier christiana pari cum viro christiano iure gaudet. Utrique cum Christo coniunguntur, et per eum beari possunt. Gal. III, 28. Ἐν κυρίῳ εἶναι, *Domini esse*, ad societatem christianam pertinere. Alii post ἀνδρὸς supplent ἐκτίσθη, ut sensus sit: uterque sexus arcte coniunctus est, et propterea mutuum sibi auxilium praestare tenetur. Ἐν κυρίῳ, *domino sic instituente;* e voluntate domini. Ephes. V, 22. sqq.

12. Ὥσπερ γὰρ — τοῦ Θεοῦ) *Sicut enim prima mulier* (Eva) *e viro* (Adamo) *desumta est; sic* (nunc) *mares per feminas in lucem eduntur; haec omnia*

autem a Deo sic instituta sunt. Et mares et feminas per Christum beari posse (Vs. 11.) confirmat Apostolus hoc argumento, quod humanum genus utroque sexu contineatur, mares igitur et feminae pariter homines, eiusdemque beatitatis humanae capaces sint, Deumque creatorem habeant, qui proinde beneficia per Christum data neutri parti invideat. Rom. III, 29. sq.

13. Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε) Al. ὑμεῖς αὐτοί. Ex suo quisque sensu animoque rem expendat.

14. Ἡ Φύσις διδάσκει) Sicut Iurisconsulti iuri gentium saepe dant nomen iuris naturae, ita et *naturalia* dicuntur, quae non sine probabili ratione longe et late recepta sunt. Apud Lacedaemonios quidem liberi homines *alebant comam*, quod pulcrum habebatur. *Aristot.* Rhet. I. ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν καλὸν, ἐλευθερίας γὰρ σημεῖον, οὐ γάρ ἐστι κομῶντα ῥάδιον οὐδὲν ποιεῖν ἔργον θητικόν. *Eusthatius* vero ad Il. γ. p. 288. κόμην δὲ ἔχειν καὶ εὔκομον εἶναι γυναικικώτερόν ἐστι. Bemidbar R. XI. p. 209. 1. Nonne comam alere turpe est viro, qui caput non pectit? Pueri apud Veteres, maxime illi, qui in deliciis habebantur, erant plane capillati; ubi vero ad virilem aetatem pervenissent, tondebantur, nisi qui essent molles et delicati. Nam viris etiam apud Graecos turpe habebatur, puerilem in modum κομᾶν. Vid. *Perizonius* ad Aeliani Var. hist. Lib. IX, c. IV. edit. Kuehn. Tom. II. p. 7. seq.

15. Δόξα αὐτῇ ἐστιν) Aliquid ei ad decus et ornatum accedit. ὅτι ἡ κόμη — δέδοται) *Coma pro vela-*

mine data est ei, i. e. indicat mulieris caput velamine indigere. Natura enim viro breviores capillos, etiamsi quis sinat excrescere, mulieri prolixiores et capiti obvolvendo idoneos tribuit. *Galenus* de Usu part. XI. *κεφαλῆς μέντοι κομώσης ἐδεῖτο (τὸ θῆλυ γένος) καὶ σκέπης ἕνεκα, καὶ κόσμου, καὶ τοῦτ' αὐταῖς ἤδη καινὸν πρὸς τοὺς ἄνδρας.*

16. *Εἰ δέ — εἶναι*) i. e. *εἴ τις φιλόνεικός ἐστι. Si cui libeat contra haec disputare.* Δοκεῖ h. l. ut saepe, abundat. Cf. *Kypke* ad Marc. X, 42. Luc. VIII, 18. Omnino contentiosi hominis nomine dignus est, qui in rebus per se liberis lubentissime id praefert, quod moribus civium minime convenit, et voluptatem capit ex aliorum offensione, immemor amoris proximo debiti. Tales erant ii ex Corinthiis, qui non curabant perturbationes coniugiorum et rei christianae dedecus, dummodo haberent, quae partem adversariam lacessere possent. *ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν*) Nos Apostoli eo more non utimur, ut scilicet in conventibus sacris mulieres sinamus esse capite aperto. Alii explicant: Nos non solemus *contendere* et pertinaciter sententiam nostram defendere. Sed quum statim *ecclesias* etiam nominet, prima expositio recte praefertur. *οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ*) Sc. *ἄλλαι*. Neque ecclesiae illae, quae ubique sunt terrarum, ita faciunt. Quod vero per omnes ecclesias receptum est, disputando velle in controversiam vocare, est *φιλονείκων*.

17. *Τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ*) *Dum vero hoc praecipio, non laudo quod* etc. Quae huius cap. Vs. 3. sqq. praecepta fuerunt, eorum tractatio per epi-

stolam Corinthiorum, ad cuius capita respondere voluit Apostolus (c. VII, 1.), necessaria facta fuerat; sed *per huius quaestionis occasionem* (τοῦτο παραγγέλλων) incidit demum ad alia conventuum sacrorum vitia notanda, quae non per litteras Corinthiorum, sed *fama* acceperat, Vs. 18. Al. παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν, quae lectio non est contemnenda. *Hoc vero minime laudare possum*, κατὰ λιτότητα, significat enim sibi hoc valde improbari. ὅτι οὐκ — συνέρχεσθε) i. e. Conventus vestros sic instituitis, ut in iis non faciatis novos profectus in christiana virtute, sed fiatis deteriores. Εἰς τὸ κρεῖττον referendum est ad novos profectus in christiana virtute et perfectione.

18. Πρῶτον — ὑπάρχειν) *Primum enim audio vos in ipsis conventibus vestris sacris dissidia exercere*, secessiones facere. Ἀκούω, *ex fama percepi.* Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in ea domo, in qua conventus habentur;* nam sicut συναγωγὴ proprie est ipse conventus, improprie locus, in quem convenitur, ita et nomen ἐκκλησίας utrumque habet significatum. Ergo diversarum partium Christiani in eundem locum ad sacram coenam celebrandam convenerunt, nec dissidium Corinthiorum eo valuit, ut una vel altera pars plane secessionem faceret. Sed diversarum partium homines ne in ipsis quidem conventibus sacris a mutuis odiis abstinebant. Videntur illi, qui dicebant se esse Cephae, se esse Appollonis, c. I, 12., etiam in publicis conventibus partes fecisse, ita ut in sacris conviviis instituendis res suas sibi haberent hi, suas illi, quod patet ex Vs. 21. Nonnulli nempe convivium sibi et suis proprium, non commune cum ceteris instituebant. καὶ

μέρος τι πιστεύω) *Et aliquam partem* (eorum quae mihi de vobis referuntur) *credo.* Al. *aliqua ex parte credo.*

19. Δεῖ γὰρ — εἶναι) *Non enim aliter fieri potest, quam ut dissidia inter vos sint.* Caussam exprimit Paulus, cur partem eorum, quae de Corinthiis fama accepisset, credat. Δεῖ, *oportet*, h. l. significat id, quod propter hominum ingenium et mores non aliter evenire potest, ut Matth. XVIII, 7. Tales quum sitis, inquit Paulus, quales vos esse scio, credibile est vos etiam in ipsis conventibus sacris vestris mutua odia exercere. ἵνα — ἐν ὑμῖν) *Quo fit ut probi inter vos manifesti fiant.* Ἵνα h. l. ut saepe, est ἐκβατικόν. Habet tamen haec res utilitatem eam, ut cognoscatur, quinam inter vos sint veri Christiani. Nam erant etiam inter Corinthios, quibus haec dissidia displicebant: iique erant δόκιμοι. Alii explicant prius membrum huius commatis: Bene est, quod orta sunt inter vos eiusmodi dissidia, et habet ea res usum aliquem, ideoque iudicat Deus, eam non esse vi sua omnipotente impediendam. Quod Vs. 18. vocarat σχίσμα, iam molliori vocabulo appellat αἵρεσιν. Alias *Schisma* est discessus mutuus; *haeresis*, discessus unius partis, quae vero distinctio hic non habet locum.

20. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ) Hesychius: ἐπὶ τὸν αὐτὸν τόπον. οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν) Κυριακὸν, i. e. κυρίου δεῖπνον, coenam in honorem et memoriam Domini. Conveniebant quidem eo consilio, ut coenam dominicam peragerent, sed revera hoc non erat coenam sacram peragere, quia multi e Corinthiis epulandi caussa ve-

niebant, usurpato ad eam rem Christi nomine et instituto.

21. Ἕκαστος γὰρ — φαγεῖν) *Unusquisque enim fere propriam coenam praeoccupat in vescendo*, i. e. de suis cibis, quos afferri iussit, prius ipse edit, quantum lubet, atque deinde ex iis quae supersunt, aliis aliquid concedit. Ut hoc recte intelligamus, notandum est, post commune convivium celebratam esse coenam dominicam, quemadmodum Christus post epulas Paschales instituit hanc sacram coenam. Fuit autem moris Athenis Socratis aetate, ut, qui ad coenam conveniebant, ipsimet singuli aliquid obsonii afferrent, quod non semper in commune apponebant, sed plerumque quisque suo vescebatur. Xenoph. Memorab. L. III. init. Quem morem indicio est hic ipse Apostoli locus, illa etiam tempestate a Corinthiis, iam Christianis, eatenus servatum fuisse, ut celebraturi S. coenam, si non alios etiam cibos, panem certe et vinum in Ecclesiam afferrent, ex quibus deinde partes sumebantur, quae consecrabantur in Eucharistiam. Paulus igitur ἴδιον δεῖπνον sine dubio vocat, quem quisque cibum domo attulerat, in quem quasi suo iure irruebat, non expectatis ceteris. Ἕκαστος hic de multis dicitur. καὶ ὃς — μεθύει) Pauperes nempe esuriebant, vel quia non in tempore veniebant, quum interea divites ad temulentiam vino implerentur. Haec turpitudo haud dubie propria erat Graecis, qui similibus conviviis fere adsueti erant, eoque facilius talem solemnem coenam modo parum salubri pervertebant.

22. Μὴ γὰρ — πίνειν;) Exinde videtur apparere, cibos varii generis allatos esse a Corinthiis in eam

domum, quae postea dicta est *ecclesia*, qui enim solo pane vescitur, vix edendi *voluptatem* sequi dicendus est, quae tamen Corinthiis hic obiicitur. ἢ τῆς—καταφρονεῖτε) Ἐκκλησία hic nonnullis videtur locum conventuum designare. Edere et bibere in *Idoleis* locum habuit apud Graecos, sed in eo loco, ubi religionis verae exercendae caussa conventus habentur, voluptati corporis indulgere non licet. Aliis rectius ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ est societas Christianorum, quam contemnere videbantur divites. καὶ κατασχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας;) *Et pauperiores in ruborem datis?* Hoc vero est, inquit, pauperibus exprobrare paupertatem. Durum est, quod interim esuriant. Οἱ μὴ ἔχοντες, sc. quod afferre possint.

23. Ἐγὼ γὰρ—παρέδωκα ὑμῖν) *Ego enim a Domino* (Iesu) *edoctus sum, quod vos docui.* Παραλαμβάνειν, *percipere, discere.* Non videtur Paulus haec accepisse per immediatam revelationem. Usus est fortassis Evangelio quodam scripto vel Hebraeorum, vel Aegyptiorum, vel alio. Iisdem paene verbis usus est Paulus, quibus usus est Lucas, c. XXII, 19. 20., ubi vid. not. Rationem affert Paulus, cur tales mores et abusus laudare non possit. Quia Dominus ipse instituit S. coenam, fas non est, mutari aut corrumpi eius verum consilium, atque illud, quasi epularum aliarum exemplo, in voluptatis opportunitatem convertere. ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο) Quum ei mors velut praesens esset ante oculos. Et vos, quum memoria talis rei celebratur, ob divitias vestras intumescitis, et laute vivitis. Ad sequentia cf. Matth. XXVI, 26. 27. 28.

24. Εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν) Haec memoria, cum gratitudine et amore coniuncta, non referenda est solum ad mortem Christi, sed et ad ea quae docuit, et beneficia ingentia quae nobis paravit, omniumque rerum, quarum tandem morte sua fidem fecit.

25. Τοῦτο τὸ ποτήριον — αἵματι) Vid. Luc. XXII, 20. Sensus est: *Bibere ex hoc calice est ingredi novum foedus*, associare se novae religioni, quam sancio meo sanguine, morte cruenta. Dum vos bibitis ex hoc calice, reddo vos participes foederis novi, et antiquo foedere solvo. Hoc sensu τὸ ποτήριον habuimus supra c. X, 16.

26. Καταγγέλλετε) Nonnullis h. l. valet loco Imperativi. Alter alteri quasi dicat, nostro commodo Dominus mortuus est; itaque magna illa beneficia non licet oblivisci aut negligere. Alii rectius vertunt in Indicativo, et καταγγέλλειν, pro hebr. הֹדִיעַ vertunt *profiteri*, ut Deut. XXVI, 3. Ps. L, 6. Ipsa huius coenae sacrae celebratione publice profitemini, Christum pro vobis esse mortuum. ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ) Nempe ad iudicium. Vid. Act. I, 11.

27. Ὥστε) Ratio ex praecedentibus. Quum ex institutione Christi ipsius consilium huius sacrae coenae sit, ut in memoriam nobis revocemus Christum, doctrinam eius atque beneficia quae nobis paravit etc. ὃς ἂν — ἀναξίως) Ἀναξίως, *indigne Domino*, i. e. modo non conveniente magnitudini beneficiorum, quorum in S. coena reddimur participes, nec maiestati Christi offerentis. Sic ἀξίως τοῦ Θεοῦ, ut dignum

est Deo eiusque cultu. 1 Thess. II, 12. Quod attinet ad particulam ἢ, (in verbis ἢ πίνῃ) vanum est, quod Pontificii quidam in ea aliquid praesidii ponunt, quasi indicet, non simpliciter *utramque speciem* esse necessariam. Nam et variat lectio (alii καὶ habent), et frequentissimum est apud interpretes graecos V. T. pro καὶ ponere ἢ, ut Gen. III, 22. Symmachus habet καλὸν ἢ πονηρὸν, alii interpretes καὶ πονηρὸν. Tum vero aliquis ex Corinthiis indigne sumere *calicem* poterat, si nempe ad ebrietatem usque bibebat Vs. 21., licet in *edendo* nihil inhonesti accidisset. ἔνοχος — κυρίου) Poenas dabit tanti facinoris, quod ipsum Christum quasi ignominia affecit. Utuntur phrasi ἔνοχος ἔσται, LXX. Levit. XX, 9. sqq. Theodoretus et alii locum nostrum sic explicant: Homo, qui epulis et crapulae hic dat operam, nihil differt a Iuda, aut a militibus istis, qui Domini ipsius adeo nullum ad ipsos pertinere putarunt beneficium, ut eum occiderint, nulla tristitia, nullo grati animi sensu tacti.

28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν) Ἄνθρωπος, hebr. אִישׁ, pro ἕκαστος, *unusquisque*. Δοκιμαζέτω, exploret, an animo eo, quo decet, erga Christum eiusque beneficia praeditus accedere possit, an istud consilium (Vs. 24. 25.) spectet, hanc rei naturam et vim reputet. Non praecipitur, ut alius de aliis sententiam ipse dicat, sintne digni an indigni, sed ut unusquisque de se satis certus sit, quo consilio hac coena uti velit.

29. Κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει) *Reatum poenamque sibi contrahit, sic edendo et bibendo.* Κρίμα,

damnum, poenam, pro κατάκριμα, hebr. מִשְׁפָּט. Causa, cur talis homo sibi poenam contrahat, statim additur: μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου) Nempe ab aliis cibis et ab alio potu, quibus venter vel largiter impleatur. Alii rectius: Quia non satis aestimat corpus Christi. Διακρίνειν, ut supra c. IV, 7. Summae est levitatis ac temeritatis, eo ipso tempore, quo laudibus et gratiarum actione memoria mortis Christi celebrari debet, crapulae dare operam, et alios contemnere.

30. Ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι) Plerique interpretes hoc intelligunt *de variorum morborum generibus.* Ἀσθενὴς, qui languet, ἄῤῥωστος, qui aegrotat. Nempe vel illa intemperantia, crapula, ebrietas, facile secum ferebat morborum genera varia. Alii intelligunt morbos extraordinarios, quibus tum temporis multi ex Corinthiis afflicti sint. Eiusmodi poenis saepe affectos esse Christianos iis temporibus, discimus ex c. V, 5. 1 Tim. I, 20. 1 Io. V, 16. Iac. V, 14. 15. Ex ingenio certe illius aetatis locus noster de poenis explicandus est. καὶ κοιμῶνται ἱκανοί) vertunt: *et permulti mortui sunt,* nempe morte praematura. De his historiis nihil praeterea scimus; quae autem a serioribus Scriptoribus narrantur de morbis aut mortibus adeo tristibus, eucharistiae abusum consecutis, merito pro fabulis habentur. *Krausse* hunc locum tropice accipiendum esse existimat, ut ἀσθενεῖς et ἄῤῥωστοι sint *infirmi, invalidi, non stabiles satis atque certi in religione christiana, wankende Christen,* κοιμῶντες autem, *dormientes, omni sensu verae virtutis destituti, Menschen, die kein Gefühl für das Gute haben,* ut Eph. V, 14.

31. Εἰ γὰρ ἑαυτοὺς — ἐκρινόμεθα) Pro εἰ γὰρ optimi codices legunt εἰ δὲ. *Si nos ipsos diiudicaremus, non puniremur*, sc. a Domino.

32. Κρινόμενοι δὲ ὑπὸ κυρίου, παιδευόμεθα) Sic omnino est interpungendum, ut ὑπὸ κυρίου referatur ad praecedentia; non vero ad παιδευόμεθα, ut habent editiones graecae. *Si autem punimur a Domino* (huius vitae malis), *castigamur*. Deus eiusmodi malis nos afficit, non ad nos perdendos, sed ad animos nostros emendandos. Mitissime Paulus loquitur, et se ipsum quoque includit. ἵνα μὴ — κατακριθῶμεν) *Ne cum reliquis impiis hominibus* (aeternum) *damnemur*, vel puniamur. Κατακρίνεσθαι, de poenis aeternis. Κόσμος dicuntur homines, qui opportunitate cognoscendi veritatem salutarem, sibi oblata, uti nolunt; minime vero illi omnes, qui ne fando quidem audiverunt de christianae religionis indole. σὺν τῷ κόσμῳ, *sicut impii homines*.

33. Συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν) Nempe τὸ κυριακὸν δεῖπνον, quod hic ex superioribus subauditur. Simul autem *agapas* intelligit, cum usu sacrae coenae tum temporis coniunctas. ἀλλήλους ἐκδέχεσθε) *Alii alios excipite*, edendi ordine, ut communis sit mensa divitum et pauperum. Vel, quod magis placet, ἐκδέχεσθαι ponitur pro προσδέχεσθαι, ut Sir. VI, 33. XVIII, 14. ut sensus sit: *Benigne et amice vos invicem excipite et tractate*, ita ut non amplius dissidia et odia sint inter vos.

34. Εἴ δέ τις πεινᾷ) i. e. *Si edendi estis cupidi*. De ditioribus loquitur, quos non vult famem integram

ad hanc coenam communem afferre, atque corporis caussa explere; nam ad mutuam amicitiam et coniunctionem animorum instituebantur illae agapae, et usus eucharistiae. ἵνα μὴ εἰς κρίμα συνέρχεσθε) *Ne vestro damno conveniatis*, ne in conventibus vestris ita agatis, ut vobis detrimentum inde oriatur. τὰ δὲ λοιπὰ) Nempe his similia, quae ad externae societatis formam pertinent, et de quibus forte Corinthii Paulum per epistolam rogaverant. Alia etiam esse, dicit, de quibus invitus cognoverit, Vs. 17. quorum vero ordinationem in aliud tempus differre malit, quia nunc redeundum sit ad propositas in epistola (c. VII, 1.) quaestiones.

CAP. XII.

1. Περὶ δὲ — ἀγνοεῖν) *Porro de iis, qui singularibus donis, a Deo sibi concessis, ceteris praestant, vos edocere volo.* Ad aliam quaestionem a Corinthiis sibi in epistola cap. VII, 1. propositam progreditur Paulus. Quaestio autem haec erat περὶ τῶν πνευματικῶν, scil. ἀνθρώπων. Πνευματικοὶ interdum vocantur omnes Christiani, 1 Cor. II, 15. propterea quod acceperunt, ut ipse Paulus interpretatur (1 Cor. II, 12.) *Spiritum e Deo*, i. e. quod edocti sunt a Deo, instituti per Apostolos in ea religione, quae Deum habet auctorem, quo sensu opponuntur τοῖς ψυχικοῖς, profanis, Iudaeis et paganis, 1 Cor. II, 14. Nostro autem in loco nomen πνευματικῶν non est omnibus Christianis commune, sed proprium eorum, qui facultate aliqua, quae, ut omne quod excellit, vi divinae (πνεύ-

ματι Θεοῦ) tribuitur, ceteris praestant. Non assentior iis, qui post πνευματικῶν supplent χαρισμάτων, et hunc locum de linguarum dono interpretantur, quam sententiam *Storrio* etiam probatam (in notit. hist.) exornare studuit *Griesbachius* in Progr. Pentec. a 1780. scripto. Conferri potest etiam *Michaelis* qui tamen dubius haeret, et magis coniecturas, quam certi aliquid profert.

2. Οἴδατε — ἀπαγόμενοι) *Scitis, vos olim, quum pagani essetis, ad muta idola, prout rapi vos ad ea contigisset, delegatos fuisse.* Haec verba commode parenthesi includuntur, quia Apostolus Vs. 3. illuc redit, unde propter parenthesin diverterat. Nam διὸ γνωρίζω ὑμῖν, Vs. 3. idem valet quod οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν Vs. 1. Obiter nempe Apostolus Corinthiis in memoriam revocat conditionem superiorem, ut persentiscerent, quantum praesens eorum status a superiore distet, quod universe facere amat, veluti supra c. VI. 11. Rom. VI, 17. Eph. II, 11. sqq. Tit. III, 3. Olim, quum pagani essent, plane nullam habebant notitiam veri Dei et verae religionis, et sine idoneis rationibus maiorum suorum ritu et mera superstitiosa consuetudine ducti simulacra colebant. Nunc autem, postquam doctrinam Christi susceperant, instituebantur a suis doctoribus ita, ut simul discerent, quibus argumentis et rationibus niteretur veritas doctrinae, quibusque notis veri nominis doctores a falsis discerni possent. Simulacra vocantur ἄφωνα, quia ratione et voce carent, suosque cultores non possunt docere. *Griesbachius*, quem *Storrius* sequitur, hoc voluisse Apostolum existimat: Olim coluistis idola, quae neque vocem edere ipsa, neque hominibus linguae cuiusdam facultatem lar-

giri possunt. Sed de peregrinarum linguarum usu h. l. nondum est sermo, ut totus contextus docet.

3. Διὸ γνωρίζω — ἀνάθεμα Ἰησοῦν) *Sic igitur habete, neminem divini Spiritus virtute docentem, impie de Iesu loqui.* Resumit Paulus sermonem Vs. 1. Λαλεῖν pro *docere* innumeris locis dicitur. Ergo ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν est ὁ πνευματικὸς, Vs. 1. Is igitur, qui vere a Deo edoctus, in doctrina Christi recte institutus est, non λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, *non impie loquitur de Iesu*, non profert quicquam in summam salvatoris maiestatem iniuriosum. Ἀνάθεμα λέγειν Ἰησοῦν, de Iesu חֵרֶם dicere, βλασφημεῖν, Act. XXVI, 11. De significatione vocis ἀνάθεμα cf. notata ad Rom. IX, 3. Hoc nostro loco ἀνάθεμα haud dubie est *homo abominabilis, detestandus, ac e conspectu hominum removendus, vel iure iam remotus.* Sic etiam Hebraei חרם *rem abominabilem, ac a facie Dei et hominum removendam* vocarunt, ut loca Deut. VII, 25. 26. Ios. VI, 7. VII, 12. Ies. XXXIV, 2. testantur. Qui igitur Iesum maledictis proscindebant, haud dubie fuerunt Iudaei, dicentes, Iesum haud quaquam fuisse legatum divinum, sed iure supplicio affectum, ut rebellem et fraudatorem. Unde patet, multos illa aetate θεοπνευστίαν mentitos esse, et pro πνευματικοῖς (Vs. 1.) haberi voluisse, alienos a vero Christi cultu, Iudaismo addictos. Tales sine dubio etiam Corinthum venerant. Hac igitur nota facile dignoscere poterant Corinthii, an quis verus doctor esset, vel minus. Si quis gloriabatur, se virtute Spiritus divini instructum esse ad docendum, et nihilominus impie de Iesu loquebatur, haec una res documento esse poterat,

talem hominem esse impostorem, et divinitus inspirati doctoris nomine prorsus indignum. Eandem notam, qua doctor θεόπνευστος ab impostore quovis dignosci queat, dat etiam Ioannes 1 epist. IV, 2. καὶ οὐδεὶς — πνεύματι ἁγίῳ) *Et neminem posse nomen dare Christo, nisi in divina religione recte institutum.* Εἰπεῖν Ἰησοῦν κύριον more Hebraeorum cum quadam ampliatione accipiendum est, ut idem sit ac Iesum *colere*, ei nomen dare, Christianum esse, eodem sensu quo Matth. VII, 21. λέγειν κύριε, κύριε. Nemo igitur potest fieri sectator Christi, vel veri nominis Christianus, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, nisi in religione divina rite institutus. Nam πνεῦμα ἅγιον saepe est ipsa doctrina Christi, et institutio in ea, ut supra c. VI, 11. πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, et πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, c. II, 12. Videntur se immiscere interdum voluisse coetui christiano homines, qui nec Apostoli nec alius cuiusdam doctoris Christiani institutione usi fuerant. Hos autem nomine Christianorum prorsus indignos esse docet Paulus. *Griesbachius* hunc versiculum ita interpretatur: *Quapropter meminisse vos volo, neminem per Spiritum Dei peregrina lingua loquentem, maledicere Iesu; nec posse aliquem* (lingua antehac sibi incognita) *Domini nostri laudes praedicare, nisi Spiritus sancti impulsu commotus sit.* Nempe ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλεῖν idem esse putat ac πνεύματι λαλεῖν, quod infra c. XIV, 2. de iis usurpetur, qui γλώσσαις ἐλάλουν. Sed synonymas esse phrases πνεύματι λαλεῖν et γλώσσαις λαλεῖν, vix mihi persuadeo, nec etiam ex loco c. XIV, 2. satis clare evinci potest. Contextum vero huic interpretationi repugnare, ex iis, quae supra a me dicta sunt, satis apparet.

Recenset nunc Apostolus varia doctorum christianorum munera et dona, eaque necessaria esse ad utilitatem ecclesiae docet, adeoque nullum horum donorum esse vel contemnendum, vel prae ceteris nimis extollendum. Locum hunc longe difficillimum, egregrie interpretatus est *Noesselt* in Prolus. in locum Paulli Apostoli 1 Cor. XII, 4—11. Halae 1803. 4. Interpretes magno consensu ad nostram usque memoriam, statuebant, sive potius sumebant, istas, de quibus Paulus loquitur, facultates, Christianis quodam quasi afflatu Dei singulari praeter naturae ordinem contigisse. Sed post *Eichhornium*, qui de ea re disputavit *(in Biblioth. biblicae literat. universa*, Vol. II. p. 757. sq. cf. *Paulus* Neues Repert. für bibl. und morgenl. Literatur, Part. I, p. 266. sqq. P. II, p. 273. sqq.) verius visum est quamplurimis, naturae tribuendas esse istas facultates, sive ingeneratas ab ea quibusdam fuisse, sive studio et usu naturae comparatas et excultas. In hac sententia est etiam *Noesseltus*, non, quo velit haec *omnia* aut a natura ipsa, aut a Deo repetere, quoad ille has facultates ipsa cum natura contulisset in quosdam, earumque usum exsuscitasset rerum naturalium concursu et adiuvisset; sed *pleraque* tamen, certe sic, ut tam frequentata non fuerint inter primos Christianos, ut vulgus existimare consuevit. «Nam *primum* (utor eius verbis,) χαρίσματος verbum, quo utitur Paulus, non continet vim singularis cuiusdam et prodigiosae, sed cuiuscunque facultatis, ut 1 Cor. VII, 7. nec πνεῦμα aut πνεῦμα Θεοῦ semper proprium Dei afflatum significat, h. e. vim, quae omnem hominis naturam excedat, ut quod verbum Paulus ipse 1 Cor. VII, 40. adhibet de sua ipsius sententia (κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην

inquit), quam in superioribus Vs. 6. et 10. accurate a *Dei* auctoritate disiunxerat. Vult *porro* Apostolus, ut Corinthii contendant ad haec, eaque optima sive utiliora, consequenda, Vs. 31. — Quomodo autem has facultates poterant consequi velle, si quidem a Deo, absque naturae interventu, datae essent, cuius unius ex arbitrio penderent, non ex ipsorum hominum optione aut studio?» Taceo reliqua argumenta, quas attulit Noesseltus.

4—6. Διαιρέσεις — ἐν πᾶσιν) *Diversae sunt facultates, sed idem ipse Spiritus; et diversa sunt ministeria, sed idem Dominus; diversae item effectiones, sed idem Deus, qui omnia in omnibus efficit.* Διαιρέσεις sunt proprie *distributa*, ut Vs. 11. διαιροῦν, *tribuere*, q. d. διηρημένα. Χαρίσματα, *diversae tributae facultates.* Χαρίσματα, διακονίαι et ἐνεργήματα videntur esse paria eiusdemque generis, aut eodem fere sensu dicta, non diversi generis res; in qua sententia iam fuerunt Theodoretus et auctor Scholii, quod *Matthaei* cum ceteris in Pauli ad Corinthios epistolas edidit. Namque χαρίσματα i. e. τὰ ὑπὸ Θεοῦ χαρισθέντα (Vs. 4.) non sunt alia ac ἐνεργήματα (Vs. 6.) aut ἐνεργήματα δυνάμεων (Vs. 10.), quae Vs. 28. simpliciter δυνάμεις dicuntur, ut facile appareat, δυνάμεις primarium esse verbum, illud autem τῶν ἐνεργημάτων accessisse et Vs. 6. unice positum esse, propterea quod haec tributa Christianis a Deo *effecta* sint, qui est ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσι. Διακονίας quidem Paulus videtur Vs. 28. a χαρίσμασι discernere; sed ibi nullas διακονίας commemorat, quas ipsi interpretes substituerunt, sed homines tantum diversi generis, in quos eas-

dem, quae sunt Vs. 8. sqq. enarratae, dotes Deus contulerit. Διακονίαι igitur, quarum mentionem facit Apostolus Vs. 5. non sunt in certo aliquo munere quaerendae, quod nonnunquam *diaconatus* nomine ornatur in N. T. libris, sed est διακονεῖν, *servire* quocunque modo, h. e. quae possis, ad usum aliorum conferre; quare διαιρέσεις διακονιῶν sunt varii ac multiplices modi, quibus quis alteri potest commodare, quod quidem facere pro suo quisque modo poterat, si nactus esset facultatem alteri negatam. Cf. Vs. 12. sqq. Et, quemadmodum τὸ πνεῦμα et κύριος et Θεὸς unus est idemque, quem tanquam collatorem, Paulus modo τὸ πνεῦμα Vs. 11., modo τὸν κύριον Vs. 27., modo τὸν Θεὸν appellat, Vs. 28., sic nihil relinquitur caussae, cur χαρίσματα, διακονίας et ἐνεργήματα nolimus hic eodem sensu usurpata existimare. Ceterum Noesselto Pauli menti obversata fuisse videtur formula, qua Christus suos initiari sacra lustratione voluit, Matth. XXVIII, 19., ex quo factum est, ut unum bonorum omnium collatorem quasi in tres divideret.

7. Ἑκάστῳ — συμφέρον) *Singulis autem his, illud, quo vis ista divina conspicua est, datum est ad* communem *utilitatem.* In his verbis est id, quod Paulus omni hac disputatione, tanquam primarium, commendandum susceperat, nihil esse, quicquid laudabile aut praecipuum quoddam videatur, etiam si in admirationem et stuporem rapiat vulgus, nisi eo communes utilitates in medium afferantur; et tantum unam facultatem alteri praeferendam esse, quantum ad usum aliorum maxime conducat et conferatur.

8. Ὧι μὲν — πνεῦμα) *Aliis per vim illam divinam datur facultas sapientiae* (diserte loquendi) *aliis facultas perspiciendi, quid agendum aspernandumque videatur, per eandem vim divinam.* Verbis λόγος σοφίας et λόγος γνώσεως inest *orationis*, s. rerum proponendarum significatio. Nam Paulus hac in disputatione c. XIV. maxime de his dotibus loquitur, quoad in conventibus Christianorum adhiberi deberent. Cf. cap. II, 1. Λόγος σοφίας igitur tropice est pro facultate docte et diserte loquendi. Γνῶσιν plerique interpretes quaerunt in subtiliore rerum occultarum cognitione, aut ducta e christianae religionis initiis acuta intelligentia, quae in tirones non cadat, sed longo usu et rerum cognitarum diligenti meditatione exercitatos. Sed vix doceri poterit, Paulum Apostolum unquam sic usum esse hoc verbo, ut rerum obscurarum et difficilium, earum inprimis, quae vitae actionem non attingunt, cognitionem, eamque philosophando subtiliterque colligendo e rebus obviis haustam exprimeret: certe in locis illis, quae afferre solent, 1 Cor. VIII, 1. seqq. 1 Tim. VI, 20. non necessaria est ista, quam fingunt, significatio. Λόγος γνώσεως potius est facultas perspiciendi, quid *agendum* aspernandumque videatur, h. e. de *practico genere* omnino; λόγος σοφίας autem per disiunctionis legem est de *theoretico* genere magis, quae in *vero* potius quam in *aequo rectoque* videndo versatur, et curiositati magis aut cupiditati discendi ea, quae *credenda sperandaque* sint, quam *virtutis* studio satisfacit. Cf. 1 Cor. II, 6—9. Luc. XX, 15. Act. VI, 10.

9. Ἑτέρῳ — πνεύματι) Πίστις h. l. nec ea est, quae sit communis omnium Christianorum, nec fides, quam

usu venit miraculosam appellare, quamque dicunt facultatem fuisse singulari beneficio et afflatu divino datam, qua posset is, cui obtigisset, cuiuscunque generis miraculum edere pro voluntate. Nam etsi facultas patrandorum miraculorum Apostolis a Christo tributa est, ea tamen non πίστει continetur, sed πίστις erat in huius facultatis concessae *usu*, omninoque pendebat e *voluntate* eorum, qui facultatem, s. promissionem prodigiorum efficiendorum accepissent; alioquin quomodo potuisset Christus Apostolos de fidei vacuitate obiurgare? (Matth. XVII, 17. sqq.) Fides igitur ea, quam Paulus inter ceteras primarias Christianorum suorum facultates commemorat, eadem ipsa est *fiducia*, aut simillima certe eius, quam sibi tribuit 2 Cor. IV, 13. 14. Quod χαρίσματα ἰαμάτων attinet, non est idonea caussa hanc vim in miraculorum angustias compellendi. Constat enim, vel Apostolos obviis ad morbos mitigandos depellendosque praesidiis, v. c. oleo usos esse. Marc. VI, 13. Iac. V, 14. Πνεύματι autem tribuitur haec facultas, quia Christiani haec adiumenta adhibuerunt in *nomine Domini*, ut ait Iacobus, adiunxeruntque preces, a quibus illam sanitatis restitutionem maxime repetit, quaeque proficiscebantur a πίστει, fiduciae sensu, cuius quasi forma quaedam seu effectio eae fuisse videntur.

10. Ἄλλῳ — γλωσσῶν) Donorum omnium, quorum videmus mentionem in loco nostro factam, nullum visum est ad intelligendum difficilius eo, quod Paulus ἐνεργήματα δυνάμεων appellat. Interpretes magno consensu convenerunt, intelligi magnarum, inprimisque arduarum rerum gerendarum facultatem, sive miraculo

quodam efficerentur, quod plerisque placet, sive natura. Omninoque ἐνεργήματα δυνάμεων videntur esse in facultate edendorum prodigiorum, s. rerum, quae omnem mortalium vim excederent; qualis erat daemoniorum morborumque insanabilium depulsio, ut ex Marci loco c. VI, 14. et eiusdem alio c. IX, 39. itemque Luc. VI, 19. maxime apparet. Quum autem Paulus nostro loco istas δυνάμεις ab ἰαμάτων χαρίσμασι discernendas esse dicat, illi minime inepti esse videntur, qui putant, has duas dotes hactenus inter se discrepasse, quod dos illa, quam Paulus appellat ἐνεργήματα δυνάμεων, altiore quadam et ampliore vi contineretur, quo non modo omnis generis morbi, ii etiam, qui nulli humanae vi cedere credebantur, depelli, sed alia etiam, quae nullius in hominis potestate esse videbantur, effici possent; haec autem, quae nomen suum a morborum curatione accepisset (χάρισμα ἰαμάτων), hac sola vi sanandorum morborum terminaretur, et eorum quidem, quorum contra vim praesidia cognita et parata existimarentur. Προφητείαν nonnulli existimant fuisse facultatem praesagiendorum atque praedicendorum aut imperandorum futurorum; sed in hac universa Pauli disputatione nulla est huius rei significatio. Et quo iure potuisset is hanc dotem tanquam primariam ceteris omnibus donis praeferre ac commendare (cap. XIV, 1.), aut quae eius tanta necessitas fuisset, ut hac omnium minime carere Christiani potuissent? Aliis *Prophetae* videntur ii, qui bene scirent intelligere et illustrare obscuritatem dictorum Vet. Testamenti, quae vaticinationes continerent; sed nostro in loco nullum huius rei extat vestigium, et dubitare licet, an haec vis, sola interpretum auctoritate efficta, verbo unquam subiicia-

tur sacris, Pauli certe, scripturis. Ii vero, qui hac in facultate furorem sive afflatum aliquem divinum *(Begeisterung)* quaerunt, vix docere poterunt, quo sensu hoc verbum h. l. sit accipiendum; eo enim verbo vel insignis quidam naturae effectus, ac potius emotio quaedam exprimitur, quam in poëtis animadvertas, aut iis, qui magna animi commotione vel perturbatione agitantur, vel propria Dei, altior omni humana natura, effectio. Quod quidem plerique nolunt, multas etiam rationes afferunt, cur in loco nostro talis quasi de coelo tactus minime admitti debeat; illum autem insolentem naturae impetum, quo extra se raptus homo videatur, optant potius ac sumunt in istis, quos Paulus commemorat, fuisse, quam docent. Aliam viam ad huius dotis naturam cognoscendam perveniendi tentavit *Noesselt* in Prolus. laudata p. 21. sqq. Ex eius sententia προφῆται universe sunt *qui eloquuntur aliquid et profitentur*, ita ut nondum definitum sit, sive quid sit illud quod edicant, aut quonam e fonte hauserint, sive quomodo id enuncient. Nam illa vel infinita esse possunt, h. e. doctrinis contineri — vel res in facto positae, veluti quae futurae et expectandae sunt; eademque vel ab ipsius loquentis ingenio aut sensu aut commentatione profecta, ab aliis quoque accepta, vel ex afflatu aliquo divino sive orta, sive illi tributa, quam is, qui loquitur, ipse non intelligat, quomodo vi sua et natura ea repererit, nec sibi ab aliis tradita meminerit. Hoc omni varioque, sive late patenti sive angustiori sensu, προφητεία dicitur in divinis Christianorum libris. Iam, si quaeritur, quonam sensu Paulus nostro in loco usurpaverit, in omni hac oratione nihil reperitur, quod ad finitam quandam vim huius verbi ducat,

nisi *primum*, quod tanquam disiuncta constituat Vs. 10. προφητείαν et γένη γλωσσῶν, h. e. facultatem animi sensa exprimendi diversis linguis, iisdemque, ut c. XIV. docet, adhibitis apud eos, qui earum intelligendarum facultatem nullam haberent: ex quo fit ut προφητεία Vs. 10. et c. XIV., ubi haec distinguuntur, sit in facultate *perspicue*, s. ita loquendi, ut ab audientibus, quae vellet orator percipi posset. *Altera*, eaque angustior προφητείας vis in eo cernitur, quod Paulus eam a διδαχῇ c. XIV, 6. et cap. XII, 28. 29. προφήτας a διδασκάλοις seiungat. Videtur itaque Paulus *prophetas* hic appellasse omnes, qui docendi facultate gauderent, ita tamen, ut, quum eos disiungat ab illis, qui barbarorum linguis uterentur, hos tantum, qui perspicua auditoribus cuiuscunque gentis eloquerentur, sed, quum a magistris (διδασκάλοις) prophetas discernat, illud magistrorum genus intellexisse, qui res a Deo, quas dicunt, revelatas et cognovissent, et perspicue proposuissent. At quoniam hi, qui eius rei facultatem essent adepti, errare tamen poterant, aut rebus divinis, sive natura sive singulari Dei beneficio cognitis admiscere aliena, divinaeque veritati haud consentanea, audiendi quoque erant ii, quibus Paulus asserit διακρίσεις πνευμάτων, quos facultatem habuisse iudicandi veritatem earum rerum, quae ab aliis propositae essent, Paulus ipse significat c. XIV, 29. ubi πνεύματα esse hos, qui praecipua quadam facultate, in qua quandam quasi divini Numinis vim effectionemque Christiani agnoscerent, ornati essent vel putarentur, dubitari nullo modo potest. Γένη γλωσσῶν) *Variis peregrinis linguis loquendi facultas.* De hac facultate, quid nobis videatur, diximus ad Act. II, 4. Eam vero non tantum Apo-

stolis, sed et aliis multis divinitus fuisse concessam, patet ex Act. X, 44. 46. XIX. 6. 7. ἑρμηνεία γλωσσῶν) *Facultas interpretandi linguas.* Qui syriace, arabice, coptice etc. loquebantur, non poterant statim e. g. graece eadem repetere, et explicare aliis. Opus igitur erat hominibus, qui in aliena lingua dicta statim intelligerent, et graeca subiicerent, licet ipsi in illis linguis scripta legere non possent. Aliis ἑρμενεία γλωσσῶν est interpretatio orationis admodum sublimis ideoque obscurae.

11. Πάντα — πνεῦμα) *Omnia autem haec* (dona) *largitur unus idemque Spiritus* (Deus). Sic vertenda sunt haec verba. Nam Apostolus hic non agit de donorum, quae quis accepit, usu, sed de eorum distributione. διαιροῦν — καθὼς βούλεται) i. e. κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ. Ἰδίᾳ deest in nonnullis, sed ad sensum recte pertinet: valet *seorsim*, *specialiter*. Dividit unicuique sicut ipsi videtur.

12. Τὸ σῶμα ἕν ἐστι, καὶ μέλη ἔχει πολλὰ) Pro: ἓν ὄν, μέλη ἔχει πολλά. *Corpus*, nempe hominis, quod unum est, multa habet membra, singula suis usibus destinata. οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς) *Sic etiam res se habet cum ecclesia Christi.* Ὁ Χριστὸς, ea societas hominum, quae Christum caput suum agnoscit: *Christi ecclesia;* est enim metonymia. Per comparationem elegantissimam ecclesiae cum corpore humano e variis membris compacto, quae exsequendis negotiis inserviunt admodum diversis quidem, sed ad incolumitatem hominis pariter necessariis, ostendit Apostolus, multiplici facultatum genere opus esse in ecclesia, nec ul-

lam earum contemnendam esse, quandoquidem omnia Dei dona, suo quodque modo, insignem utilitatis fructum praebeant ecclesiae.

13. Καὶ γὰρ — ἐβαπτίσθημεν) *Nam omnes unius eiusdemque Spiritus dona largissima accepimus, ut unam efficeremus societatem.* Magna lectionis varietas suadere coniecturam posset, Apostolum simpliciter scripsisse ἐν ἑνὶ πάντες εἰς ἓν ἐβαπτίσθημεν, quam ellipsin varie suppleverint. Est haec sententia *Noesselti* in disq. ad hunc Pauli locum, omnino hic conferendi. Vid. eius opuscula, Fasc. I. p. 215. sqq. edit. II. Ἐν πνεύματι βαπτισθῆναι de communicatione charismatum intelligendum esse, non autem de baptismatis sacramento, patet ex Actor. I. 5. coll. II, 1. sqq. X, 45. XI, 16. καὶ πάντες — ἐποτίσθημεν) *Et omnes uno eodemque spiritu* (dona varie distribuente) *imbuti sumus.* De lectionis varietate cf. *Noesselt*, l. c. qui verbum ποτισθῆναι (quod alii de usu sacrae coenae intelligunt, ut sensus sit: nos omnes, quocunque simus, sumus per baptisma uni societati obstricti, et per sacram coenam ad unum sensum) recte, ut mihi quidem videtur, de iisdem charismatibus explicat, ad quae cum universo orationis contextu superior sententia est referenda. Nam *effundendi* notio ad omnia refertur, quae a Deo copiose nobiscum communicantur. Rom. V, 4. Act. II, 17. E quo intelligitur, verbum ποτίζεσθαι, *bibere*, *irrigari*, *imbui*, eodem modo accipi posse. Hoc sensu planissime dicitur Io. VII, 37. ut Vs. 39. coll. cum Act. II, 17. sqq. aliisque similibus locis docet. Εἰς ἓν πνεῦμα, pro ἐν ἑνὶ πνεύματι, vel etiam ita explicari possunt haec verba, ut magis fructum s.

effecta, quam charismata ipsa significent, *in unum Spiritum*, sensum, animum, ut eodem animo et sensu coniuncti simus in unam societatem. Πνεῦμα enim nunc videtur esse animus, mens, sentienti ratio. Videtur tamen in hoc altero membro idem repeti aliis verbis, quod in membro priori dictum erat, omisso εἰς. *Omnes uno spiritu* (dona varie distribuente) *imbuti sumus.* Ἓν πνεῦμα, pro ἑνὶ πνεύματι.

14. Καὶ γὰρ — πολλά) Non unum aliquod membrum, quamvis excellens, facit corpus, sed cuncta simul. Simili apologo, quo Paulus hic utitur, etiam alii olim oratores usi esse leguntur, ut intestinas dissensiones et iras plebis in magistratus reprimerent. Lege inprimis *Livium* II, 32. Reprehendit nempe Apostolus vanitatem et superbiam Corinthiorum, qui propter dona eximia sibi divinitus concessa, sese supra alios, non ita magnis donis exornatos efferebant.

15. 16. Praeter citatum *Livii* locum confer *Senec.* de Ira II, 31. *Dionys. Hal.* VI, 86. *Aur. Victor.* de Viris illustr. 18. Et *Aesopus* apud *Maximum Tyrium* in dissertatione pro vita activa, pedem inducit querentem de onere, et id destituere volentem. Significat, non debere minores invidere maioribus. Οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ σώματος, *non sum pars corporis.* Post verba: οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἐστὶν ἐκ τοῦ σώματος tollendum videtur signum interrogandi; nam propter duplicem negationem verti debent *tamen omnino est pars corporis.* Παρὰ rarissima significatione hic ponitur pro διὰ.

17. Simili modo *Quintilian.* VIII, 5. *Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra suum officium perdant.*

18. Νυνὶ δὲ — ἠθέλησεν) καθὼς ἠθέλησεν, suo loco et ordine. *Quintilian.* VII, 1. *Et, si quam in corporibus nostris aliorum animalium partem permutes et transferas, licet habeant eadem omnia, prodigium fit tamen.* Vel, καθὼς ἠθέλησε, prout illi visum est, dedit unicuique membrorum sua propria munera.

19. Εἰ δὲ ἦν — σῶμα;) *Cicero* Offic. III. *Si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset.* Sic Corinthiorum rem sacram publicam consistere non posse, Apostolus ait, si omnes omnia habere velint.

21. Οὐ δύναται — χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω) Manus alimenta praebet corpori, in quo est oculus, et caput pedibus eget, *etsi caput non pedes imperent*, ut apud Spartianum Severus loquitur. Sic non debent, qui minores sunt, a maioribus contemni.

22. Ἀλλα πολλῷ — ἀναγκαῖά ἐστι) Ἀσθενέστερα hic sunt partes corporis medio collocatae, quas statim vocat ἀσχήμονα et ἀτιμότερα. Has etsi ceteris *abiectiores*, non minus tamen reliquis esse *necessarias* ait, nempe ut homo vivat. Sic e. c. viscerum tanta est necessitas, ut sine iis homo vivere non possit, possit

autem amputata manu etc. *Artemidores*, I, 45. *τὸ αἰδοῖον — ἀναγκαῖόν τε καλεῖται, καὶ ἀνάγκης ἐστὶ σύμβολον.* Egregius locus est ap. *Cicer.* de offic. I, 35. dignus qui hic conferatur.

23. *Καὶ ἃ δοκοῦμεν — περιτίθεμεν)* Pro: *καὶ τοῖς μέλεσι τοῦ σώματος, ἃ δοκοῦμεν* (i. e. *δοκοῦσι*) *ἀτιμότερα εἶναι, τούτοις κ. τ. λ.* *Τιμὴν*, hic honorem amictus intellige. *Eas partes corporis, quae nobis videntur minus honoris habere* (unanständig), *tegumentis pluribus circumpositis ornamus;* ut ventri, et iis quae sub ventre, damus tegmina. *καὶ τὰ ἀσχήμονα — ἔχει)* *Et partes, quae non decore aspiciuntur, vestibus studiosius velamus.* *Τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν* sc. *μέλη, partes, turpem ac deformem adspectum habentes,* ut Cicero loquitur de Offic. I, 35. *turpia ac vilia membra.* Senec. de Benef. VII, 2. His membris eum honorem exhibemus, ut ea removeamus ab oculis hominum, ut ea occultemus tanquam mysteria.

24. *Τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ χρείαν ἔχει)* *Membra autem in quibus species honesta est, non opus habent* sc. tegi, *ἵνα αὐτοῖς τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν.* Facies, quae in homine pulcherrima, non tegitur, non absconditur, patet omnibus, sicut templi extima. *ἀλλ' ὁ Θεὸς — δοὺς τιμὴν)* i. e. *Ita sapienter corpus temperavit, ut membra, in quibusdam caussis posthabenda, in aliis nobiliora faceret;* eorum enim conservatio cum valetudine corporis et vitae nostrae conservatione arctius est coniuncta. *Τῷ ὑστεροῦντι, naturali decore insignito minus:* tales partes inferiores illae. *Seneca* de Ira II, 1. *Vitalia, minime speciosa, prius formantur.*

25. Ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι) i. e. *Ne ullae partes negligerentur a corpore.* Est figurata locutio in voce σχίσμα, et Paulus de corpore naturali ut de politico loquitur. ἀλλὰ τὸ αὐτὸ — τὰ μέλη) τὸ αὐτὸ, i. e. κατὰ τὸ αὐτό. *Sed potius omnia membra pariter ad totius corporis commodum et conservationem suas functiones conferant.* Nam alioqui sigillatim non omnia idem curant, quum aliud sit manus, aliud oculi, aliud pedis officium. Vide *Menenii Agrippae* fabulam ap. *Livium*, II, 32.

26. Εἴτε δοξάζεται ἓν μέλος) Δοξάζεται hic est *lautius habetur*, sicut fieri solet iis, quos honoramus. Recte illustratur per προτιμᾶται, ut Symmachus reddit 1 Sam. II, 29, quod LXX. ἐδόξασας.

27. Ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ) Logice. Meminisse semper debetis, vos esse corpus Christi, et sic agere debere, ut Christi corpus per vos succrescat et augeatur. καὶ μέλη ἐκ μέρους) i. e. *Singuli membra estis;* ἐκ μέρους pro οἱ κατὰ μέρος, suppressis articulis. Bengelius: *ex parte*, quia non soli Corinthii, sed et *Romani* etc. sunt corpus Christi. Alii aliter.

28. Καὶ οὓς — ἀποστόλους) Ἔθετο, *constituit.* Hesychius: ἔθηκεν, ἐποίησεν. Idem alibi θεῖναι, ποιῆσαι. *Apostolos,* nempe eminenter sic dictos, a Christo in id vocatos, ut prima ecclesiarum fundamenta iacerent. δεύτερον προφήτας) De Prophetis cf. annot. supra ad Vs. 10. τρίτον διδασκάλους) Qui alibi ποιμένες vocantur, episcopi vel presbyteri, peculiaribus coetibus praefecti, qui docebant, et sacras litteras V. T.

explicabant. Ἔπειτα — γλωσσῶν) *Deinde (posuit* i. e. fecit Deus) *qui haberent facultates* (quibus excellerent), *deinde dona sanandi, facultatem opitulandi, gubernandi, variis linguis loquendi.* Ἔθετο h. l. eodem sensu usurpatur, quo apud Siriacidem cap. XXXVIII, 1. 12. Medicus dicitur a Deo κτισθείς, i. e. facultate medendi ornatus. Plane pro arbitrio sumunt nonnulli, singulis hominum aut doctorum generibus Vs. 28. 29. enarratis, singulas etiam et loco eorum proprias animi dotes a Deo fuisse concessas, ita, ut in utroque versu utraque, h. e. munera et dotes, eodem sibi ordine respondeant.

29. 30. Μὴ πάντες — διερμηνεύουσι) Fieri non potest, ut omnes unam eandemque provinciam gerant. Non omnia possumus omnes.

31. Ζηλοῦτε — κρείττονα) *Contendite vero ad optima, sive utiliora dona consequenda.* Ζηλοῦν est *operam dare, studiose aliquid sequi*, ut ζηλωταὶ καλῶν ἔργων Tit. II, 14. sunt *studiosi* virtutis, s. recte factorum. Itaque istae facultates non absque naturae interventu et exercitatione datae sunt. Τὰ κρείττονα sunt, unde maxima ecclesiae utilitas redundet. Qui inter vos linguis loquuntur, sese efferunt cum contemtu aliorum; se aliis praestare existimant, alii vero illis invident. Haec aemulatio vitiosa est. Illos potius praeferte, quorum dona ecclesiae sunt utiliora; id aemulamini, quod in vestra potestate est, ut alter alterum charitate vincat. καὶ ἔτι — δείκνυμι) *Sed amplius tutissimam viam vobis monstrabo.* Καθ' ὑπερβολὴν

ὁδὸν, i. e. *τὴν καθ' ὑπερβολὴν οὖσαν ὁδὸν, viam optimam, tutissimam.* Ostendam vobis, qua ratione unus alterum vincere possit ac debeat.

CAP. XIII.

1. Ἐὰν — ἀγγέλων) i. e. *Si omnium gentium linguis loqui possem,* vel, ut *Theophylactus* explicat: *Si vel summa pollerem eloquentia.* De *lingua Angelorum* disputare non opus est. Iam graeci quidam interpretes agnoverunt *hyperbolen;* et notum est, saepe quicquid in suo genere est elegans et eximium vocari *angelicum:* sic et lingua angelorum quasi praestantissima describitur. Paulus ideo hoc dicit, quia multi, qui id donum acceperant, eo non modeste utebantur: nimium sibi placebant prae ceteris, quum tamen id donum non sit datum ostentationis caussa, sed ad utilitatem aliorum. ἀγάπην) *Benevolentiam,* studium aliorum commodis pro viribus inserviendi, *Wohlwollen.* Sic accuratius vertitur vox ἀγάπη, quam per latinum *amor,* qui omnium erga omnes nec est, nec esse potest. γέγονα χαλκὸς ἠχῶν) *Essem similis tubae sonorae.* χαλκὸς proprie *aes* notat; per metonymiam: omne, quod ex aere factum et conflatum est, et hoc quidem loco *tuba.* Virgil. Aen. IX, 503. at tuba terribilem sonitum procul *aere canoro* increpuit. III, 240. dat signum specula Misenus ab alta *aere cavo.* ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον) *Cymbalum tinniens,* i. e. inconditum et confusum sonum edens. Hoc vult Apostolus: Si facultate peregrinis linguis loquendi omnium maxime

excellam, sed benevolentia in alios destituar, illa tamen facultas *meae* saluti non magis conducit, quam aera sonando *ipsa* iuvantur; *οὐδὲν ὠφελοῦμαι*, ut statim Vs. 3. proprie dicitur. Eleganter et argute Paulus doctores Corinthiacos, qui dono linguarum gloriabantur, sed caritate destituebantur, tubae et cymbalo comparat. *Cleanthes* ap. *Diogenem* L. de Peripateticis VII, 173. *ἔλεγε δὲ καὶ τοὺς ἐκ τοῦ περιπάτου ὁμοίόν τι πάσχειν ταῖς λύραις, αἳ καλῶς ᾠδεγξάμεναι αὑτῶν οὐκ ἀκούουσι.* Diogenes VI, 65. *τοὺς λέγοντας μὲν τὰ σπουδαῖα, μὴ ποιοῦντας δὲ, ἔλεγε μηδὲν διαφέρειν κιθάρας, καὶ γὰρ ταύτην μήτε ἀκούειν, μήτε αἰσθάνεσθαι.*

1. *Προφητείαν*) *Facultatem docendi*, perspicue etiam res a Deo revelatas proponendi, ita ut alii intelligere possint. Vid. not. ad c. XII, 10. *Εἰδέναι τὰ μυστήρια πάντα*, nosse ea, quae sine revelatione divina hominibus sunt incognita. *Καὶ εἰδῶ*, *ita ut* cognoscerem etc. Poterat aliquis habere donum prophetiae, et nihilominus pietatem et salutem amittere, Matth. VII, 22. De *γνώσει* et *πίστει* vid. not. ad c. XII, 8. 9. *καὶ ἐὰν — μετιστάνειν*) Est proverbialis locutio *montes transferre*, i. e. res plane stupendas efficere. Cf. Matth. XVII, 20. *οὐδὲν εἰμί*) Nullo apud Deum ero in pretio ad consequendam vitam aeternam.

3. *Καὶ ἐὰν ψωμίσω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου*) *Et si insumam alendis egenis omnes opes meas.* *Ψωμίζειν* proprie est *cibum in os indere*. *Porphyr.* de Abstin. III, 23. columbae *ψωμίζουσι τὰ νεόττια*. *Galenus* de Composit. Medic. per partes corp. VI. extrem. *ἐπὶ μὲν τῶν βρεφῶν, ὅσα ψωμίζουσιν αἱ*

τροφοί. Hic significat in aliorum usum bona avidissime impendere. Si vero id sine ingenua in alios benevolentia, si tantum ex consilio et studio honoris cuiusdam adipiscendi fiat, negat Paulus aliquem eo nomine aliis praestare. καὶ ἐὰν — καυθήσωμαι) *Si tradam corpus meum, ut comburar.* Fieri potest, ut quis Christi nomen professus, in ignem se coniici patiatur, et tamen careat amore in Deum et alios; si nempe id faciat tantum ex pertinacia et vano gloriae magnique nominis studio, quod fecit *Calanus*, et multo post *Peregrinus* Philosophus. Adeo apud Deum res istae ex proposito magis quam ex facto aestimantur. *Schulzius: Si traderem corpus, ut mihi stigma inureretur. Wenn ich meinen Leib brandmarken liesse, um ein Leibeigener zu werden.* Nescio an recte. Nam locus Apocal. IX, 4., quem conferre iubet, huc non pertinere videtur. Stigma vero servis ob delictum gravius inurebatur, quantum equidem scio. οὐδὲν ὠφελοῦμαι) Nempe ad praemium coeleste.

4. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται) Ἡ ἀγάπη hic et in sequentibus, abstr. pro concreto, *homo hac virtute praeditus*, ὁ ἀγαπῶν. Μακροθυμεῖ, *iram differt*, mansuetus est. Μακρόθυμος respondet Hebraeo אֶרֶךְ אַפַּיִם Exod. XXXIV, 6. Χρηστεύεται, ipsa irae opposita virtus, comitas, suavitas erga homines eos, qui nos laeserant. Utrumque Rom. II, 4. Deo tribuitur; nec enim unum sine altero locum suum habere in animo nostro potest. οὐ ζηλοῖ) *Non invidet*, alterius nempe fortunae, vel ingenii dotibus. Hesychius: ζηλοῖ, φθονεῖ, ἐρίζει, μισεῖ. Nam ζηλοῦν, quod proprie *fervere* significat, et in universum de omni

fervore et aestu adhibetur, hic in malam partem sumitur, ut contextus docet. οὐ περπερεύεται) *Non se ostentat,* non gerit se insolenter *verbis factisque,* non contemnit et insectatur alios. Cic. ad Atticum I, 14. *Dii boni! quomodo ἐνεπερπερευσάμην novo auditori Pompeio?* ubi ἐμπερπερεύεσθαι est *laudibus seipsum efferre, et ostentare.* Glossarium: *perperam ago,* περπερεύομαι, προπετεύομαι, *perperus,* πέρπερος, προπετὴς, *vanus.* Etymol. M. πέρπερος ὁ φλυαρὸς — ὅθεν καὶ περπερεύεται, ἀντὶ τοῦ ματαιοῦται, ἀτακτεῖ, κατεπαίρεται μετὰ βλακείας ἐπαιρόμενος. οὐ φυσιοῦται) *non effert se animo,* ita ut alterum, qui minora dona accepisse videtur, posthabeat.

5. Οὐκ ἀσχημονεῖ) *Non indecore agit;* cavet quicquam agere, quod a decoro alienum sit, quod, ut multis modis, ita in publicis Christianorum conventibus fieri poterat, vel interpellando alios, vel aliorum dotes alto supercilio despiciendo. οὐ παροξύνεται) *Non acuitur,* i. e. irritatur. Difficile est nunquam irasci. Sed hoc ingenium est eorum, qui homines diligunt, ut non modo sine caussa non irascantur, sed et in iusta commotione modum servent. οὐ λογίζεται τὸ κακὸν) i. e. οὐ μνησικακεῖ, non refert in rationes peccata aliorum, ut illa exprobret. Gen. L, 20. Ps. XXXV, 4. Zach. VIII, 17. *Hesychius:* λογίζεται, φημίζεται. Ita sensus esset: *non divulgat malum.* Chrysost. tamen: οὐχ ὑποπτεύει.

6. Οὐ χαίρει — τῇ ἀληθείᾳ) *Non applaudit male agentibus, sed bene agentes approbat,* vel potius: non gaudet, quum alios errare et vitiose agere viderit,

sed quum eos recte agere compererit. Ἡ ἀλήθεια, quum opponitur τῇ ἀδικίᾳ est *vera virtus*, *Rechtschaffenheit*, ut supra V, 8.

7. Πάντα στέγει) *Fert omnia*, vel secundum alios, *tegit*, cavet aliorum ignominiam, Prov. X, 12. *Fert*, quae ferri ullo modo possunt, vel tegit, quae salva conscientia tegi possunt. Solent voces universales restringi ex materia subiacente. *Storrius* (pag. 32. not. 57.): Amantes omnia *sustinent;* a commoditate, qua iure suo frui poterant, lubenter aliorum caussa se abstinent, variamque molestiam subeunt. Cf. cap. IX, 12. πάντα πιστεύει) Mavult credere, quae credita nihil nocent, quam temere aliquem mendacii damnare. *Semlerus:* omnia efficere se posse credit. πάντα ἐλπίζει) Non facile de quoquam desperat, quin ad meliorem frugem venire possit. Πάντα ὑπομένει, *omnia* (bona) *expectat*. Nam ὑπομένειν h. l. de *expectatione* capiendum esse videtur, ut Ps. LIX, 9. LXIV, 3. CVI, 3. *Storrius* (l. c.): Amantes (s. qui benevolo in alios animo sunt) non pessima quaeque, sed optima *credunt* (πιστεύει), quumque res et veritas non patitur bene existimare, meliora certe *sperant* (ἐλπίζει), quumque spei non confestim satisfit, optima quaeque *expectant* (ὑπομένει), h. e. spem non statim abiiciunt, sed meliora patienter praestolantur.

8. Οὐδέποτε ἐκπίπτει) Hebr. לֹא נָפַל, *nunquam cessat*, nunquam usu caret. Theophylactus: οὐ διαλύεται, οὐ διακόπτεται, οὐδέποτε παύεται, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι μένει, τῶν ἄλλων ἁπάντων κατηργημένων. εἴτε δὲ προφητεῖαι) Nempe quae alicui obtigere. κατ-

ἀργηθήσονται) *Desinent*, sc. (ut nonnulli explicant) iam in hac vita. Εἴτε h. l. habet vim *coniungendi* quae eiusdem sunt vel naturae vel generis. Interpungendum igitur est post προφητεῖαι, γλ. γνῶσις. Alii haec et sequentia ad vitam aeternam referunt. εἴτε γνῶσις, καταργηθήσεται) Plerique ad beatam vitam sic referunt, ut Paulum dicere existiment: imperfectio scientiae *in altera vita* cessabit, succedente cognitione perfecta. Alii statum imperfectiorem de ecclesiae Christianae pueritia, perfectiorem de adulta eius aetate intelligi volunt. Cf. Ephes. IV, 11.

9. Ἐκ μέρους (i. e. μερικῶς, *imperfecte*. Syrus vertit: *Parum ex multo*. Potest etiam explicari: *unum post aliud cognoscimus*. καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν) Sensus esse videtur: Imperfectum est studium nostrum docendi alios, quod a Deo sumus edocti. Nam infra c. XIV, 3. 4. προφητεύειν dicitur is, qui docet, adhortatur, consolatur alios.

10. Τὸ τέλειον) *Vita illa, conditio illa perfectior*. quae ὅλων τετελειωμένος Hebr. VII, 28. *Tum imperfectior illa cognitio* καταργηθήσεται, *cessabit*, non amplius locum habebit.

11. Ὅτε ἤμην — ἐλογιζόμην) *Quum adhuc infans eram, more infantis loquebar, more infantis sentiebam, more infantis iudicabam*. Similitudine rem illustrat, qua et *Maimonides* utitur. Alius est sermo, alia studia, alii rerum conceptus pueris, alia haec viris. Ἀνήρ, *vir plenae aetatis*. *Seneca* Epist. 27. *Clamo mihi ipse: numera annos tuos; et pudebit ea-*

dem velle, quae volueras puer, eadem parare. κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου) i. e. sermonis vitia correxi, studui rebus maioribus, res ipsas intellexi clarius. Deest apodosis, hoc modo supplenda: Sic etiam in altera illa et perfectiore vita, vel, ut alii volunt, in perfectiore ecclesiae statu, cessabunt Charismata, quae ad tempus erant necessaria, in eorumque locum perfectior Deum et res divinas cognoscendi modus succedet.

12. Βλέπομεν — αἰνίγματι) *Nunc cognoscimus* (Deum resque divinas) *tanquam per lapidem specularem, obscure.* Βλέπομεν, i. e. γινώσκομεν, quo verbo statim utitur. Dixit autem βλέπομεν ob vocem ἐσόπτρου. Est autem ἔσοπτρον *lapis specularis*, ex quo antiqui fenestras habuerunt, pellucidas quidem, sed, si cum nostris vitreis conferantur, multo obscuriores. *Plin.* Hist. nat. III, 4. *metallis plumbi, ferri, aeris — tota fere Hispania scatet: citerior et specularibus lapidibus.* XXXVI, 45. *postferendos omnes tamen Hispaniae et Cappadociae mollissimis et amplissimae magnitudinis, sed obscuris.* Ἐν αἰνίγματι, hebr. בְּחִידוֹת i. e. αἰνιγματικῶς, *obscure*, additur dilucidioris explicationis caussa. Locutio desumta est ex Num. XII, 8. τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον) Sc. βλέψομεν, *clare et perspicue cognoscemus.* Cf. Exod. XXXIII, 11. Pro eo Paulus dixit διὰ εἴδους 2 Cor. V, 7. τότε — ἐπεγνώσθην) *Tum vero cognoscam pro cognitione qua imbutus fuero.* Ἐπιγνωσθήσομαι, illud, pro ἐπιγνωρισθήσομαι. Γνωρίζω autem erit הוֹדִיעַ, *cognitione imbuo.* Cf. supra c. VIII, 3. Sensus huius loci igitur est: *Nunc ex parte cognosco;* imperfecta

est mea rerum divinarum cognitio; *tum vero* (in altera illa vita, vel in illo perfectiori ecclesiae statu) *cognoscam* Deum et res divinas *pro cognitione qua imbuet me Dominus.* Alii explicant sic: *Tunc vero exacte novero* modum, per quem Deus mundum gubernavit, et salutem hominum procuravit, *sicut ego notus sum,* Deo sc. qui mea consilia et cogitata exacte novit. *Semlerus:* ἐπεγνώσθην, nempe ab aliis; longe aliter de me sentient, quam iam quidem multi solent.

13. Νυνὶ δὲ — ἀγάπη) Νυνὶ, *iam nunc* (et in posterum), i. e. *in hac vita.* Μένει sc. necessaria. Licet reliquae dotes velut inutiles cessaturae sint, satis iam confirmata fide, cui propagandae ac stabiliendae serviunt illae, tamen interea manent *fides, spes et in alios homines benevolentia.* Haec tria semper omnibus Christianis manent necessaria, licet multa alia subinde mutentur. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη) *Sed praestantissima earum* (virtutum) *est benevolentia in alios.* Ob maiorem usum, quia proximo plus prodest, quam fides et spes per se; nam nec fides nec spes sine charitate aliorum utilitatem promovent. Alii hanc rationem reddunt: quia in vita aeterna fides et spes cessabit, amor vero manebit.

CAP. XIV.

1. Διώκετε τὴν ἀγάπην) Cohaeret cum superioribus. Quum tanti sit dilectio, omnino efficite ut eam habeatis. ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ) Sc. χαρίσματα. *Operam date donis excellentioribus,* exercitate facultates qui-

bus instructi estis. Sicut οἱ πνευματικοὶ c. XII, 1. erant homines, qui facultate aliqua, quae vi divinae tribuebatur, ceteris praestabant, sic nunc τὰ πνευματικὰ sunt dona illa quibus instructi erant illi homines ad docendum, et in publicis conventibus aliquid ad communem utilitatem dicendum. Recentiores nonnulli interpretes solum donum linguarum intelligunt, sine idoneis rationibus; nam hoc ipso commate etiam τὸ προφητεύειν ad τὰ πνευματικὰ refertur. Fortassis Pseudapostoli Corinthienses Petri aliorumque excellentiam a dono linguarum ita commendabant, ut hac doni linguarum invidiosa admiratione Pauli amantibus occasionem darent ad *huius praecipue* doni exercitationem urgendam. Monet igitur Apostolus esse aliud etiam donum, huic praeferendum, nempe προφητείαν. μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε) Quid sit προφητεύειν ad c. XII, 10. satis declarasse nobis videmur, et ipse Paulus, quanquam ipse verbi vim non definivit, eius tamen partes descripsit quasdam, aut quae hanc dotem attingerent, exposuit hoc ipso capite, inprimis versu 3. Προφητεύειν igitur h. l. nec est *futura praedicere*, nec illustrare obscuritatem dictorum V. Testamenti, nec furore, vel afflatu quodam divino correptum loqui, *in Begeisterung reden.* Quo enim iure, ut nunc alia taceam, Paulus huiusmodi dotes tanquam primarias, omnibus donis praeferre ac commendare potuisset (μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε), aut quae eius tanta necessitas fuisset, ut his omnium minime carere Christiani potuissent?

2. Ὁ γὰρ λαλῶν — τῷ Θεῷ) *Qui enim profert aliquid in lingua peregrina, non homines* (illam lin-

guam non intelligentes) *sed Deum alloquitur.* Γλῶσσα, supple ἑτέρα, *peregrina*, incognita illis qui dicentem audiunt. Λαλεῖν γλώσσῃ est disserere de rebus divinis et ad religionem pertinentibus in lingua peregrina. Sic qui Corinthi arabice vel syriace in conventibus sacris precabatur, vel Dei laudes canebat, ἐλάλει γλώσσῃ. Consueverunt autem Christianorum orationes extranea lingua habitae versari in laudibus Dei (infra Vs. 15—17.) et precibus, Vs. 14. aliave qualibet materia, quum alias λαλεῖν significet *docere, erudire.* Aliam interpretationem phraseos γλώσσῃ λαλεῖν tentavit *Bardili* in commentatione *de significatu primitivo vocis προφήτης ex Platone eruto, cum novo tentamine interpretandi* 1Cor. XIV. Goettingae 1786. 8., cui in multis adstipulatur Cel. *Eichhornius* in der Allgem. Biblioth. der bibl. Litterat. T. I. Λαλοῦντα γλώσσῃ intelligit hominem, lingua in ore sita loquentem sic, *ut nullos distinctos sonos efficiat*, quam sententiam *Ammonius* confirmare voluit comparatione historiae *Hannae* (1 Sam. c. I.), quae (v. 12.) cum animo suo loquens, et labra movens, nullam edidisse vocem dicitur, ita ut *Eli*, eam temulentam esse ratus, conviciis proscinderet. Contra hanc sententiam multa monuit *Storrius*, in libro saepe laudato pag. 43. sqq. *Doederlein* in Bibl. theol. Tom. IV, p. 222. sqq. donum linguarum interpretatur de facultate conficiendi et canendi hymnos et Psalmos hebraicos, rara illis temporibus. Sed huic ceteroquin ingeniosae sententiae repugnare videtur Act. II, 8—11. Quid nobis de hoc dono videatur, diximus ad Act. II, 4. Sed ut redeamus ad nostrum locum, dicit Paulus: Qui in lingua audientibus incognita λαλεῖ, precatur, vel Deum laudat,

is οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ ἀλλὰ τῷ Θεῷ) Nihil prodest eius oratio aliis, nempe nisi adsint eiusmodi linguae homines. *Deo* loquitur, i. e. Deum solum habet conscium, vel etiam: laudes Dei celebrat. οὐδεὶς γὰρ ἀκούει) *Nemo enim intelligit.* Ἀκούειν *intelligere*, ut שָׁמַע saepe Hebraeis. Loquitur Paulus de eo, quod plerumque fiebat; erat enim rarum, ut adessent peregrini. πνεύματι δὲ λαλεῖ μυστήρια) *Animo* (menti et intellectui aliorum) *profert arcana*, plane incognita. Πνεῦμα, animus, mens. Supple τῶν ἀνθρώπων eorum hominum qui adsunt, nec illam linguam peregrinam intelligunt; ex praecedenti ἀνθρώποις. Πνεύματι h. l. idem esse quod modo γλώσσῃ, ut recentiores nonnulli volunt, non admittit loquendi usus. Μυστήριον Paulo semper est, *quod aut fuit aut est occultum, ignoratum.*

3. Ὁ δὲ προφητεύων — παραμυθίαν) *Qui autem docet, is loquitur quae aliis prosunt, et ad eorum adhortationem et consolationem faciunt.* Hinc patet veram esse notionem verbi προφητεύειν, quam Vs. 1. notavimus. Quicquid promovet hominis cognitionem salubrem, et pietatis usum, dicitur οἰκοδομεῖν. Generis nomen, οἰκοδομή, in species dispertit. Prodest ὁ προφητεύων cohortando ad pietatem (παράκλησις), et solando afflictos (παραμυθία). Primum igitur quasi requisitum huius facultatis est, ut auditoribus sit utilis, ad eosque erudiendos confirmandosque apta reperiatur.

4. Ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ) *Sibi privatim uni prodest;* loquitur ad sui ipsius utilitatem, suae pietati consulit. ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ) Universo coetui prodest, adhortationibus, consolationibus.

5. Θέλω — γλώσσαις) Θέλω, pro *θέλοιμι*, *velim*, ut Rom. VII, 16. et alibi. Ostendit se pariter affectum, ut olim Moses, Num. XI, 29. μείζον) i. e. *Ecclesiae utilior*, ut supra XIII, 13. ἐκτὸς εἰ μὴ διερμενεύῃ) Duplex negatio pro una etiam apud Profanos Scriptores saepe occurrit, ut exempla apud Wetstenium ostendunt. Ad προφητείαν igitur requirebatur, ut is, qui hac facultate praeditus esset, perspicue, ad aliorum intelligentiam loqueretur. Tum vero, quum barbaram linguam loqueretur, h. e. non ad auditorum intelligentiam aptam, deposita prophetae, alterius induerat personam, nec *propheta* omnino poterat dici, sensu quidem eo, quo Paulus verbo isto utitur, ut eum ab iis discernat, qui peregrinorum lingua uterentur. Cf. etiam infra Vs. 13. sqq. 25. sq.

6. Γλώσσαις λαλῶν) Nempe sine interpretatione. ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω ἢ ἐν ἀποκαλύψει) Varie h. l. explicatur. Videtur post τί ὑμᾶς ὠφελήσω ponendum esse signum interrogandi, et supplendum: Plane nihil utilitatis a me ad vos redundabit, *nisi* etc. Λαλήσω ἐν est Hebraismus, pro: λαλήσω ἀποκάλυψιν. Ἀποκάλυψις h. l. videtur esse quaevis clarior et apertior veritatis cuiusdam cognitio, orta ex meditatione. Nam ἀποκάλυψις proprie est patefactio rei opertae et antea ignotae. Hinc, ubi de religione agitur, est clarior cognitio, *neue Einsicht, neuer Aufschluss*. Cf. infra Vs. 26. ἢ ἐν γνώσει — διδαχῇ) Γνῶσις communem continet, ipsa natura cuiusque acquisitam, usuque et exercitatione firmatam cognitionem. Προφητεία autem, quae ad ἀποκάλυψιν refertur, h. l. arctiori sensu sumitur, et intelligitur de iis, quae praeter naturam ad animum

delata fuere. Cf. Matth. XI, 25—27. Rom. XVI. 25, 26. Διδαχὴ, doctrina de officiis et virtutibus Christianorum, vel universe *institutio*. Intelligimus ex his, quaenam illa fuerint, quae isto tempore praecipue in conventibus publicis sint proposita. Bene *Storrius* (p. 49. not. 95.) huius commatis sensum expressit sic: Si, venturus ad vos, ita vobiscum versari vellem, ut peregrino et incognito vobis sermone uterer, quam quaeso utilitatem allaturus vobis essem, si, inquam, de iis quae dicere haberem, non *vobis*, i. e. cognita vobis lingua loquerer, neque spectarem *Corinthios*, inter quos versarer, sed tanquam cum *Arabibus* agerem.

7. Ὅμως—διδόντα) *Quin etiam instrumenta musica sensu carentia.* Illustrat rem exemplis ex vita humana petitis. Ὅμως, *etiam, quin etiam, similiter.* Sic ὅμως paroxytonon interdum esse vertendum, patet exemplis Profanorum a Kypkio notatis. ἐὰν διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ) *Nisi distinctos sonos edant*, i. e. harmonicos, secundum artem musicam compositos, qui certis harmoniis ac modulis testentur aut cantionis argumentum, aut affectum, quo vocat cantio. πῶς γνωσθήσεται—κιθαριζόμενον) *Quomodo dignoscetur, quale sit, quod cithara tibiave canitur*, laetum an lugubre? In comoediis, tragoediis, ad coenam et vinum, solebant usitati modi tibiis aut citharis efferri. Iam si quis inconditos et barbaros sonos ederet, audientibus nihil significabat, quo ad saltandum etc. ducerentur. Simillime igitur habet, si quis quantumvis alta voce, aut lugubri, aut laeto sono peregrinae linguae, aliis ignotae utatur; nemo intelligit, utrum laetandum an lugendum, canendumque ipsi sit.

8. Καὶ γὰρ — δῷ) *Sic et tuba, si vocem incertam dederit,* non ipso cantu distinguens, utrum proelium iniri iubeat, an receptui canat. Καὶ γὰρ, *namque etiam,* ut alio exemplo utar. Varius fuit clangor tubarum, quo Iudaei, Graeci, Romani etc. classicum significabant, notus tamen fuit ordo et modus sonorum. τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον;) Εἰς πόλεμον, i. e. εἰς μάχην. Quis classicum cani intelliget, atque ad pugnam ineundam parabitur? Nihil referret, tuba clangere, quum miles non intelligat quo vocetur.

9. Διὰ τῆς — δῶτε) *Nisi lingua* (peregrina loquentes) *sermonem edideritis perspicuum,* εὔσημον λόγον, sermonem bene significantem, i. e. perspicuum iis qui adsunt, aut eorum plurimis. πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον;) i. e. Quomodo percipi poterit ab aliis, quid sit, de quo vos verba feceritis? Hoc vult Apostolus: Si vobis per linguam peregrinam verba facientibus nemo nunc adsit, eiusdem linguae societate coniunctus vel sermonem extraneum intelligens ceterisque interpretans; qui sermo vester intelligi poterit? Ventis nimirum verba profundetis.

10. Τοσαῦτα — κόσμῳ) *Tot nempe genera linguarum sunt in mundo.* Εἰ τύχοι, *nempe,* vel: ut alii: *exempli caussa.* Φωνή, *lingua,* e. g. graeca, hebraica; de hominum enim linguis loquitur, ut mirum sit, quum illa significatio non sit inusitata, aliquos tamen de animalium et avium *vocibus* cogitasse. καὶ οὐδὲν (γένος) αὐτῶν ἄφωνον) Sc. ἐστι. *Et nullum earum genus significatione caret.* Ἄφωνος, i. e. ἄδηλος, obscurus, incondito sono constans.

11. Τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς) *Vim et potestatem*, significationem *linguae*, qua utitur alius loquens mihi. Δύναμις, *significatus*, valorem etiam dicunt quidam latino nomine; δύνανται saepe in scholiis graecis pro *significat*. ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος) Βάρβαρος h. l. est is, cuius ignotum et peregrinum est idioma, qui nec intelligit loquentem, nec ipse intelligitur loquens aliis. Herodot. II, 158. βαρβάρους δὲ πάντας οἱ Αἰγύπτιοι καλέουσι τοὺς μὴ σφίσι ὁμογλώσσους. Ovid. Trist. L. V. el. X, 37. 38. *Barbarus hic* (in Ponto) *ego sum, quia non intelligor ulli: et rident stolidi verba Latina Getae.* Sensus est: ille, qui mihi loquitur, perspiciet, nihil omnino me moveri ipsius oratione, quaestione, reprehensione. καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος) Ἐν ἐμοὶ, *apud me*, vel ἐν ἐμοὶ pro μοι, ut ἐν redundet hebraico more, sicut in לִי, בִּי. Deest ἐν in nonnullis, sensu manente eodem. *A me pro barbaro habebitur loquens.* Illustrat igitur Apostolus rem quam tractat alio exemplo. Nam comm. 10. 11. sensus est hic: Multa sunt linguarum genera, quorum nullum significatione caret. Si quis vero inter barbaros lingua versatur, non magis cum istis barbaris conversari poterit, quam si vacui utrinque soni ederentur, non quod cassi sint alterius utrius linguae soni, sed quod neutra pars externi sermonis *vim* et *significatus* capiat.

12. Οὕτω καὶ ὑμεῖς) Quidam haec connectunt cum praecedentibus, ut hic versiculus incipiat ab ἐπεὶ, sitque haec sententia: *Ita et vos; sic vobis etiam eveniet;* nempe barbari eritis inter vos, si incognita lingua inter vos utamini. Aliis οὕτω h. l. significat *propterea*, לָכֵן. ἐπεὶ — πνευμάτων) i. e. ἐπεὶ ζηλοῦτε

χαρίσματα πνευματικά, quoniam tantopere quaeritis dona Spiritus, sublimiores virtutes, vi spiritus divini effectas. Πνεύματα, abstracto posito pro concreto h. l. sunt χαρίσματα πνευματικά. πρὸς τὴν — περισσεύητε) Traiectio, pro: ζητεῖτε, ἵνα περισσεύητε πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας, operam date, ut ea accipiatis dona, quibus prodesse ecclesiae possitis, vel: ut officio vestro omni ex parte satisfaciatis. Περισσεύειν, quod proprie est *abundare*, in tali contextu significat *proficere*, *profectus facere*, sc. in explendo officio.

13. Προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ) Post προσευχέσθω supple: οὕτως. Sic precetur, vel oret, nempe in peregrina lingua, ut simul interpretetur. Paulus h. l. non commendat preces, quibus, quae anquirant, adipiscerentur, nec verba haec reddenda sunt: roget, *ut* barbare dicta *interpretari* discat.

14. Τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται) Varie haec et sequentia verba explicantur. Πνεῦμα nonnullis est donum spiritus sancti, quo afflante in lingua peregrina quis loquitur, ut sensus sit: *Preces fundo impulsus spiritu sancto, qui mihi hoc donum concessit.* Aliis τὸ πνεῦμα est *animi affectus*, ut sit sensus: *Scio hoc quidem, orationem me recitare, animumque ad Deum dirigo*, vel secundum *Estium*: Si Deum orem lingua, spiritus quidem meus orat, i. e. affectus elevatus est in Deum etc. ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι) Qui priorem interpretationen sequuntur, explicant: *sed ab aliis non intelligor, nec aliis prosum;* qui posteriorem: *Intellectus meus, quia verborum sensum non assequitur, fructu proprio privatur;* ipse ego careo

omni fructu intelligendi, ut νοῦς μου sit mea facultas, qua *intelligo* et cogito plura a se diversa, verbis variis designata. Verior sine dubio interpretatio est haec: *Si peregrina lingua orem, animus meus orat,* (ipse ego intelligo quid orem,) *sed sententia mea* (sensus sermonis mei) *alteri*, linguam extraneam non intelligenti, *nullum fructum affert.* Ἄκαρπον significat quod fructum non *affert*, sive, ut Latini etiam dicunt, quod *infructuosum* est. Vid. Storr. pag. 53. Νοῦς, mens, sensus sermonis, vel etiam id, quo dico, verbisque prolatis mihi volo. Cf. Vs. 16.

15. Τί οὖν ἐστι;) Sc. πρακτέον; Quid igitur est, nempe quod optandum sit et faciendum in hac re? προσεύξομαι — τῷ νοΐ) *Operam dabo, ut non solum animo* et mente, *sed etiam ita ut* ab aliis *intelligar, preces fundam.* Τῷ πνεύματι, sc. μου, animo meo. Τῷ νοΐ, est Dativus, pro εἰς τὸ νοεῖσθαι, *intelligentiae* et sensui *aliorum*, me audientium; ita ut alii etiam me intelligant. Hanc interpretationem suadet Vs. 16. ubi expressis verbis de eo, qui tantum πνεύματι, non etiam τῷ νοΐ orat, dicitur, eum non intelligi ab aliis (ἰδιώτης — τί λέγεις οὐκ οἶδε). Nec contemnenda est *Storrii* sententia, cui προσεύχεσθαι, ψάλλειν τῷ νοΐ idem videtur sonare, quod *orare cum sapientia*, laudare Deum *sapienter, rationabiliter, adhibito iudicio*, sic nempe ut audiens sermonem intelligat, qui locutionis est finis. In *adverbiorum* periphrasi pro ἐν vel μετὰ etiam Dativum usurpari, patet ex 3 Io. 1. Matth. XXII, 16. cum 2 Reg. XIX, 17. Ps. CXIX, 75. et aliis locis. Ceterum hic locus clare docet, argumentum sermonum ab iis qui peregrinis linguis utebantur prolatorum, fuisse preces et hymnos.

16. Ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι) Ut *psallere*, sic εὐλογεῖν est quaedam publici cultus species, qui singulari carminis aut hymni genere constabat, propter beneficia aut olim aut nunc a Deo praestita. Τῷ πνεύματι, ut Vs. 14. 15. et supplendum est μόνῳ, non etiam τῷ νοΐ, Vs. 15. ita ut tu solus, non etiam alter intelligat, qui tamen ex more Amen dicere debebat. ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου) i. e. *imperitus linguae peregrinae.* Ἰδιώτης proprie est *homo privatus*, deinde *imperitus*, et h. l. *peregrinae linguae expers.* Ἀναπληροῦν τὸν τόπον τινός, significat: esse in statu et conditione alicuius, ad imitationem formulae hebraicae מלא מקום. πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμήν;) In vetere ecclesia, episcopo aut alio quovis Deum precante, vel laudante, plebs accinebat Amen, ea voce dicta approbans, idque ex more Hebraeo. Nemo autem non intellecta cum ratione approbare potest.

18. Εὐχαριστῶ) Amolitur Paulus hac ratione suspicionem, quasi ex invidia linguas peregrinas sic spernat, qui ipse iis uti non posset.

19. Ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ — ἐν γλώσσῃ) Post θέλω supple μᾶλλον, quod etiam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex Vs. 18. huc referri nihil vetat. *In ecclesia*, ubi pauci sunt linguarum gnari. Πέντε, i. e. pauca, brevem sermonem. Διὰ τοῦ νοός μου, *cum intelligentia mei*, sic ut intelligar ab aliis. Offendit interpretes, quod Paulus nunc dicat διὰ τοῦ νοός μου, quum supra Vs. 14. 15. sermo fuerit de intelligentia *aliorum*. Sed tollitur difficultas, si dicamus, μου esse Genitivuum *obiecti*. Διὰ vero, sicut ἐν, pro hebr. ב significare *cum*,

notum est. Confirmari videtur haec explicatio verbis sequentibus. Nam opponitur statim λαλεῖν ἐν γλώσσῃ, proferre sermonem in lingua audientibus peregrina et incognita. Non tamen repugno, si quis cum *Storrio* (p. 57.) malit vertere: Malo tria verba *adhibito iudicio meo*, sapienterque proferre etc.

20. Παιδία ταῖς φρεσὶν) *Pueris similes quoad mentem et intellectum.* Puerorum est se ostentare in rebus inutilibus, nec attendere, quid praesentium personis, loco et tempori conveniat. τῇ κακίᾳ νηπιάζετε) *Sed pravitate estote pueri*, infantum simplicitatem et integritatem moribus exprimite, ita nempe, ut expertes sitis omnis malignitatis, Matth. XVIII, 3. Τέλειοι, similes viris adultis, Eph. IV, 13.

21. Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται) Ies. XXVIII, 11. 12. Ier. V, 15. Νόμου vocabulo Paulus hic significat omnia scripta divinitus data, ut Io. X, 34. XV, 25. Ceterum non tam verba ipsa studiosius citantur, quam sensus et sententia a Paulo in mentem revocatur. ὅτι ἐν — λέγει κύριος) *In alienis linguis, et alienis dialectis loquar huic populo; nam ne sic quidem obsequentur mihi, dicit Iehova.* Minatur Deus Iudaeis per Iesaiam, se usurum esse hostibus lingua barbaris ad eos castigandos; neque enim per eam, qua adhuc usus fuerit, disciplinam, h. e. per *prophetas*, viam salutis et tranquillitatis vernaculo sermone tradentes (Ies. XXVIII, 12.) ad obsequium eos revocatum iri. Καὶ, *nam*, ut hebr. ו. Οὐδ' οὕτως, *ne sic quidem*, quum saepius per prophetas eos monuisset. Codices nonnulli habent οὐδέπω, *nondum*. *Labium* vero apud Hebraeos loquelam significare, notum est. Gen. XI, 1.

22. Ὥστε — ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις) *Ergo peregrinae linguae* (homines peregrinis linguis utentes ad alios) *portento sunt non credentibus* et Deo obsequentibus, *sed non credentibus* et immorigeris, h. e. Deus poenae loco cum Iudaeis ἀπίστοις, qui *prophetis fidem* et obsequium *denegassent* (Ies. XXVIII, 12.) *extraneis linguis* per barbaros egit. Castigandos eos tradidit hostibus extranea lingua, Iudaeis ignota, utentibus. Αἱ γλῶσσαι h. l. sunt, qui peregrinis linguis utuntur, extranei. Applicatio erat facilis. Si Deus, inquit Paulus, non amplius vernaculo sermone vos alloqui dignaretur, sed per eos solummodo, qui peregrinis linguis utentes, vobis in ipsa patria vestra barbari essent, tum nec doctrinae christianae notitia et sensus inter vos ipsos conservari, nec ecclesiae vestrae termini propagari possent. ἡ δὲ προφητεία — πιστεύουσιν) *Sed Prophetae* (interpretes voluntatis divinae atque doctores) *dantur non infidelibus* et immorigeris *sed credentibus*, docilibus et Deo obsequentibus. (προφητεία, per meton. Prophetae.) Ergo προφητείας donum, quod inter vos viget pro divinae in vestram ecclesiam benevolentiae argumento habendum est.

23. Εἰσέλθωσι δὲ ἰδιῶται ἢ ἄπιστοι) Christiani, qui unam tantum linguam norint, peregrinae linguae expertes (Vs. 16.), aut etiam increduli, nihilo peritiores. Solebant etiam pagani adire Christianorum ecclesias, ad videnda, quae ibi agebantur. ὅτι μαίνεσθε) Quippe et insani ea loqui solent, quae nemo intelligat. Ergo ecclesiae vestrae adeo non esset decori, si nonnisi peregrinis linguis utentes in ea essent, ut haec res potius imperitis aut malevolis occasionem dare posset oratores vestros adducendi in suspicionem insaniae.

24. Ἐὰν δὲ πάντες προφητεύωσιν) *Si omnes* (nempe unus post alterum) *doceant, cohortentur, consolentur.* Cf. Vs. 1. 3. ἐλέγχεται) *Convincitur*, vel convinci potest, sc. erroris sui de Christianismo, cf. Vs. 25. ἀνακρίνεται) Reprehenditur; sententiam adversus se ferri intelligit, per doctrinae vim.

25. Τὰ κρυπτὰ — γίνεται) τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας, in bonam partem. *Salubres animi motus, vestra oratione excitati.* Hi erumpent in gestus et verba, ut statim subiicitur. καὶ οὕτω — τῷ Θεῷ) Deum venerabitur, et quidem prostrato corpore. Πεσὼν, sive in loco eo publico, ubi conventus agitur, quod saepius haud dubie factum; sive privatim suo in loco. ἀπαγγέλλων — ἐστι) *Publice professus, Dei operationes in vobis esse efficaces.* Quia huius generis motus in animo suo antea non sensit, Dei hanc caussam esse intelliget, et meliori religioni iam ipse adhaerebit.

26. Τί οὖν ἐστιν;) Quid ex his sequitur? Quid tandem faciendum existimatis? Sumit interrogantis personam, ut respondeat. ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει) Quisque suum habet donum, alius quidem Psalmum, alius doctrinam etc. Sic enim resolvendum est τὸ ἕκαστος, ne quis singulos putet omnibus istis donis fuisse praeditos. Singulis his enunciatis interponenda est particula ἤ. *Aut Psalmum habet, aut doctrinam, aut* γλῶσσαν, donum in peregrina lingua precandi vel psallendi. Ἀποκάλυψιν ἔχει, habet claram et perspicuam cognitionem alicuius veritatis hactenus sibi et aliis obscurae. Cf. supra Vs. 6. ἑρμενείαν) Donum explicandi graece, quae alter dicit lingua peregrina, vel etiam interpretandi libros sacros V. T.

27. Κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς) Sc. λαλείτωσαν. *Bini, aut ad summum tres,* nempe uno die, et in uno conventus tempore, ne plus iusto plebs detineretur. καὶ ἀνὰ μέρος) i. e. non simul, sed divisis temporum spatiis, et suo quisque ordine.

28. Ἐὰν δὲ μὴ ᾖ διερμηνευτής) Si quis lingua peregrina loqui possit, bene sibi conscius se non ita peritum esse linguae vulgaris (e. g. graecae), ut extraneo idiomate dicta ipse possit explicare, nec alius adsit, qui interpretari queat. σιγάτω ἐν ἐκκλησίᾳ) Sc. ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑτέρᾳ. ἑαυτῷ — καὶ τῷ Θεῷ) Domi suae, si vult, Deo teste.

29. Δύο ἢ τρεῖς) Nempe uno die, unus post alterum, sicut de linguae donum habentibus dixerat. καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν) Diiudicent, et sententiam ferant, an consentanea sint veritati ab ipsis proposita. Errare poterant Prophetae, vel qui docebant. Debebant itaque esse, qui diiudicare possent, an horum hominum effata cum sana doctrina convenirent.

30. Ἐὰν δὲ — καθημένῳ) Si autem alii ex illorum numero, qui iam sedent cum aliis et audiunt, (aliquid) revelatum fuerit, i. e. *in mentem venerit*, quod velit proponere. Verbum ἀποκαλυφθῇ nonnulli interpretes non intelligunt de *immediata* revelatione; sed de cogitatione, quae occasione ab aliis in ecclesia dictorum in animo alterius ex propria meditatione subito orta est. Recte quidem, ut mihi videtur. Cf. Vs. 6. et 26. Huiusmodi clarior cognitio (neuer Aufschluss) fortassis tum etiam dicebatur ἀποκάλυψις, si coniuncta

erat cum fervore quodam mentis, divinitus excitato, sicut hoc verbum saepe latius patet. Ὁ πρῶτος σιγάτω) *Primus*, qui prior locutus est, *taceat*, et alteri locum dicendi concedat, vel etiam ut *Grotius* et *Storrius* volunt, primus *sinatur finire* (cf. Matth. XXIII, 8. 10. 2 Thess. II, 3.). Subiicitur ratio:

31. Δύνασθε — προφητεύειν) *Potestis nimirum alius post alium dicere*, atque ita (ut statim sequitur,) singuli ab *omnibus* audiri *omnesque* a singulis discere, quum contra, si alter *iuxta cum* superiore, *huius oratione nondum finita*, pro concione dicat, aliorum auditorum attentio in alias partes convertatur.

32. Καὶ πνεύματα — ὑποτάσσεται) *Nam cedere debent Prophetae* (loquentes) *aliis eiusdem facultatis*, qui docere vellent publice, iisque locum dicendi facere, voluntatem impetumque declamandi usque cohibere, dum illi finem fecerint dicendi. Πνεύματα h. l. sunt hi, qui praecipua quadam facultate, in qua quandam quasi divini Numinis vim effectionemque Christiani agnoscerent, ornati essent vel putarentur.

33. Οὐ γὰρ — εἰρήνης) *Deus enim non amat confusionem*, dissidia, *sed pacem*. ὡς ἐν — ἁγίων) Connectenda sunt haec verba cum comm. sequente. *Quemadmodum fit in omnibus ecclesiis Christianorum, ita etiam vestrae mulieres in ecclesiis taceant.*

34. Σιγάτωσαν) Ne doceant populum, aut interrumpant loquentes. Λαλεῖν quod statim sequitur, h. l. ut saepissime, est *docere*. ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι) Subau-

ditur non *ἐπιτρέπεται*, sed *κελεύεται*, *iubetur*, idque ex contrario, ut 1 Tim. IV, 3. *καθὼς — λέγει*) Gen. III, 16. ubi mulier subiecta esse viro iubetur. Ex hoc etiam loco patet, *προφητείας* verbum nec ad futurorum praedictionem pertinere, nec Prophetas ac Prophetissas omnes, pro concione publica dicentes, afflatu impulsuque divino dixisse. Quomodo enim Paulus tales ausus esset cohibere ac interdicere quae Deus proponi voluisset, nec vereri, ne contra dicerent fatidicae: Deo magis obsequendum esse quam Paulo, atque hunc negarent auctoritate Dei praecipere, omninoque, quum Deo repugnaret, eius legatum esse?

35. *Αἰσχρὸν*) i. e. *οὐ πρέπει*, *non decet* mulierem, in ecclesia docere.

36. *Ἢ — ἐξῆλθεν;*) i. e. an vestra ecclesia omnium reliquarum est mater? phrasis est hebraica, ex Ies. II, 3. Hoc ideo dicit, quia Corinthii illi doctores morem introduxerant contrarium omnium ecclesiarum institutis, ut feminae et docerent, et interrogarent. Hierosolymis exierat doctrina Evangelii; at ibi aliter fiebat. *ἢ εἰς ὑμᾶς μόνους κατήντησεν;*) *An ad vos solos devenit*, sc. *ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ*. Sicut primi non estis inter eos qui crediderunt, ita nec soli. Par vobiscum ius habent tot aliae ecclesiae, et aequum est partem toti, non totum parti cedere.

37. *Ἐπιγνωσκέτω*) *Agnoscat*, ut nonnulli explicant, quod etiam assensum et approbationem involveret; vel, animadvertat, et ante oculos positum habeat. Sir. IX, 13. Al. *legat*, et ipse sententiam ferat. *ὅτι — ἐντολαί*) Non enim sponte mea, sed a Deo iussus haec dico.

38. Εἰ δὲ — ἀγνοείτω) *Si quis hoc ignorare se simulat, ignoret*, suo periculo. Vel: *Si quis reprobat* (a me scripta) *suo periculo is me contemnat.* Ἀγνοεῖν, *reprobare*, ut Matth. VII, 23. XXV, 12.

39. Ὥστε ἀδελφοί μου) Ex diverticulo de feminis redit ad prius dicta, et quod maxime necessarium est, repetere non gravatur. ζηλοῦτε — κωλύετε) *Studiosi estote τῆς προφητείας, ita tamen, ut linguarum* peregrinarum *usu* et exercitatione *non interdicatis.* Hinc liquet, (ut *Storrius* observat pag. 69. not. 141.) fuisse inter Paulinos et Apollonios, qui dono linguarum, ab una parte cupidius amato et exercito, Corinthiis propter abusum *omnino interdici* voluerint. Is ipse dissensus occasionem dedisse videtur, ut controversia, inter Christianos antiiudaicos orta, in eorum epistola ad Paulum data Apostolo dirimenda proponeretur.

40. Πάντα — γινέσθω) *Omnia honeste* (decenter, decore) *et ex ordine fieri curetis.*

CAP. XV.

1. Γνωρίζω — εὐηγγελισάμην ὑμῖν) *In memoriam vobis revoco doctrinam, quam vobis tradidi.* Γνωρίζω, supple πάλιν. Nam Paulus repetit, quod iam antea docuerat Corinthios. Εὐαγγέλιον h. l. est doctrina de Iesu, eiusque redemtione, ut statim ex sequentibus patet. Venit Paulus ad argumentum de resurrectione mortuorum, quam nonnulli Corinthii negabant, Vs. 12. Quinam autem fuerint ii, adversus quos Paulus scri-

bit, de eo variae sunt sententiae. Alii negant, Christianos fuisse; alii fuisse statuunt, aut e Iudaeis Christianos, qui hunc errorem sive ab Essaeis sive Sadducaeis traxerint, aut e gentibus, qui philosophorum placitis hac in caussa adhaeserint. *Heumannus* existimat, eos a Sadducaeis transiisse quidem ad Christianos, sed rediisse ad pristinum tunc errorem. *Philetum* atque *Hymenaeum* Paulus ipse tradit 2 Tim. II, 17. docuisse resurrectionem iam esse factam. *Tertullianus* copiose narrat de auctoribus gnosticis, Marcione, Apelle, Valentino, quos Sadducaeorum errori addictos fuisse scribit. Potuit etiam Corinthi inter philosophos, aut eorum quosdam discipulos contradictio oriri contra doctrinam de ressurrectione; quemadmodum *Athenis*, Act. XVII, 17. ὃ καὶ — ἐστήκατε) *Quam* (doctrinam) *etiam tanquam veram recepistis, in cuius professione etiam perstitistis,* nempe hactenus. Nunc autem, quum seductoribus aures praebetis, ignorare aut oblivisci videmini istam meam doctrinam.

2. Δι' οὗ καὶ σώζεσθε) *Per quam salvi efficiemini.* Praesens pro Futuro, ut quidam iam olim Latini; vel etiam: *per quam ad salutem perducti estis,* ut iam liberi a vitiis et a miseria peccatorum aeternam felicitatem sperare audeatis. τίνι λόγῳ — κατέχετε) Synchysis pro: εἰ κατέχετε, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, *si tenetis* (hanc meam doctrinam) *ita ut eam vobis tradidi,* i. e. puram et haud vitiatam. Τίνι λόγῳ subaudito ἐπὶ ante τίνι), *qua ratione. Galen.* de compos. Medic. per genera 1. τίνι λόγῳ συνέθηκα τὴν διὰ χαλκίτεως ἔμπλαστρον. ἐκτὸς. εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε) *Nisi forte temere credidistis.* Ἐκτὸς εἰ μὴ *nisi*

forte, etiam apud Profanos occurrit. Vid. Kypkii observatt. Εἰκῇ, *temere, sine iusta ratione.*

3. Παρέδωκα — παρέλαβον) *Tradidi enim vobis inter prima christianae religionis capita, quod ipse docendum acceperam.* Παρέδωκα, *docui*, ut Rom. VI, 17. et alibi. Ἐν πρώτοις, coniungitur cum ὅ, *hoc*, quod est primarium et praecipuum christianae doctrinae caput. Potest etiam post ἐν πρώτοις suppleri: στοιχείοις τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, ex Hebr. V, 12. Ὃ καὶ παρέλαβον, *quod etiam ipse edoctus sum.* Unde haec didicerit Apostolus, non indicat. Certum esse videtur, iam tunc temporis historiam vitae Iesu a pluribus consignatam fuisse literis. Vid. not. ad cap. XI, 23. κατὰ τὰς γραφάς) Mors et resurrectio Christi sunt res in facta positae, quarum veritas nititur auctoritate testium, qui his rebus gestis interfuerunt. Paulus igitur, quum provocavit ad scripturas V. Testamenti, id eo consilio fecit, ut Christianis, qui Iudaei fuerant, ostenderet, fata Iesu non pugnare cum vera doctrina de Messia, in V. T. tradita. Quaenam loca V. T. Paulus respexerit, id, ut ego quidem opinor, vix definiri poterit. Plurimi interpretes eum respexisse putant ad Ps. XXII, 15. 16. 17. XL, 7. 8. 9. 13. Ies. LIII, 7—10. Secutum autem esse Apostolum consuetudinem Iudaicorum doctorum, loca V. T. allegorice et mystice accommodandi ad rem praesentem, statuit *Eckermannus*, in den theol. Beitr. Tom. II. Parte 3. p. 24. sqq. Paulum *per scripturas* vel Evangelia, vel sua vel aliorum Apostolorum scripta intellexisse, quae *Iehnii* fuit sententia, non est verisimile. Quanquam enim non negaverim, varia iam tum

extitisse Evangelia (Luc. I, 1.), iam deperdita, vix tamen credibile est, ea nomine τῶν γραφῶν excitata esse ab Apostolo. Hoc idem etiam de Apostolorum scriptis valet.

4. Κατὰ τὰς γραφάς) De sepultura Christi Ies. LIII, 9. de resurrectione eiusdem Ps. XVI, 10. Ies. LIII, 8. 11. 12. sermonem esse putant interpretes. An Paulus ad haec loca respexerit, dubium esse videtur. Cf. notata modo ad Vs. 3.

5. Κηφᾷ) Luc. XXIV, 12. 34. Nullam facit Paulus mentionem mulierum, quia doctrinam suam confirmare vult testimonio aliorum *Apostolorum*, et sociorum Christi. Ideo et primo loco nominat Petrum, qui post mulierum narrationes prior sepulcrum Christi adiit, Io. XX, 3. sqq. *Petrum* et *Iacobum* (Vs. 7.) eosque solos ex omni Apostolorum numero Paulus *nominatim* citat resurrectionis Christi testes. Id non sine caussa factum esse videtur. Hoc nimirum egit Apostolus, ut resurrectionis Christi nuncium quem ipse Corinthum attulerit (Vs. 3.), non *sua* tantum, quae Corinthi in dubium vocari coeperit, auctoritate niti, sed aliorum etiam consensu firmari doceret. Protulit igitur ea tantum testimonia, quae ad probandam resurrectionem Christi apud lectores suos vim maximam habitura confideret, nominatim vero Kephae et Iacobi, qui apud [illegible]tem Corinthiorum non Paulum duntaxat, sed ipsos etiam ceteros Apostolos auctoritate vincebant. τοῖς δώδεκα) Luc. XXIV, 36. Vocantur Apostoli οἱ δώδεκα non quod tot essent, mortuo Iuda, et Thoma absente, sed quia eo numero institutum erat eorum collegium.

6. Ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ) Ἐπάνω πεντακοσίοις constructio est elliptica, pro ἐπάνω ἢ πεντακ. sicut latine dicimus: interficit plus trecentos. Ἐφάπαξ, eodem tempore. Paulus narrat historiam non scriptam in nostris Evangeliis, scriptam vero, ut videtur, in aliis, quorum mentio fit Luc. I. *Fratres* h. l. esse Christianos facile intelligitur. Quod ad numerum 500. attinet, nulla est difficultas; nam illi LXX. discipuli, mulieres et alii homines, qui Christum in terris viventem audiverant docentem, et miracula eius conspexerant, facile istum numerum expleverunt, et leguntur Rom. XVI. plura nomina illorum, qui in Asia vixerunt Christiani ministri, licet nihil de iis ex Evangeliis et Actibus colligi possit. Ceterum, hos 500. tum demum factos esse Christianos, postquam Christum e mortuis resuscitatum cognoverant, vix est quod dubitemus. μένουσιν ἕως ἄρτι) Sc. ἐν βίῳ. *Vivunt adhuc;* in hac vita sunt superstites, ex quibus, qui volet, poterit testimonium exquirere. ἐκοιμήθησαν) *Mortui sunt*, quorum liberi et familiares testari adhuc possunt, quid ex ipsorum ore ista de re audiverint.

7. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ) *Hieronymus* in *Catalogo* narrat hanc apparitionem Iacobo factam ex *Evangelio secundum Hebraeos*, cui fi fides adhibenda, facta est statim post resurrectionem. Itaque ἔπειτα vertendum esset non *postea*, sed *praeterea*, ut supra XII, 28. Iac. III, 17.

8. Ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι) *Qui quasi abortivus sum.* Abortui se comparat Paulus, quia minimus omnium Apostolorum sibi ipse videbatur, Vs. 9. Qui

Romae extra numerum XII. in senatum allegebantur, dicti fuerunt *abortivi*, teste *Suetonio* in *Octavio* c. 35. Ceterum lectio τῷ non est sollicitanda. Nam τῷ sine accentu interdum ponitur pro τινὶ, ut *Rittershusius* in Sacr. lect. p. 540. monuit, et Paulo cum reliquis scriptoribus divinis solenne est ה Articuli Hebraeorum, quod vim Pronominis indefiniti habet, exprimere Articulo praepositivo Graecorum. Quod ad rem attinet, quum Paulus dicit, Christum sibi apparuisse, cf. Act. IX, 17. XXII, 6. sqq. *Corpoream* tamen fuisse hanc visionem, non est verisimile. Cf. notata Act. IX, 3. sqq.

9. Ὃς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος) Ἱκανὸς est ἄξιος, ut saepe. *Qui non sum dignus Apostoli honorifico nomine*, ut ἔντρωμαι non solet honesto *hominis* nomine ornari, vel: *non sum dignus Apostolus esse:* ut καλεῖσθαι sit pro εἶναι, hebr. נִקְרָא. Caussam, cur hoc tanto honore indignum se existimet, statim addit: διότι — τοῦ Θεοῦ. Deus id ei iam condonaverat, sed ipse meminit. Pristina vitae vitia non verbis, aut favore aliorum minuenda sunt, sed recte et laudabiliter factis.

10. Χάριτι Θεοῦ) Dei benevolentia et miseratione sum Apostolus. καὶ ἡ χάρις — ἐγενήθη) ἡ εἰς ἐμὲ, sc. οὖσα. *Atque illa Dei benevolentia non frustra in me fuit collocata.* Collatus mihi honor muneris Apostolici fructu suo non caruit. περισσότερον — ἐκοπίασα) *Multo plus laboravi quam reliqui omnes*, scil. Apostoli. οὐκ ἐγὼ — ἐμοὶ) Mihi omnino nihil ex istis felicibus successibus tribuo, sed omnia benevolo Dei auxilio, quod mihi semper adfuit.

11. Εἴτε οὖν ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι) Sive igitur ego hanc Christi religionem profero, sive illi, nempe ceteri Apostoli. οὕτω κηρύσσομεν) Nos omnes in hoc doctrinae capite consentimus, nemo potest provocare ad aliam doctrinam, quae sit aliorum Apostolorum, et quae a mea doctrina differat.

12. Κηρύσσεται) Sc. a nobis Apostolis cunctis, qui tamen auctoritate omnes alios doctores antecedimus. ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, i. e. ἀδυνατός ἐστι, i. e. esse plane impossibilem, quae ne concipi quidem animo possit. Τινὲς ἐν ὑμῖν) Versimile est hos Pseudapostolos e Sadducaeorum schola prodiisse. Sadducaei enim teste Iosepho (de B. Iud. Lib. II, c. 8. §. 14.) hominis animum corpori superstitem esse negarunt, omninoque *a corpore diversam mentem* non agnoverunt. Act. XXIII, 8. Sic igitur etiam hi falsi Conrinthiorum doctores, non tantum corporis resurrectionem universe, sed *ita proprie* infitiati sunt, ut *omnem simul vitam post mortem tollerent*, animumque hominis nec seorsum a corpore viventem nec corpori denuo iunctum superstitem fore crederent. Hi vero doctrinam Apostolorum de resurrectione ita intelligebant, ac si mens eorum esset, *ipsum illud* corpus, *quo totum hominem constare* et cum quo hominem tam vivere quam interire putarent, *in pristinam vitam et conditionem* restituendum esse. Talem resurrectionem quum impossibilem haberent, *aliam* vero corporis restitutionem ne suspicarentur quidem, doctrinam de resurrectione, cuius notionem animo concipi posse negabant, tanquam falsam reiecerunt. Sic vero etiam contra veritatem resurrectionis Christi necessario repugnarunt. Nam qui

possibilitatem resurrectionis infitiatur, is *nullos omnino* mortuos, *ne unum quidem* reviviscere statuit. Quapropter sic pergit Apostolus:

13. Εἰ δὲ — ἐγήγερται) *Si enim mortuorum resurrectio esset impossibilis, consequeretur, nec Christum resurrexisse.* Εἰ δὲ pro εἰ γὰρ. Sublato genere, tollitur et species. Est argumentum, ut scholae dicunt, in *Ferio.*

14. Κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν) *Falsa esset doctrina nostra.* Κενὸν hebr. רִיק, *μάταιον, ἀνωφελὲς* Act. IV, 15. vel pro hebr. שָׁוְא, *mendacium*, ut Eph. V, 6. et Col. II, 8. sine re et veritate. Id ideo, quia hoc praecipue argumento usi erant Apostoli, ut evincerent, veram esse Christi doctrinam, quod Deus eum, si falsa docuisset, non resuscitasset e mortuis. κενὴ δὲ καὶ πίστις ὑμῶν) i. e. sine omni ratione creditis in Christum, eiusque doctrinam pro vera habetis.

15. Εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ) *Essemus vero etiam falsi testes, qui Dei auctoritatem mentiti essent.* Εὑρίσκεσθαι, pro εἶναι, hebr. נִמְצָא. Novum argumentum. Nos igitur habeatis oportet scelestos et flagitiosos homines, qui gnaviter mentiri audeant, Deum saepe appellantes mendacii testem. Quod scilicet de nobis minime credendum est, quos vita tam emendata facile ab omni falsimoniae suspicione liberat. ὃν οὐκ — ἐγείρονται. Est eadem connexio, quae supra Vs. 13. *Quem tamen minime suscitasset, si mortui omnino resurgere non possent.*

16. Εἰ δὲ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται) *Si enim omnino fieri non potest, ut mortui resurgant*, et in vitam redeant.

17. Εἰ δὲ — πίστις ὑμῶν) Cf. Vs. 14. Valde necessaria Apostoli saepe repetunt. ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν) Etiamnum peccata vestra non sublata sunt; non estis certi de remissione peccatorum vestrorum. Rom. IV, 25.

18. Ἄρα καὶ — ἀπώλοντο) *Ergo etiam Christi cultores omnes, qui obdormierunt, sine spe melioris vitae perierunt.* Novo argumento idem confirmat. Κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ, qui ob Christi doctrinam mortem obierunt, ut *Chrysostomus*, *Theodoretus* et alii Graeci explicant, vel etiam Christiani quicunque, qui interea post Christi ascensum mortui erant.

19. Εἰ ἐν τῇ — ἀνθρώπων ἐσμὲν) Μόνον construendum est cum ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ. Ἠλπικότες ἐσμὲν, i. e. ἠλπίκαμεν. Si in hac vita tantum speramus, nos felices reddi, sumus miserrimi. Ἐλεεινότεροι, pro ἐλεεινότατοι. *Sextus Empir.* a. Eth. 215. πάντων ἀνθρώπων κακοδαιμονέστερος γίνεται. Apostoli tot odiis, incommodis, periculis, morti ipsi vix se obiecissent, nisi praemium aliquod post hanc vitam expectassent; cuius praemii fidem nulla magis illis res fecerat, quam Christi resurrectio. Vere ergo miserandi erant Apostoli, si falsa erat haec spes. Quid enim a Christo in hac vita sperare poterant, quod cum tantis malis compararetur?

20. Ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο) Deest ἐγένετο in nonnullis Codd. bonis, in versione Copt. et Vulg. atque in Patrum scriptis graecorum et latinorum haud paucorum. Ἀπαρχὴ Χριστὸς, i. e. πρῶτος ἀνέστη Χριστὸς, ut *Theodoretus* recte interpretatur. Constructio est talis: Νυνὶ δὲ Χριστὸς πρῶτος ἐκ τῶν κεκοιμημένων νεκρῶν ἐγήγερται. Christus nempe vitam immortalem, etiam quoad corpus, omnium hominum primus post mortem est consecutus. Quanquam enim etiam ante Christum nonnulli e mortuis resuscitati sunt, certum tamen est, eos mortem suam obiisse quasi alteram, ideoque in solum Christum convenit illa comparatio cum primitiis. Sancti vero Matth. XXVI, 52. 53. *post* Christi resurrectionem ex monumentis prodierunt. Christus igitur omnino primus ita surrexit, ut porro morti obnoxius non esset, eumque larga quasi messis ceterorum hominum excipiet.

21. Ἐπειδὴ — ἀνάστασις νεκρῶν) *Quandoquidem per hominem mors* (humanum genus invasit,) *itidem per hominem resurrectio mortuorum* continget. Quod statim Vs. 22. explicatur de Adamo et Christo. Ὁ θάνατος h. l. sumitur sensu plane obvio pro *mortalitate* seu communi moriendi necessitate. Hebr. IX, 17. Hunc significatum in hoc cap. obtinere tota ostendit orationis series, ut e. c. Vs. 18. 20. 47. 53. Alio sensu accipitur vox θανάτου Rom. V, 12. sqq., ut ad illum locum ostendimus, ex quo autem noster locus illustrari non potest, quia consilium Pauli est diversum. Cf. *Iacobi Verneri Commentat. in totum caput Paulinum* 1 *Cor. XV.* (In select. opusc. p. 153. sqq.)

22. Ὥσπερ — ζωοποιηθήσονται) *Sicuti nempe per Adamum omnes* (homines) *moriuntur: sic etiam per Christum omnes vitae restituentur.* Γὰρ, nempe. Explicatur enim quod Vs. 21. dictum fuerat. Ἐν τῷ Ἀδὰμ, *per Adamum*, i. e. per naturalem originem ex Adamo, quia genus ducunt ab Adamo, homine mortali. Cf. infra Vs. 48. Sicuti Adamus erat fragilis et mortalis, ita etiam nos fragiles et mortales nascimur. Hoc per naturam aliter fieri non potest. Pariter *omnes homines per Christum in vitam revocabuntur*, ex potestate quam a Patre accepit. Io. V, 25. 26. 2 Cor. IV, 14. Potest igitur hoc commode explicari de resurrectione universali, non tantum proborum, sed improborum etiam hominum. Quemadmodum vitam per Adamum naturali modo ad nos transmissam amittimus; sic per Christum filium Dei ex mortuis resuscitatum vitam supernaturali modo recuperabimus. Quanquam enim non omnia, quae in universo hoc loco traduntur, ad omnes omnino homines referri possunt, sed quaedam iis, qui post susceptam fide religionem, eique convenienter transactam vitam felices erunt, sunt adstringenda, e. g. in illis partibus huius loci, quae de futurorum corporum similitudine cum corpore Christi exponunt, ubi verorum tantummodo Christianorum ratio habetur; hoc tamen non impedit, quo minus locus in universum, et in plerisque partibus nominatim, de omnibus omnino hominibus agat, eo plane modo, quo Christus his, a quibus vere cultus sit, promisit, se in vitam eos revocaturum, quod et contemtoribus eius continget: ubi reditus quidem in vitam omnibus expectandus dicitur, sed ea parte in tali loco intelligitur, qua sit ei aeterna felicitas adiuncta. Paulus certe adversa-

riis doctrinae de reditu in vitam vix satis fecisset, si dixisset, *sanctos* habituros esse meliora corpora. Erat potius his, qui omnino de re dubitabant, omnino respondendum, nullam esse in corpore offensionem debere, quoniam *omnium* mortuorum alia et meliora corpora futura sint. Scitam hanc observationem me debere profiteor *Moro*, in disp. ad locum Paulinum, 1 Cor. XV, 35—55. in dissertatt. p. 214. sqq.

23. Ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι) *Quisque in suo ordine*, sc. resurgit. Non quaerenda est in singulis verbis emphasis, sed simpliciter sensus inesse videtur hic: *Deus hunc constituit ordinem, sapienter ita constituit* etc. ἀπαρχὴ Χριστὸς) i. e. *Christus*, primus resurrexit. Cum antecedentibus ita iungitur: *Deus sapienter ita constituit, ut Christus primus resurgeret.* Ἀπαρχή, cf. supra Vs. 20. ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ) Sc. resurgent. Ἔπειτα, i. e. ut statim apertius dicit: ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, in adventu ad iudicium ultimum. Οἱ τοῦ Χριστοῦ, *vere Christiani*. Horum tantum facit mentionem Paulus, quia his solis solatio esse potest ac debet haec doctrina. Intelligi hoc nomine etiam pios ex V. T. non est dubium. *Iehne* (de resurrectione carnis, interpret. cap. 15. epist. I. ad Corinth. Altonae, 1788. 4. repetita in Commentatt. theolog. editis a *Velthusen et Kuinoel* Vol. II. p. 233. sqq.) τοὺς τοῦ Χριστοῦ interpretatur de universa resuscitandorum, non tantum vere Christianorum, sed etiam improborum, omnium omnino hominum multitudine, ut οἱ τοῦ Χριστοῦ, sc. ὄντες, *qui sint*, *qui cum Christo faciunt* (rectius fortasse, qui ei subsunt, eiusque imperium, velint nolint, agnoscere debent),

quippe cuius virtute in vitam revocantur. Παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ esse adventum Christi ad iudicium extremum, vix est, ut moneamus.

24. Εἶτα τὸ τέλος) *Deinde*, post resurrectionem, *finis* rerum humanarum erit, vel, ut sequitur, finis τῆς βασιλείας, regni illius, quod Christus Dei patris vice ac nomine administravit. *Iehne* l. c. verba εἶτα τὸ τέλος iungit praecedentibus, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, ut sensus sit: *in ipso adventu eius illico futura est consummatio*, sc. τῆς ἀναστάσεως. Durius, si quid video. Potest tamen, interpunctione vulgari retenta, τὸ τέλος explicari de *consummatione restaurationis mortuorum*, quum voce ἀπαρχὴ (Vs. 23.) significentur *primitiae resurrectionis mortuorum*. Βασιλείαν τοῦ Χριστοῦ, idem Vir doctus existimavit esse *resuscitatos omnes*, qui modo οἱ τοῦ Χριστοῦ dicti sint, ut igitur Christus h. l. Deo et patri sistere atque commendare dicatur resuscitatos homines. Sed de regimine in homines etiam esse sermonem, aperte docere videtur Vs. 28. Est igitur hic sermo de gubernatione seu regimine illo, quod solet dici Christi mediatoris oeconomicum. Hoc regimine, quod Deus Christo mediatori tradidit, Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 9—11, post resurrectionem non amplius opus erit, omnibus hominibus, qui doctrinae Christi in his terris obsecuti sunt, iam ad veram atque perpetuam felicitatem perductis. ὅταν — πατρί) *Quum regnum* (suum) *tradiderit Deo et Patri. Regnum*, in homines salvandos administratum. Hoc Christus, omnibus rebus felicissime gestis, tradet patri, sicut Praesides in provincias missi reddebant Caesaribus acceptam potestatem. Desinet Doctrinam per ea admi-

nicula propagare, per quae nunc propagat, et sic homines praeparare futuris. Quum enim non amplius una aetas alteri succedet per propagationem sobolis, nec homines ab his ipsis, quibus nunc utuntur, institutis pendebunt: sane non erit amplius talis societas ecclesiastica, qualis nunc est, aut talis ratio discendae tractandaeque religionis, qualem nunc videmus. Vid. ad totum hunc locum *Mori* Epit. Th. Christ. p. 165. sqq. ὅταν καταργήσῃ — δύναμιν) *Quum sibi subiecerit omnes potentes, et omnium* (hostium) *potestatem et vim.* Iam clarius describitur obiectum huius regni. In eo nempe Christi exaltati provincia versatur, ut hostes omnes suos vincat, i. e. omnia, quae saluti et aeternae felicitati fidelium obstant, e medio tollat. πᾶσα ἀρχὴ καὶ ἐξουσία, καὶ δύναμις h. l. denotat omnia ea, quantumvis magna et fortia, quae fidelium felicitati sese opponunt, ut patet ex comm. seq. *Chrysostomus* aliique intelligunt ordines varios malorum angelorum, eodem sensu; nam sic in N. T. semper provincia Christi describitur, quod regnum tenebrarum, opera diaboli evertat. Cf. Ephes. I, 19—23. Ex *Schulzii* sententia in his verbis est periphrasis verborum: εἶτα τὸ τέλος, hoc sensu: *Tum omnia imperia cessabunt;* non amplius erunt reges et principes.

25. Δεῖ γὰρ αὐτὸν — πόδας αὐτοῦ) Ex Ps. CX, 1. *Oportet enim eum regno isto adhuc fungi, dum* (Deus, pater) *omnes hostes, ipsius potestati subiecerit.* Δεῖ γὰρ est ratio, unde intelligatur, regnum illud Christi non esse spectandum modo externo, humano, sed superandos esse hostes illos, qui hominum mentes quasi captivos tenent, homines a Christi et christianae

religionis usu revocantes. Οἱ ἐχθροὶ τοῦ Χριστοῦ sunt omnia impedimenta verae religionis, et inde oriundae felicitatis, omnia quae adversantur Christi consilio peragendi suum opus, et per id felicitatem procurandi, veluti reiectio Iesu Messiae per Iudaeos, publica paganorum religio, homines qui ullius generis errores opponunt aut admiscent christianae doctrinae, qui sceleribus volvuntur, Iudaeorum et paganorum adversus Christianos odia, et vexationes. *Hos inimicos* Christus *sibi subiicit et subiiciet*, i. e. imminuit et tollit haec impedimenta, et tollet tandem omnia, quum nostris his terrenis rebus finis fiet. Christus igitur *regnat*, βασιλεύει, dum morale bonum et eius adminicula inter omnes homines, adversus impedimenta multa et continua potenter conservat, et divina vi propagat, tandemque tribuit salutem. Hoc fiet *ad finem usque rerum*, quales nunc sunt, *humanarum*, ἄχρις οὗ — ποδας αὐτοῦ.

26. Ἔσχατος — ὁ θάνατος) i. e. *Inter istos hostes mors est postremo demum loco abolenda.* Per Prosopopoeiam *mors* comparatur cum tyranno, imperium in omnes homines exercente. Inter impedimenta felicitatis e religione oriundae, refertur etiam mors corporis, quia eos etiam, qui per Christum felices redditi sunt, miseria quaedam premit. Hoc mortis imperium tandem evertetur, nec post resurrectionem amplius habebit locum.

27. Πάντα — πόδας αὐτοῦ) Verbis Ps. VIII, 7. utitur Apostolus, quia rem, de qua agit, bene exprimunt, non ut exinde aliquid probet. Quod de homine in ge-

nere valet, id multo magis de Christo valet, novi huius orbis homine primo. Dicitur autem h. l. Christus *omnibus superior, excepto Deo, qui eum omnibus superiorem esse voluit.* Quicquid enim horum per Christum fit, id fit quia Deus sic instituit. Unde ipse Iesus, quicquid egit et aget, id omne retulit ad Deum, qui ipsi hoc dederit. Io. XVII, 2. 24. V, 26. 27.

28. Τότε καὶ αὐτὸς — τὰ πάντα) *Tum et ipse filius subiiciet se ei, qui ei omnia subiecerat,* cedet Patri hoc regno et hoc modo regnandi; non amplius sic, ut nunc, peraget cum Deo hoc opus. Filius *ὑποταγήσεται, subiiciet se;* sic enim Passiva saepissime intelligenda sunt. Pater nempe filio imposuit eam provinciam, ut homines e potestate atque tyrannide diaboli, peccatorum et mortis liberaret. Postquam hoc peractum erit, nullusque iam supererit hostis, adversus quem Christo utendum sit sua potestate, tunc filii hoc regnum finietur; filius et ipse se suaque omnia isto regno parta subiiciet ei, qui omnia filio subiecta esse iusserat. ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι) *Ita ut Deus sit,* i. e. esse cognoscatur *omnia apud omnes creaturas*, i. e. ut imperium eius solum valeat, quia non opus erit porro Christi mediatoris regimine. Apparebit, proprie Dei hoc opus fuisse, et esse, et futurum esse; Deum esse eum, qui partem regni sui per alium administraverit. «Respublica christiana, Christo gubernatore conservata, rursus cum republica divina coalescet, ac Deus, qui hactenus usus erat Christo in regundis et ad felicitatem adducendis hominibus, unus summam imperii tenebit.» Verba sunt *Doederlinii*, in instit. Theologi christ. P. II. p. 247. ed. 2. Πάντα εἶναι alicui dicitur

is, qui omnia apud eum potest, a quo hic omnia expectat, et in quo omnes suas spes opesque sitas esse existimat. *Livius* XL, 11. Demetrius iis unus omnia est. *Velleius* Paterc. II, 103. Id unum dixero, quam ille omnibus omnia fuerit.

29. Ἐπεὶ τί — ὑπὲρ τῶν νεκρῶν;) Connectenda sunt haec cum Vs. 22. Sed ipse locus est obscurus et difficillimus. Varias sententias enumerant *Wolfius* in Curis, *Io. Ge. Altmannus* in *Meletem. Philologico-criticis*, Traiect. ad Rhen. 1753. 4., *Krause* ad h. l. Sunt e. g. qui ὑπὲρ τῶν νεκρῶν per enallagen numeri accipiant de *Christo*, ut sensus sit: Si per Christum non redderetur nobis vita, quid utilitatis nobis Christianis praestaret baptisma, si propter Messiam *mortuum* baptizaremur? *Doederlein* in instit. Theologi Christiani P. I. p. 409. edit. 2. ita locum interpretatur: *Quid faciunt, qui baptizantur* i. e. initiari sese sacris Christianis volunt, ὑπὲρ νεκρῶν, *in mortuorum locum*, i. e. qui in locum Christianorum pie defunctorum succedunt, et haud detrectant doctrinae sese adiungere, quae cultores suos haud sinit vel diutius vivere, vel beatius, quam solent reliqui? *Noesseltus*, qui obiter tantum hunc locum tangit (Opusc. Fasc. I. p. 123.) βαπτίζεσθαι interpretatur *maximis vitae periculis se obiicere*, ut Matth. XV, 22., ubi hoc verbum eodem sensu usurpatur. Nec male. Huic enim interpretationi omnis orationis series favet, et Paulus ipse statim Vs. 30. βαπτίζεσθαι per κυνδυνεύειν explicare videtur. Sed quaeritur, quid sit *vitae periculis se exponere* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Nonnulli, quorum sententiam *Zieglerus* probat, (*Theolog. Abhandlungen* Tom. II, p. 94. not. *)

existimant, verba *ὑπ. τ. νεκ.* posita esse, pro *ὑπὲρ τοῦ εἶναι* vel *γίνεσθαι νεκρούς*, ut Hebr. IX, 17. *ἐπὶ τοῖς νεκροῖς*, pro *ἐπὶ τῷ νεκρούς γίνεσθαι*, (mallem: *ubi mortui sunt*, qui nempe testamentum fecere, ut Vs. 15. *θανάτου γενομένου*,) ut sensus sit: *Quid volunt, qui maximis vitae periculis se exponunt, ut moriantur* (nec unquam in vitam redeant)? Haec explicatio omnibus reliquis praeferenda esse videtur, ob contextum. Ex eorum numero, qui *βαπτίζονται ὑπὲρ νεκρῶν*, se ipsum esse Paulus dicit Vs. 30. *κυνδυνεύομεν*, Vs. 31. *καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω*. *Michaelis* eorum probat sententiam, qui locum interpretantur de *baptismate vicario*, illorum caussa suscepto, qui ante baptisma susceptum fato functi erant. Morem hunc, omnino superstitiosum, qui in vetere ecclesia obtinuit, si Tertulliano credimus (de resurr. carnis cap. 48.) Pauli iam temporibus Corinthi obtinuisse, nec negari, nec affirmari certis argumentis potest. Si obtinuit, Paulus eum certe non probat, sed *κατ' ἄνθρωπον* contra Corinthios resurrectionem negantes, disputat. *Altmanno* baptizati *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* sunt ii e Gentilibus Corinthiis, qui Christianorum in vivendo hilaritatem, in moriendo spem et constantiam admirati, hoc ipso, seu *propter tales mortuos* illecti ac permoti fuerant ad suscipienda per *Baptisma* christiana sacra, quo fierent eiusdem gaudii et solatii participes. Ut alias sententias taceam, addo *Wetstenii*, qui *Chrysostomum* praeeuntem habet, paraphrasin huius loci: «Cur Doctores vestri, qui resurrectionem negant, baptizant, et cur discipuli ipsorum ab illis baptizantur? et quomodo vitam suam instituere debent, qui ita baptizati sunt? Nos quidem baptizamus in resurrectionem mortuorum, quam cate-

chumeni se credere profitentur: at si vera est doctorum vestrorum sententia, si post hanc vitam nihil est expectandum, si mortui ita mortui sunt, ut in aeternum mortui maneant, cuius rei gratia Baptisma apud vos et administratur et suscipitur? An aliquod commodum in hac vita in baptizatos redundabit? an vero in altera vita? etc.»

30. Τί καὶ — ὥραν;) *Cur etiam nos ipsi in periculis maximis quotidie versamur?* sc. in propaganda Christi doctrina. Ἡμεῖς, plur. pro singulari. Nam Paulus de se ipso loquitur. Si propter Christum periculis et morti ipsi me obiicio, quid mihi inde utilitatis, si nulla expectanda est mortuorum resurrectio, nullum praemium in altera post hanc vita?

31. Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω) i. e. *quotidie mortis periculo sum expositus*, et quidem libenter me expono omnibus periculis; quotidie paratus sum mori. Simillime apud Philonem in Flaccum, Flaccus, qui mortem, veluti perpetuo sibi imminentem metuebat, dicit: καθ' ἑκάστην ἡμέραν, μᾶλλον δὲ ὥραν προαποθνήσκω, πολλοὺς θανάτους ὑπομένων ἀνθ' ἑνὸς τοῦ τελευταίου. Livius XXIX, 17. *Quotidie capitur urbs nostra, quotidie diripitur.* νὴ τὴν ὑμετέραν — τῷ κυρίῳ ἡμῶν) i. e. *Tam verum hoc est, quam vere gloriari de vobis possum, me Christi Iesu, Domini nostri doctrinam vobis commendasse.* Est νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, *gloriatio de vobis*, s. *propter vos*, respectu vestrum. Ἐν Χρ. Ἰ. τ. κ. ἡ. in rebus pertinentibus ad Christum, eiusque salutarem doctrinam. Non male *Beza:* Quotidie morior, eiusque rei testes

appello omnes aerumnas, quas vere gloriari possum me apud vos sustinuisse.

32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ) *Quum e. g. Ephesi concertandum fuit mihi cum hominibus ferinis.* Κατὰ ἄνθρωπον, *exempli causa*, vel, ut alii explicant, ut aliquid de me ipso dicam, sicut homines solent. Ἐθηριομάχησα, *vitae praesentissimum periculum subii.* Paulus nempe improprie et vehementius loquitur; nam cum bestiis proprie sic dictis eum pugnasse, vix credibile est, quod civem aliquem Romanum unquam fecisse, non constat. Turbae, quarum fit mentio Act. XIX. tam atroces fuerunt, ut Paulus de illo periculo vere dicere potuerit: ἐθηριομάχησα, *a plebe tantum non discerptus fui.* Sic θηριώδεις τυράννους dixit in Lycurgo Plutarchus, et erat vulgo receptum, ut quibus negotium erat cum hominibus efferatis, ii dicerentur θηριομαχεῖν. Cf. etiam Tit. I, 12. 2 Tim. IV, 17. Alii, e. g. *Krausius*, *Schleusnerus* in Lexico et *Stolzius* θηριομαχεῖν proprie *de certamine cum bestiis* accipiunt. Existimant nimirum, e silentio Lucae, ad quod provocant interpretationis modo allatae Patroni, non sequi, Apostolum nunquam in tale certamen cum bestiis descendisse, quia trium fere annorum spatio, quo Paulus Ephesi commorabatur, praeter ea, quae Act. XIX. narrantur, multa gesta esse potuerint, commentariis dignissima, quae tamen Lucas non enumeraverit. Ad obiectionem, non legi, civem Romanum, quem Paulum fuisse constat, unquam tali supplicio subiectum fuisse, respondent, Paulum et Silam, cives Romanos, Philippis quoque, virgis caesos, et in vincula publica coniectos esse.

Act. XVI. Quicquid sit, hoc certum est, Paulum de praesentissimo loqui periculo, cui fuerit expositus. *τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται;*) Alii connectunt verba: *εἰ νεκροὶ* etc. cum sequentibus: Si non expectanda est mortuorum resurrectio, age, voluptatibus corporis omnibus indulgeamus. Verba sequentia, *φάγωμεν — ἀποθνήσκομεν* depromta sunt ex Graeco Iesaiae XXII, 13. Depingit Apostolus Epicureos, et eius generis alios ipsorum verbis. *Petronius* 34. Heu, heu! nos miseros, quam totus homuncio nil est! Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus. Ergo vivamus: dum licet esse bene. *Seneca* Controv. 14. Vibii Galli: Convivae certe tui dicunt: Bibamus, moriendum est.

33. *Μὴ πλανᾶσθε*) Dehortandi formula Apostolo solennis, quum absterrere vult homines a gravi delicto, quod ipsi tamen leve iudicant. Supra VI, 9. Gal. VI, 7. *Cavete, ne gravem culpam vobis contrahatis, errore vestro.* *Φθείρουσιν — κακαί*) Pro *χρησταὶ* alii propter metrum legunt: *χρήσθ'*. Iambicus senarius, quem *Clemens Alex.* Lib. I. Stromat. appellat *Ἰαμβεῖον τραγικόν*. *Euripidi* tribuit *Socrates* Hist. Eccles. Lib. III, 16. *Menandro* vero tribuunt Hieronymus, Eusebius, Euthalius aliique, atque ex comoedia *Thais* desumtum esse aiunt. *Schol.* cod. 10. apud Westen.: *Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ γνώμη ἐν Θαΐδι.* Sensus est facilis. *Donatus* ad Eunuchum II, 2. *Vide, ut sententiose demonstrat, malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum praevalentibus.* Tangit Apostolus improbos aliquos vitae magistros, aut nimiam Corinthiorum cum Graecis quibusdam consuetudinem.

34. Ἐκνήψατε δικαίως) i. e. *Ad sanam redite mentem, sicut decet.* Ἐκνήφειν proprie dicuntur, qui ex vinolentia ad se redeunt, Ioel I, 5. Transfertur deinde ad eos omnes, qui ab errore liberantur. Δικαίως, Grotius supplet: ζήσοντες, in posterum iuste victuri. Alii: *recte, sicut decet, sicut opus est.* Livius I, 41. *nunc expergiscere vere.* καὶ μὴ ἁμαρτάνετε) i. e. in posterum abstinete ab iis peccatis, quibus hactenus dediti fuistis, voluptatibus, ut videtur, Epicuraeis. *Schulzius:* Nolite errare. Ἁμαρτάνειν, a scopo aberrare, ut interdum hebr. חָטָא, e. g. Iudic. XX, 16. Ies. LXV, 20. ἀγνωσίαν — ἔχουσι) *Deum non agnoscunt nonnulli.* Ἔχειν ἀγνωσίαν, *ignorare*, sicut ἔχειν ἁμαρτίαν, *peccare.* Hoc non spectat ad ipsos Christianos Corinthios. Non enim dicitur τινὲς ὑμῶν, sed simpliciter τινὲς, et intelliguntur illi e profanorum hominum genere, a quorum consortio abstinendum esse dixerat, ex quibus nonnulli eo impietatis devenerant, ut meri essent Athei, divinam providentiam negantes, et supremum numen, a quo cuncta pendent, minime colentes. Qui ad ipsos Corinthios, coetui christiano adscriptos, referunt, interpretantur sic: *non accurate et recte cognoscunt Deum*, et sub voc. τινὲς intelligunt Corinthios nonnullos Christianos, qui vanis doctoribus obsecuti negabant resurrectionem. Πρὸς ἐντροπήν. ὑμῖν λέγω, *ad pudorem vobis* sc. incutiendum *dico.* Pudeat vos tam parum cautos et verecundos fuisse, ut ab eiusmodi hominum consortio non abstinueritis.

35. Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί) *Quonam modo mortui resurgent*, vel resurgere poterunt? Conatur nunc Paulus refellere eos, qui doctrinam de mortuorum re-

surrectione ea de caussa abiiciendam esse putabant, quod corpora, qualia nunc gestamus, in vitam redire posse, et reditura esse dubitassent. Hos ut refellat Apostolus, ostendit: *Posse* nobis olim corpora, ab his, quibus nunc induti sumus, tribui diversa: corpora ab his, quae nunc nostra sunt, diversa, nobis olim tribui *debere:* corpora illa ab his nostris *revera diversa fore:* corpora illa ab his nostris sic diversa fore, ut *longe praestantiora*, nimirum interitus plane expertia sive immortalia sint. Ac primo quidem fieri *posse*, ut olim nobis corpora, ab his, quae nunc gestamus diversa tribuantur, comparanda rerum natura ostenditur. Cf. in totum hunc locum *Mori* disp. eleganter et solide scriptam, supra iam laudatam. *ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται;*) *Sive quonam corpore instructi prodibunt?* Sic verbum ἔρχεσθαι sumitur Io. V, 29. Posset etiam verti: *redibunt*, ut Io. XIV, 18. coll. Vs. 3.

36. *Ἄφρον*) Meritó sic eos vocat, qui miracula fieri non credunt, quum natura ipsa plena sit miraculis, sed quae sui frequentia migrant in nomen aliud. *σὺ ὃ — ἀποθάνῃ*) *Semen quod tu terrae iniicis non progerminat, nisi emortuum.* *ζωοποιεῖται*, emittit plantam virentem et viventem. Paulus (ut bene notat *Iehne* l. c.) non dicit, semina *in terrae gremio* putrescere aut corrumpi, hoc enim non fieri, experientia testatur. Granum, quod terrae iniicitur, mortem quasi obiit atque decessit iam ante, quum e ramo discederet, aut ex arista excuteretur; in quo statu mortis exanime permanet, quamdiu in penu granariove asservatur atque reconditur, omni vi et vigore destitutum. Terrae vero mandatum illico se vindicat ex hac lethali conditione, in-

que vitam revertitur. Apostolus igitur ex ea tantum parte res confert, qua intercedit similitudo; nimirum *sationi* aequiparandam esse affirmat *sepulturam* hominis, quam mors praecesserit necesse est.

37. Καὶ ὃ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις) *Rursus, quum tu semina spargis, non ipsam illam plantam, quae nascetur, seris.* οὐ τὸ σῶμα: *non ipsam illam plantam.* Sic *Morus*, liberius quidem, sed recte vertit. Quanquam enim ea, quae e terris nascuntur, recte dicuntur corpora, nemo tamen nostrum in vita communi sic loqui solet, e seminibus corpora nasci; et Paulus dicere voluit, quod e semine nascitur, id longe alio habitu esse, quam semen. Ει τύχοι, *exempli gratia*, ut *Iustinianus* post *Erasmum* explicat.

38. Ὁ δὲ Θεὸς — ἠθέλησε) *Deus vero huic (semini) dat corpus quod voluit*, semini nempe iam dissimile; i. e. Deus, prout semel instituit, ex eo (semine) nasci iubet plantam. καὶ ἑκάστῳ — σῶμα) Nempe ex unoquoque genere seminum aliud genus fructuum enascitur, culmis, aristis, foliis, granis diversum. Quod quotannis fieri videmus tot seminibus, id fieri potest etiam corporibus humanis, terrae conditis et corruptis. Omnia hic ad Dei potentiam et sapientiam redeunt, qui, quicquid vult, efficere potest. Sicuti tritici in agro sati et putrescentis germen servatur integrum ac vivificum: ita etiam facile servari potest aliqua corporis nostri particula essentialis, quae novarum partium accessione in renovatum corpus crescat, eidemque animo iuncta hominem partim eundem, partim novum efficiat.

Coniecturas nonnullas de resurrectione mortuorum proposuit Anonymus in den *Beiträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion.* Fasc. 2. p. 76. sqq. Fasc. 3. p. 39. sq.

39. Οὐ πᾶσα σάρξ ἡ αὐτὴ σάρξ) i. e. varia corporum sunt genera, nec tamen desinunt esse corpora. *Caro* species est corporis. Quum igitur Deus, ut oculis videre licet, tam varia corpora creare potuerit, et possit, quis dubitet, posse eum etiam corpora humana transformare, et in perfectiorem restituere statum? ἰχθύων) Carnem piscium dixit etiam *Plinius* non uno loco, sicut Hebraei Levit. XIV. Qui vero legibus sacris vetuerunt *carnibus* per temporis aliquod intervallum vesci, pisces edendi veniam concesserunt.

40. Σώματα ἐπουράνια esse *sidera*, vix est, ut moneamus. Cf. Vs. 41. ἀλλ' ἑτέρα — ἐπιγείων) *Sed coelestium corporum decor a terrestrium decore differt.* Δόξα saepe quidem significat coruscum et lucidum fulgorem; h. autem loco habitus externi et adspectabilis pulcritudinem, dignitatem, gravitatem et magnificentiam. Nam δόξα hic etiam terrestribus corporibus, quae tamen non fulgent, tribuitur.

41. Ἄλλη δόξα — ἀστέρων) Etiam ipsis coelestibus corporibus magna inest varietas. Sol omnium siderum fulgorem abscondit. Inter alias stellas sunt errantes, sunt fixae; et inter has aliae eximiae, Arcturus, Sirius, spica virginis; aliae minores, idque per multos gradus. Quis igitur dubitet, Deum, qui omnia ista corpora coelestia, tam varia, creavit, posse etiam corpora hu-

mana restituere in vitam, eaque maioribus ornare perfectionibus?

42. Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν) *Sic etiam res se habet in resurrectione mortuorum.* Quemadmodum nempe magna est varietas tot corporum coelestium aeque ac terrestrium, ita etiam aliud et melius corpus aliis usibus prospicere nobis *potest* Deus. Adduxerat haec exempla Apostolus, non ut doceret, quid fieri necessario debeat, sed ut doceret non absonum a vero esse quod adversarii negarent; *posse* potius *fieri.* Ostendit nunc Apostolus, id *certo etiam eventurum;* fore autem illa futura corpora nostra longe diversissima a caducis, fragilibus, sepultis et destructis, quandoquidem natura etiam multas corporum classes habeat. σπείρεται — ἀφθαρσίᾳ) *Seritur*, i. e. sepelitur *corpus corruptioni obnoxium, resurget ab omni corruptione alienum.* Maluit dicere *seritur*, quam *sepelitur*, ut magis insisteret similitudini supra sumtae de grano. Ἐν φθορᾷ, sc. σῶμα ἐν φθορᾷ, i. e. φθαρτὸν, hebraico more. Ἐγείρεται, sc. σῶμα ὃν s. ἐσόμενον ἐν ἀφθαρσίᾳ, seu ἄφθαρτον, corpus quod corrumpi nequit.

43. Σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ) i. e. corpus ἄτιμον, *vile, parvi pretii.* Sic vocatur hoc nostrum corpus, quia interire potest. Haec ergo vilitas corporis ab eo, quod corpus interire potest, non differt ut proprietas a proprietate, sed exprimit potius iudicium de pretio corporis interituri cum non interituro comparati. ἐγείρεται ἐν δόξῃ) *Corpus excellens* et magni pretii. Quum autem opponatur τῷ σώματι ἐν ἀτιμίᾳ, et vilitatis caussa

sit in eo, quod corpus interire potest, ex lege oppositorum *excellentiae* caussa erit, quod corpus interire nequit. *ἐν ἀσθενείᾳ*) *Corpus infirmum, imbecille*, i. e. variis morbis et periculis obnoxium, hinc facile dissolvendum. *ἐν δυνάμει*) *Corpus validum*, robustum, longe maioribus facultatibus praeditum, quia aliis usibus destinatum erit. Grotius addit: Cum sensibus multis, quos nunc non intelligimus.

44. *Σῶμα ψυχικὸν*) *Corpus animale, ein thierischer, sinnlicher Leib;* corpus, quod respirando vivit, *ὅ ἐστι ψυχὴ ζῶσα, ὃ ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν*, Vs. 45. Graecis *ψυχὴ* saepe id dicitur, quod homines cum brutis animantibus commune habent. Est igitur corpus *ψυχικὸν* facultatibus sentiendi instructum, quod cibo et potu opus habet, ut sustentetur. *σῶμα πνευματικὸν*) Corpus, quod non est tale, quale respirando vivit, non animale, sed *πνεύματι* accommodatum, subtilissimum, cui nec cibo aut potu, nec somno opus est, quia non destinatur terrestribus his rebus agendis. Corpus igitur, quod supra Vs. 42. *ἐν ἀφθαρσίᾳ*, sive *ἄφθαρτον* dictum fuerat, nunc vocatur *πνευματικὸν* ideo, quod spirituum simile, humanisque ac terrenis rebus praestantius erit. Est enim notione spiritus illud comprehensum, eum caussam vivendi, agendi, movendi habere in se, non suspensam aliunde. Sic ergo *ψυχικὸν* est, quod aliunde habet, cur vivat, moveaturque; *πνευματικὸν*, quod in se habet vim vivendi: *πνευματικὸν* est *ἄφθαρτον* natura, et *ψυχικὸν* est natura *φθαρτὸν*. *ἔστι σῶμα — πνευματικὸν*) Non tantum variat haec sententia, sed abest etiam a nonnullis codicibus. Sed ad sensum integrum omnino pertinere videtur.

Sicut nempe magna est varietas aliorum corporum, coelestium atque terrestrium, ita etiam corpora humana possunt esse varia, animalia nempe, et spiritualia, vel subtiliora. Vide tamen *Mori* disputationem, supra laudatam, pag. 162. not. ***).

45. Οὕτω καὶ — πνεῦμα ζωοποιοῦν) Quaeritur hic, quis Paulo sit, ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ, qui etiam Vs. 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ et Vs. 48. ὁ ἐπουράνιος dicitur? Communis interpretum fere omnium sententia est, intelligi *Christum*. *Harduinus* vero in *Commentar. in N. T.* ad h. l. existimavit, posteriorem hominem hic esse ullum quemlibet hominem, sed talem, qualis post reditum in vitam erit. *Iehnio* (l. c.) ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ est *Adamus* (primus homo) *ultimum formatus, reparatus,* ὁ ἐσχάτως πεπλασμένος s. ἔσχατον γενόμενος Ἀδὰμ, quem a Paulo vocari putat (Vs. 47.) δεύτερον ἄνθρωτον, quia iterum, altera vice (δεύτερος) in vitam redierit, atque iam sit ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, quatenus iam morti dominetur, et immortalis sit; ἐπουράνιον vero, i. e. ἐξ οὐρανοῦ πεπλατμένον, quod e materia coelesti et aeterna sit reparatus, interitus expers. Ita quoque *Tellerus* (Wörterbuch des N. T. edit. 5. p. 191.): «*Der erste Mensch*, 1 Cor. 15. 45., *so viel als der gegenwärtige Mensch, wie er zu diesem Leben gemacht ist; und im Gegensatz der Letzte, der Zukünftige, wie er in einer andern Welt seyn wird. So verwechselt Paulus gleich selbst v.* 47. *Adam und Mensch etc.* Sic igitur in toto hoc loco pro Ἀδὰμ substitui posset ἄνθρωπος, et Paulus compararet mortalem hominem, cum immortali, corpus huic vitae conveniens, cum resuscitato. Cf. Luc. XX, 34. 35.

Hanc sententiam probat etiam *Krausius*. Sententiae eorum, quibus ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ est Christus, ut Paulus comparet Adamum et Messiam, more Iudaeis recepto, Iehnius opponit, Christum in sacris literis nunquam Adami nomine appellari, et ne posse quidem; loco autem Rom. V. ubi superabundans unius Christi sospitatoris meritum cum primi hominis noxa confertur, Paulum humani generis redemtorem non modo iterata vice com. 15. 17. 21. honorifico *suo nomine Iesu Christi* diserte appellare, sed unum *(unius hominis)* insigne promeritum laudare. Verba: ἐγένετο Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, extant Gen. II, 7. Εἰς ψυχὴν ζῶσαν (hebr. לְנֶפֶשׁ חַיָּה) i. e. ψυχὴ ζῶσα, animal vivum, creatura vivens, quae respirando vivit, ut cetera animantia. Est enim abstractum pro concreto. Vitam animalem, cibo, potu, somno, aliisque necessitatibus indigentem Adamus ad nos transmisit. Verba ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, nullibi extant in V. T. Ergo non videtur e superiori membro repetendum ἐγένετο, sed potius ἐστὶ subaudiendum esse. In πνεύματος verbo hoc loco vis et natura semper permanendi intelligenda est. Ex eorum sententia, qui τὸν ἔσχατον Ἀδὰμ Christum esse volunt, Christus dicitur πνεῦμα ζωοποιοῦν, quia, quum semper manet et vivit, mortuis vitam, et cum hac beneficium semper permanendi, tribuit, et docet Paulus Christum *esse* πνεῦμα, interitus expertem, seu semper et in aeternum vivere, et talem fore nostrorum corporum olim indolem Nam sive caussam, cur dicatur πνεῦμα, in eius natura positam putemus, sive in conditione illa et vita immortali, qua nunc fruitur: tamen cum cogitare debemus, *qualis*

nunc est, ut habeamus exemplum nostri corporis, olim ἀφθάρτου et immortalis. Qui statuunt, τὸν ἔσχατον Ἀδὰμ esse hominem reparatum, qualis futurus sit in altero illo seculo, illi eum πνεῦμα ζωποιοῦν ideo appellari dicunt, quoniam spiritum censemus caussam vivendi, agendi, movendi, in se habere, nec aliunde petere, h. e. esse ἄφθαρτον.

46. Ἀλλ' οὐ — τὸ πνευματικὸν) Sc. σῶμά ἐστι. *Spirituale* (subtilissimum, excellentius) *autem corpus non extitit tempore prius, sed animale* (vilius, caducum); *deinde excellentius*, immortale. Deus nempe in omnibus operibus suis hunc ordinem tenet, ut praemittat imperfectiora, sequi iubeat perfectiora. Quare, quum Deus homini duplicem tribuere vellet naturam, mortalem alteram, alteram immortalem, non erat consentaneum, praestantiorem hanc indolem ei primum tribuere, eumque facere ruentem quasi in peius atque deterius; atque ne ipsa quidem res patitur, ut mortalis natura excipiat immortalem.

47. Ὁ πρῶτος — χοϊκὸς) *Primus ille homo* (Adamus) *ex terra procreatus, corpore terrestri fuit praeditus*, Gen. II, 7. Quia nempe homo rebus terrenis praefectus fuit, naturam corporis terrenam habere debuit. ὁ δεύτερος — οὐρανοῦ) Abest ὁ κύριος a nonnullis codicibus, a Vulg. Copta. Aethiop. Cypriano, et latinis plerisque scriptoribus, Origene etc. *Marcion* pro ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ primus scripsisse traditur κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Vid. inprimis *Mori* disp. p. 188. sqq., qui tamen fatetur, in re impedita, ultra veri similitudinem progredi non licere, eamque litem vix dirimi posse. Fortassis vox ὁ κύριος expli-

candi caussa inserta est ab iis, qui propter verba ἐξ οὐρανοῦ censuerunt τὸν δεύτερον ἄνθρωπον esse Christum. Quum vero ἐξ οὐρανοῦ opponatur τῷ χοϊκῷ, ex lege oppositionis ἐξ οὐρανοῦ nihil aliud esse potest, quam οὐράνιος, sicut paullo ante ἐκ γῆς, γήϊνος, terrenus, cui κατ' ἐξήγησιν additur χοϊκὸς. Nec facile perspici potest, quo sensu Christus dici possit ὁ δεύτερος ἄνθρωπος. Omnia optime cohaerent, si omisso vocabulo ὁ κύριος, vertamus: *Primus homo*, Adamus, qualis erat in his terris vivens, *erat terrenus, caducus, secundus autem homo*, idem ille Adamus, in altera vita est, vel erit, *coelestis*, excellentior. Sic non opus est, ut sumamus cum *Iehnio* τὸν κύριον adiective (κύριος, α, ον) esse *excellentem*, atque praecipuum; ut Herodotus Lib. VII, c. V. habet κύριον ὄνομα, *nomen excellens*, et κύριαι δόξαι Epicureorum a Cicerone de Nat. Deor. I, 30. explicantur *sententiae principes;* quod mihi admodum durum esse videtur. Ex eorum sententia, qui τὸν δεύτερον volunt esse Christum, Adamus et Christus, duo homines prae ceteris memorabiles hic considerantur tanquam duo capita generis humani. Duo illa capita similia quidem erant eatenus, ut veri nominis corpus humanum gesserint, sed alter Adamus, Christus hoc habet praecipui, ut iam in his terris vivens fuerit ἐξ οὐρανοῦ, i. e. οὐράνιος, ἐπουράνιος, excellentior, celsiorque omnibus reliquis hominibus, atque adeo longe excelsior Adamo primo, dignus igitur qui statim post mortem vitam reciperet, atque coelestem ageret vitam. Nam οὐράνιον, ἐπουράνιον vocatur quicquid est excellens, ut Deus ipse dicitur esse *in coelo*, et ἐπουράνιος appellatur, quoniam est *superior omnibus, omnium summus.* Ps. CXV, 3.

Iob. XVI, 19. Legenda sunt, quae Iehnius contra hanc sententiam monuit l. c. p. 303. sqq. (in Commentatt. theol. editis a Velthusen et Kuinoel.). Plerique interpretes Christum ἐπουράνιον dici volunt *propter originem coelestem;* quod vel ideo probari non potest, quia statim Vs. 48. reliqui etiam homines, Christiani nempe, appellantur *οἱ ἐπουράνιοι.*

48. 49. Οἷος — τοῦ ἐπουρανίου) Qui de solo Adamo, primo homine sermonem esse putant, illi haec duo commata ita explicant: *Qualis (ille primus conditus homo) terreus et caducus, tales etiam caduci; qualis e materia coelesti reparatus, tales etiam e materia coelesti reparati. Et quemadmodum retulimus imaginem illius terrei; ita quoque coelestis huius referemus imaginem*, i. e. sicut similes eramus mortali, ita quoque similes erimus immortali, ut Paulus id, quod de uno Adamo, quem exempli loco posuit, evictum dedit, ei scilicet pro diversa conditione, mortali altera, altera immortali et aeterna, diversum corpus tributum iri: idem quoque de reliquis hominibus affirmet. Qui alterum Adam *Christum*, esse volunt, verba καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος — εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου — sic explicant: *Et cuius naturae est coelestis homo* (Christus ex mortuis resuscitatus) *eiusdem sunt coelestes. Atque ut terreni imaginem retulimus, sic et coelestis* (Christi) *imaginem referemus;* i. e. quam vere et certo similitudinem eius corporis gessimus, quod fuit Adami, e terra creati; tam vere et certo etiam geremus naturam corporis coelestis, quo Christus iam est praeditus. Caeterum *imaginem* alicuius *ferre*, significat, *similem alicui esse*, *ad similitudi-

nem ipsius veluti effictum esse. Adhibetur locutio proprie de statuis, picturis, aliisve rebus quae ad archetypon aliquod formatae, illud *repraesentant.* Vid. *Kypke* ad h. l. Legendum est omnino φορέσομεν, quod postulat series orationis, servat etiam Syra et codices auctoresque sat multi. *Tertullianus, Irenaeus, Cyprianus,* et Latini omnes, Vulgata etiam: *portemus,* quasi φορέσωμεν, quae scriptura etiam est graecorum quorundam codicum. Sed est haud dubie antiquum vitium *latini* interpretis et quorundam scribarum, quos litterarum compendium fefellit.

50. Ὅτι σὰρξ — οὐ δύνανται) *Non posse fieri, ut homines animali corpore praediti fruantur coelesti illa felicitate.* Hactenus docuerat potissimum Apostolus, fieri posse, ut ab his nostris corporibus diversa nobis olim tribuat Deus, et revera ita fore: nunc vero docet, *ita etiam fieri debere, ut haec ab illis diversa sint.* Σὰρξ καὶ αἷμα, בָּשָׂר וָדָם, intelligitur corpus tale, quale hic habemus, fluidum, fragile, caducum, constans ex particulis minimis, quae decedunt quotidie, et quarum in locum aliae extrinsecus accedunt. Βασιλεία Θεοῦ h. l. ubi de futuris sermo est, futuram Christianorum felicitatem indicat; quam felicitatem nunc spectare ut *sempiternam,* iubet similis in hoc ipso versu propositio: quae enim in altero membro est ἀφθαρσία, eadem in altero est Θεοῦ βασιλεία. Quum autem constet, in hac felicitate nullum locum fore alimentis (1 Cor. VI, 13.) nullum machinae, digerendis cibis aptae, nullum procreandae soboli (Luc. XX, 54.), hoc est, nihil tale, quale est corporis carnosi, succulenti et ad animales, quae dicuntur, actiones facti: necessario sequi-

tur, ut Deus σάρκα καὶ αἷμα, res non sempiternas, sed interituras, nec sine alimentis duraturas, exsulare iubeat hoc suo regno. οὐδὲ — κληρονομεῖ) *Nec fragile hoc corpus pertingat ad statum illum immutabilem.* Corpora mortalia conditioni futurae non apta sunt. Ἡ φθορά, abstractum pro concreto τὸ φθαρτὸν σῶμα. Ἡ ἀφθαρσία status ille immutabilis in altera vita. Sensus est: quod natura sua hoc habeat, ut interire possit, idem non habere simul hoc posse, ut interire nequeat.

51. Μυστήριον ὑμῖν λέγω) Rem hactenus vobis aliisque incognitam; rem paucis cognitam. Haec enim usitatissima huius vocis est significatio. πάντες μὲν — ἀλλαγησόμεθα) *Non omnes quidem moriemur, sed omnes tamen mutationem subire oportet.* Ingens lectionis varietas. Alii legunt: πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Al. πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ etc. Al. πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ etc. Al. οἱ πάντες μέν κοιμηθ. οἱ πάντες δὲ etc. Alii denique: οἱ πάντες μὲν οὐ κοιμηθ. οὐ πάντες δὲ etc. Quare *Semlerus* suspicatur hanc sententiam a variis lectoribus varie additam fuisse, ut clarius describerent, quid sit illud μυστήριον. Vide tamen quae contra monuit *Morus* l. c. p. 201. sqq. Ceterum facile patet, rem arcanam et occultam, quam Apostolus Corinthiis pandere vult, non esse hanc: novissimo illo die superstites fore homines; quis enim de hac re dubitet? sed hanc potius: *oportere homines illos subire aliam mutationem;* nam haec res non omnibus hominibus est cognita; ut mirum sit, recentioribus non-

nullis interpretibus in mentem venire potuisse, Apostolum voluisse hoc: Docebo vos rem hanc inauditam, novissimo illo die superstites fore homines non paucos, et legendam esse istam formulam cum interrogatione: *num vobis occulta pando?* ut sensum habeant, *nobis hoc certe inauditum non est*, quod et Christi et discipulorum doctrina adeo celebratum, vivos fore in novissimo illo die superstites. Quam vanum hoc sit, nemo non intelligit.

52. Ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ) *In momento, ictu quasi oculi. Hesychius:* ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπήματι, ἐν τάχει. Haec referenda ad proximum quod praecessit. Dicit, mutationem istam corporis caduci in corpus immortale ita subitam fore, ut tempus percipi non possit. ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι) *Ad tubae ultimae sonum*, i. e. tempore, quo terribiles orbis revolutiones magnum illud iudicium quasi indicent. Sententiae et phrasi inest Hebraismus. Describitur solennis adventus Christi imaginibus vel signis, e regis humani, regnum armata manu occupantis, triumphante ingressu repetitis, de qua re plura 1 Thessal. IV, 16. Paullo aliter Rabbini. *Othioth R. Akiba*, cit. Eisenmengero, T. II. p. 929. Quomodo Deus S. B. mortuos in seculo futuro resuscitat? Docemur Deum magnam tubam, mille ulnas, iuxta ulnam Dei longam, in manum sumturum, eamque inflaturum esse, eiusque sonum ab una extremitate mundi ad alteram auditum iri. *Primo sono* totus mundus commovebitur; *secundo* pulvis separabitur; *tertio* ossa colligentur; *quarto* membra incalescent; *quinto* capita tegentur cute; *sexto* animae in corpora reducentur; *septimo* reviviscent et stabunt

vestiti. S. D. Zachar. IX, 15. 16. σαλπίσει γὰρ) Τὸ σαλπίζειν ita dici videtur, quemadmodum τὸ ὕειν et τὸ βρωτᾷν vulgo, aliaque a Graecis et Latinis, ἐλλιπῶς aut absolute usurpantur. Posteriores Graeci ἄγγελος addiderunt, ex 1 Thess. IV, 16. Suppleri potest etiam Θεὸς ex Zachar. IX, 14. ut patet ex modo dictis ad proxime praecedentia verba. καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα) Nempe quos vivos illic Deus deprehenderit, inter quos Paulus putavit fieri posse, ut et ipse esset, et alii multi, qui cum ipso vivebant 1 Thess. IV, 15. Id eo evenit, quia de die ultimo, quando is futurus esset, nihil Christus suis revelaverat, ut semper expectaretur. Alii illud ἡμεῖς ex figura Rhetorica κοινώσει interpretantur.

53. Δεῖ γὰρ — ἀθανασίαν) Nam hoc nostrum corpus, corruptioni obnoxium, naturam illam induat oportet, quae est corruptionis huius expers; et hoc mortale corpus immortalitatem. Cf. Vs. 50.

54. Τότε γενήσεται ὁ λόγος γεγραμμένος) *Tunc fiet illud, quod scriptum est,* Ies. XXV, 8. Λόγος, דָּבָר, *res ipsa.* Solet hoc dici, cum prophetarum verba trahuntur in sensum eminentiorem. Iesaias enim de re plane alia loquitur. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος) In Hebraeo est: *Perdet* (בִּלַּע) *mortem* לָנֶצַח. Ubi Chaldaeus לעלמין, i. e. εἰς αἰῶνα. *Symmachus,* καταποθῆναι τὸν θάνατον εἰς τέλος, reddiderat, quod est εἰς νῖκος. Hellenistae לָנֶצַח modo εἰς νῖκος modo εἰς τέλος reddunt, ut Iob. XXXVI, 7. 2 Sam. II, 26. Thren. V, 20. Ps. IX, 6. 18. XLIII, 25. LXXIII, 1. 11. 12. H. I. hoc vocabulum non alio sensu hic sumi

posse videtur, quam quo comm. 54. et 57. occurrit, ubi sine dubio propria *victoriae* notio obtinet. Dicitur autem aliquid *in victoriam fieri*, εἰς νῖκος γίνεσθαι, quando ita res perficitur, ut victoria de ea constituí possit. Ita et mors εἰς νῖκος καταποθῆναι, *devictione plenissima, victoriaque constituta erit abolita*, quando mortale nihil, nihil mortis superat.

55. Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον;) Hos. XIII, 14. verbis paululum mutatis, ut fieri solet ab iis, qui memoriter locum citant. Legerunt LXX. אַיֵּה pro אֵי. *Ubi, o mors, tua est vis*, et acerbitas? Κέντρον proprie est *quicquid pungit, aut vim pungendi habet, aculeus, stimulus.* Metaphorice est vis laedendi ac nocendi, omne quod nos vexat, aut potestatem in nos exercet. Sensus igitur est: *ubi iam est, o mors, tua vis et acerbitas?* Videtur, ut nonnulli putant, κέντρον ad antiquam picturam respicere, qua Iudaei angelo mortis gladium tribuunt, e quo fellis mortifera gutta delabitur in os hominis. Alii mortem quasi *falce* homines demetentem pinxerunt. ποῦ σου, ἅδη, τὸ νῖκος,) *Ubi est, o mors, tua* per longum tempus iactata *victoria? νῖκος*, vis homines perdendi. Mors homines amplius perdere non poterit. Ἅδης, sicut שְׁאוֹל, in se non differt a θάνατος. Est tamen Veteribus ἅδης in specie status mortuorum, sive locus, in quo animae a corporibus separatae degunt, *das Todtenreich.*

56. Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου, ἡ ἁμαρτία) i. e. *Peccatum est id, quod mortem reddit acerbam.* Peccatum efficit, ut mors homines pungat. Peccatum enim dat ius morti, detinendi homines sub imperio, ita ut

reviviscere non possint. ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος) *Lex vero* (Mosaica) *gravitatem peccati ostendit.* Rom. VII, 9. 13. Ostendit Apostolus, lege Mosaica nec peccati vim posse infringi, nec mortis poenam tolli, sed hoc fieri per Evangelium, vel Christi doctrinam, ut statim sequitur.

57. Τῷ δὲ Θεῷ — Χριστοῦ) Deus nempe effecit, ut per Christum, cuius salubri doctrina sumus imbuti, vincere possimus peccatum, ac proinde et mortem, eiusque terrores. Cf. Hebr. II, 14. Quanquam enim Christus nos temporali morte non eximit, effecit tamen, ne illa esset amara et formidanda; nec modo cunctos potente verbo suo e pulvere aliquando excitabit, verum etiam fideles et pios liberatos ab omni miseria ad veram et aeternam felicitatem perducet.

58. Ὥστε — ἀμετακίνητοι) *Ergo firmi estote et immobiles*, in religione nempe, eiusque professione et exercitio. Ὥστε, *ergo*, illationis nota. περισσεύοντες — πάντοτε) *Omnia, quae Domino grata sunt, facientes abunde*, τὸ ἔργον τοῦ κυρίου *negotium Domini*, sc. Christi, res ad religionem christianam pertinentes. In his περισσεύει, *proficit, profectus facit*, qui exacte praestat ea, quae haec religio postulat, non tantum a doctoribus, sed etiam ab omnibus Christianis. εἰδότες — ἐν κυρίῳ) Λιτότης. Vult enim dicere, magna fore laboris praemia. Ὁ κόπος ἐν κυρίῳ, labor secundum Dominum, secundum Christi praeceptum, virtutis christianae indefessum studium. Si vera est doctrina de resurrectione, nullus labor gravis videri debet; quid enim suavius vita, eaque beatissima?

CAP. XVI.

1. Περὶ δὲ τῆς λογίας εἰς ἁγίους) *Quod attinet ad collectam s. stipem pro Christianis.* Λογία, a λέγειν, quod idem est ac συλλέγειν, *collectionem* denotat. Εἰς τοὺς ἁγίους, h. e. διακονίαν τοῖς ἁγίοις. Intelligit collationem pecuniarum ad sublevandam paupertatem fidelium in Iudaea, Rom. XV, 26. Christiani inprimis Hierosolymis medios inter Iudaeos degentes saepe bonis spoliabantur, aliorumque ope indigebant. Ὥσπερ — ποιήσατε) Exemplo aliarum ecclesiarum, non abundantium divitiis, incitat Corinthios ad liberalitatem.

2. Κατὰ μίαν σαββάτων) *Primo quoque die hebdomadis.* Μίαν, per hebraismum, πρώτην. Cf. Matth. XXVIII, 1. Christiani maxime sabbatis et diebus dominicis conveniebant. Quia vero hi, qui ex Iudaeis facti erant Christiani, morem Iudaicum servantes, sabbatis pecunias non tractabant, ideo ad eam rem aptior erat dies sequens. De more veterum Christianorum conferendi eleemosynas cf. *Iustin. Mart.* Apol. 1. §. 88. ἕκαστος—τιθέτω) *In domo sua aliquid seponat*, quod nempe conferatur in egenos. Παρ' ἑαυτῷ, *in domo sua*, ut Franco-Galli *chez-lui*. Sic apud *Iosephum* οἴκοδε et παρ' ἑαυτῷ ut Synonyma iunguntur. Ant. IX, 4. 4. Τίθεσθαι, autem hic est *seponere aliquid, certis usibus destinatum*, quod alias ἀποτίθεσθαι. θησαυρίζων — εὐοδῶται) *Colligens, quantum lucrari* (pro illis) *potuerit*, prout res ei bene cesserit, prout superiore hebdomade prospera fortuna usus sit,

vel, ut fert cuiusque res familiaris, *so viel als er nach seinen Glücksumständen thun kann.* Nam εὐοδοῦμαι proprie est: *prospero itinere utor*, metaphorice *prospere ago*, vel *habeo commoditatem aliquid agendi.* Vult Apostolus, ut quisque singulis diebus dominicis aliquid seponat pro pauperibus, quia facilius alicui persuadetur, ut parum eroget et saepe, quam ut semel multum. ἵνα μὴ — γίνωνται) i. e. tunc primum. Quod si esset, tenuiores futurae erant collationes, quam quae ex longo tempore primum crevissent.

3. Ὅταν — Ἱερουσαλήμ) *Postquam autem advenero, mittam quos probatos habueritis, cum litteris meis, ut eleemosynam vestram perferant Hierosolyma.* Δοκιμάζειν τινά, *iudicare aliquem probatum* h. l. est *iudicare aliquem hominem bonae fidei*, cui tuto credi possit collecta pecunia. Δι' ἐπιστολῶν, i. e. σὺν ἐπιστολαῖς. Notam interpungentem ponendam post δοκιμάσητε, recte monet Theophylactus. Coniungenda sunt igitur verba: δι' ἐπιστολῶν τούτους πέμψω etc. Non enim opus erat, a Corinthiis dari epistolas ad Paulum, cuius adventum exspectare iubentur, vel ad pauperes Hierosolymitanos, quibus de legatorum fide ex ipsa missione et apportatis symbolis constare poterat. Χάρις, *beneficium*, eleemosyna. Et est brevis locutio: Mittam per litteras, vel cum litteris meis, eos commendabo, testimonio meo eos prosequar.

4. Ἐὰν δὲ — πορεύσονται) Si summa collecta tanti erit, ego pro epistola eos comitabor. Excitat eos, ut dent quamplurimum.

5. Ὅταν Μακεδονίαν διέλθω) De hoc itinere nihil commemorat *Lucas;* nam aliud est, quam illud Act. XX, 3.

6. Πρὸς ὑμᾶς — πορεύωμαι) *Apud vos vero fortasse aliquamdiu manebo, et vel hyemem transigam, ut vos me deducatis, quo demum proficiscar,* i. e. in Iudaeam. Solebant autem quidam ex Ecclesiis Apostolo se itineris aliquousque comites addere, Act. XV, 3. XVII, 15. etc.

7. Ἄρτι) *Nunc,* hic significat futurum imminens; *für diesmal.* Ἐὰν ὁ κύριος ἐπιτρέπῃ. Solita Christianis cautio. *Si Deus voluerit* etiam Paganis usitatum, ostendit Tertullianus *de testimonio animae.* Alii rudiores eorum dicebant: si Dii volent, ut *Plautus* Poenulo IV, scena ult. aliique.

8. Ἕως τῆς πεντηκοστῆς) Haud dubie diem Iudaeis festum indicat, quo promulgatae legis memoria est celebrata. Christiani diem memoriae donati spiritus S. sacrum nondum videntur tum celebrasse.

9. Θύρα — ἐνεργῆς) *Nam data est mihi insignis occasio,* nempe Evangelium cum fructu annunciandi. Θύρα, eximia opportunitas. Arrianus Dissert. Epict. L. I, c. 9. *Cum hodie pasti fueritis, sedetis plorantes, quidnam cras sitis esuri. Mancipium, si habueris, habebis, si non habueris, excedes e vita,* ἤνοικται ἡ θύρα, *aperta est ianua.* Ἐνεργῆς, *ad agendum apta.* Admodum dura est phrasis θύρα ἐνεργῆς. Sed videtur Apostolus neglecta *ianuae* signi-

ficatione, solam *occasionis* notionem in mente habuisse. Verbum ἀνέωγε, neutraliter acceptum in *Soloecismis* ponitur apud Lucianum in *Soloecista* et a Phrynicho. Usus tamen est illo ipse Lucianus satis crebro. Sic et Arrianus in Tacticis: κράνη — ἀνεωγότα κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς, *galeae circa oculos patentes.* Caeterum Apostolus respicere videtur ad ea, quae Act. XIX. narrantur de discipulis Ioannis Vs. 1—5., de separatione Christianorum a Iudaeis Vs. 9. sqq., de favore quorundam Asiarcharum, Vs. 31. καὶ ἀντικείμενοι πολλοί) *Licet adversarii plures* nec hic desint. Adversarii ex Iudaeis, tam illi, qui Pauli nomine abutebantur, Act. XIX, 13., quam qui vi et dolo insidias struebant, Vs. 33.

10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος) De eo iam c. IV, 17. dixerat. Sed habebat Timotheus in itinere multas ecclesias invisendas, quia Paulus eum per Macedoniam proficisci iusserat, Act. XIX, 22. βλέπετε — ὑμᾶς) Curate, ut sine timore sit apud vos. ἀφόβως, sine metu, laeto animo. Propter dissidiorum auctores haec monet Apostolus. Neque tamen de insidiis cogitandum videtur. Τὸ γὰρ — ἐγὼ) *Negotium enim Domini curat, sicut etiam ego*, i. e. munere docendi et propagandi doctrinam Christi fungitur, ut ego. Hoc munus interdum simpliciter ἔργον nominatur, e. g. Actor. XIII, 2.

11. Ἐκδέχομαι — ἀδελφῶν) Dubium est, quo haec pertineant; utrum Paulus cum fratribus aliis *Timothei* reditum expectet; an vero optet Paulus, redire Timotheum atque ceteros fratres, qui Timothei erant socii:

praeter Erastum enim Act. XIX, 22. haud dubie et alii cum Timotheo ad Paulum venturi erant.

12. Καὶ πάντως — ἔλθῃ) *Sed minime impetrare ab eo potui, ut nunc ad vos veniret*, nempe quia alia magis urgentia eum distinebant. *Tillemontius* (Memor. hist. eccles. Tom. I. p. 270.) suspicatus est, Apollonem Corintho ob dissensiones ibi ingravescentes relicta, ad Paulum profectum esse; quod verisimilitudine non caret. Nihil tamen certi hac de re definiri potest. Videntur ii, qui litteras ad Paulum dederant, optasse, ut vel Paulus vel Apollo Corinthum veniret; quum vero desiderati magistri nollent ipsi venire, eorum vice Timotheus fungi debuit. Vs. 10. Cf. supra c. IV, 17. sq.

13. Γρηγορεῖτε) i. e. diligenter vobis cavete, ne quis vestrae virtuti et saluti noceat, falsis doctrinis et malis exemplis vos perdat, et a vera religione abducat. Similitudo desumta a militibus, quorum est vigilare et diligenter excubias agere, ne imparati et vino somnoque sepulti ab hostibus opprimantur. στήκετε ἐν τῇ πίστει) i. e. *perseverate in religione.* Ἡ πίστις, universa religio. ἀνδρίζεσθε) *Viriliter agite*, resistite tentationibus et periculis, ne ullis adversariorum minis, ullis adversis, ac ne morte quidem ipsa terreamini. Iterum similitudo desumta a militibus, qui adversus hostem stare et pugnare solent. κραταιοῦσθε) *Fortes vosmet praestate.* Passivum pro reciproco. Nam 1 Sam. IV, 9. pro הִתְחַזְּקוּ in Graeco est: κραταιοῦσθε.

14. Πάντα — γινέσθω) *Quicquid vobis agendum est, fiat ex amore.* Πάντα ὑμῶν, quaecunque tanquam Christiani agitis, et agere debetis.

15. 16. Παρακαλῶ — καὶ κοπιῶντι) Παρακαλῶ cum ἵνα Vs. 16. construi debet, et post ἀδελφοί verba reliqua usque ad ἑαυτοὺς parenthesi includenda sunt. De significatu vocis ἀπαρχῆς cf. Rom. XVI, 5. Scitis, ait, *Stephanam* cum suis et inter primos esse, qui crediderunt, et multum eos inserviisse Christianis aliis. καὶ εἰς διακονίαν — ἑαυτοὺς) *Christianorum commodis inserviendi studio sese addixerunt.* Latet in his verbis notio, illos eiusmodi amoris officia sibimet ipsis iniunxisse, eaque sponte, nemine iubente aut impellente, suscepisse. *Plutarch.* de frat. amor. ἐπὶ τὸ στρατηγεῖν καὶ οἰκουρεῖν ἕτατον ἑαυτούς, *exercitui ducendo, et rei familiari administrandae se addixerunt.* Διακονία significat quaelibet amoris obsequiosissimi officia erga Christianos, et beneficentiam. Fuerunt autem hi Christiani, quibus inserviit domus Stephani, praesertim *peregrinantes*, ab hac Stephanae familia hospitio excepti, et beneficiis affecti. ἵνα καὶ — τοιούτοις) *Ut etiam vos obsequiosi sitis erga tales*, nempe erga Christianos, ut τοῖς τοιούτοις referatur ad verba τοῖς ἁγίοις, et exemplum domus Stephanae reliquis ad imitandum proponatur. Verbum ὑποτάσσεσθαι autem hic ut alibi, significat *obsequium, et ad praestandi amoris officia alacritatem*, ut Eph. V, 21. 1 Petr. V, 5. καὶ παντὶ — κοπιῶντι) i. e. Evangelii praeconibus, quales Timotheus, Vs. 10. et Apollo Vs. 12.

17. Χαίρω — Ἀχαικοῦ) i. e. *Magno gaudio affecit me praesentia Stephanae* etc. quod nempe ad me venerunt, atque de variis rebus me certiorem fecerunt. Sed tum, quum haec scriberet Apostolus, in eo fuisse

videntur, ut redirent Corinthum, et perferrent etiam hanc epistolam, Vs. 18. ὅτι — ἀνεπλήρωσαν) *Quoniam absentiam vestram hi suppleverunt*, i. e. quod mihi deerat a vobis, ut qui vestro conspectu nunc frui non possim.

18. Ἀνέπαυσαν — τὸ ὑμῶν) i. e. animum meum sic recrearunt, ut iam plane perspiciam, et vos per illos recreatum iri. Paulus quasi praevidet, et praesagiente animo scribit, simul eorum dexteritatem et integritatem ceteris Corinthiis commendans. ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους) *Eos igitur iusto honore afficite*, qui tam strenue id praestant, quod ego et vos optabamus. Ἐπιγινώσκειν h. l. est *amare, venerari*, ut hebr. יָדַע Exod. V, 2. 1 Sam. II, 12.

19. Ἀσπάζονται ὑμᾶς ἐν κυρίῳ) i. e. a Christo omnia bona vobis apprecantur. Animo vere christiano vos salutant.

20. Ἐν φιλήματι ἁγίῳ) *more hominibus christianis conveniente.* Vid. Rom. XVI, 16.

21. Ὁ ἀσπασμὸς — Παύλου) Ellipsis. Sensus est: *Restat salutatio a me, quae est adscripta a me ipso, propria manu.* Atque ita intelligitur, ea, quae sequuntur, Paulum ipsum adiecisse scribentem, quum alia dictasset.

22. Εἴ τις — ἤτω ἀνάθεμα) *Si quis non amat Iesum Christum*, i. e. eum eiusque doctrinam tam parum curat, ut vel impedimenta salutari doctrinae affe-

rat, proprii commodi caussa, *seiunctus sit a societate nostra;* nihil rei est mihi cum eo. μαραὰν ἀθά) *Dominus noster venit.* Formula Syriaca. *Hieronymus*, et graeci quidam Scriptores in significatu praeteriti id intelligunt. *Venisse* Christum, satis constat; ergo Iudaica expectatio adventus Christi in hanc terram, in regnum illud voluptatum, locum non habet. In Epistola *Clementis* secunda ita explicatur: Haec quī non custodierit, sit *Anathema* usque ad adventum Domini.

24. Ἡ ἀγάπη — Ἰησοῦ) i. e. *Ego propter Christum vos omnes sincere diligo.* Locutio: μεθ' ὑμῶν, vim habet. Dicuntur amicitiae dissolvi intervallis locorum. Hoc negat apud se fieri. Se animo ipsis esse praesentem; res eorum curare.

25. Πρὸς Κορινθίους — Τιμοθέου) Aut omnino aut ex parte deest in codicibus antiquioribus et melioribus. Non Philippis, sed Ephesi scripta esse videtur haec Epistola, supra Vs. 8. 9.

SCHOLIA

IN ALTERAM

EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Antequam Paulus priorem Epistolam scriberet, praemiserat Timotheum ad Ecclesiam Corinthiacam, 1 Cor. IV, 17. XVI, 10. Act. XIX, 22. qui tamen hoc iter non suscepit, fortassis quia fama perceperat, dissensiones ibi ingravescere; nam redierat ad Paulum, quum is hanc alteram epistolam scriberet. 2 Cor. I, 1. Nec mirum; quum ne Apollos quidem, quanquam invitatus ab una parte, permoveri ab Apostolo potuerit, ut Corinthum veniret. Paulus igitur, incertus quid Corinthi ageretur, misit Titum; cuius reditum, impatiens morae non exspectans, obviam ei profectus est Troada, indeque in Macedoniam. c. II, 12. 13. Ergo neque statim post priorem, neque multo post scripsit hanc ad Corinthios alteram epistolam Paulus. Tantum enim intervalli fuit, quo Titus, ab eo missus, ire Corinthum potuit, mandata eius explicare, et, ut eis pareretur laborare, atque ad eum redire. Titi autem labor Corinthi apud plerosque bene successerat. c. VII, 5—7. Eiecerant enim Corinthii e coetu suo hominem illum incestuosum, c. II, 5. 6. Parabant stipem pro pauperibus Christianis Hierosolymitanis. cap. IX, 2. Quare

Apostolus in hac altera epistola restitutam felicitatem gratulatur; quia vero non deerant adversarii, qui eum calumniarentur, et de fama eius detraherent, totus in eo est, ut se contra eos defendat, c. 1, 15. sqq. — VII. et c. X. De eorum sententia, qui ultima capita IX — XIII. ab ipsa epistola separanda esse putant, vid. quae monuimus in Prolegomenis ad epistolam priorem. Desiderari in hac Epistola arctiorem argumenti connexionem, a multis est animadversum. De caussis saepe interruptae connexionis, et turbati ordinis disputat *Zieglerus theol. Abhandlungen*, Tom. II. p. 103. sqq. Constitui tamen possunt praeter exordium et epilogum, partes principales tres, quarum *prima* septem primis capitibus absolvitur, in qua Apostolus potissimum adversariorum criminationibus occurrit, atque ita muneris sui dignitatem simul et efficaciam commendat, ut passim ἀντικατηγορίαν illorum calumniatorum interserat; imo subinde per digressiones quasdam primaria religionis christianae capita luculenter exponat. In *secunda parte* adhortatur Corinthios ad eleemosynas in usum pauperum Christianorum Hierosolymitanorum contribuendas, cap. VIII. IX. simulque multa huius suae hortationis argumenta in medium producit. In *tertia* parte redit ad defensionem sui Apostolatus, nempe c. X. et seqq. fere usque ad finem. Ceterum Paulus hanc epistolam scripsit in Macedonia cap. VIII, 1 — 5. eamque perferendam tradidit Tito, quem reverti iussit Corinthum, ut Corinthios praepararet ad eius adventum, eosque hortaretur, ut stipem colligerent pro pauperibus Christianis Palaestinensibus, c. VIII, 6. IX, 4. XIII, 10.

CAP. I.

1. Διὰ θελήματος Θεοῦ) Vid. notata ad 1 Cor. I, 1. Σὺν — Ἀχαΐᾳ) *Et omnibus per totam Achaiam Christianis.* Voluit igitur Paulus, ut exempla huius epistolae ad alias in Achaia ecclesias mitterentur, ut tum fieri solebat.

2. Χάρις — Χριστοῦ) Eadem formula Rom. I, 7. 1 Cor. I, 3.

3. Ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν) *Pater clementissimus.* Genitivus pro Adiectivo, ut et in verbis subsequentibus. Θεὸς πάσης παρακλήσεως. *Deus omnis consolationis auctor.*

4. Ὁ παρακαλῶν — ἡμῶν) *Qui me in omnibus calamitatibus meis consolatur.* παρακαλεῖν, spe animum erigere et firmare. De se Apostolus h. l. loquitur in plur. ut solet. Non sine caussa hoc dixit adversus eos, qui Deo exosos putant eos, qui multis calamitatibus sunt expositi. Cf. Rom. V, 3. VIII, 35. διὰ τῆς παρακλήσεως — Θεοῦ) *Iisdem argumentis, quibus nos erigimur a Deo* in rebus afflictis. Παράκλησις, *Trostgründe.*

5. Ὅτι, καθὼς — εἰς ἡμᾶς) *Nam sicut permultas calamitates propter Christum*, eiusque doctrinam, quam annunciamus, *perferimus.* Παθήματα (sc. ὑπὲρ τοῦ) Χριστοῦ, calamitates ob Christi doctrinam. διὰ Χριστοῦ) i. e. ex felici religionis christianae

successu. Nam saepe *Christus* nominatur, loco doctrinae, cuius est ille et auctor et ingenuum argumentum.

6. Εἴτε δὲ θλιβόμεθα — σωτηρίας) Sc. θλιβόμεθα. *Sive autem vexamur, exemplum nostrae constantiae solatio et saluti est etiam vobis*, i. e. si nos vexamur, id fit, ut vos nostro exemplo valide incitemini ad eadem mala toleranda, quod et vobis ipsis consolationem et salutem afferet. Εἴτε παρακαλούμεθα — πάσχομεν) *Sive recreamur, hoc et ipsum vobis est solatio, quod efficitur, dum iisdem, quibus nos, calamitatibus exagitati, parem nobiscum patientiam ostenditis.* Τῆς ἐνεργουμένης passive sumi potest, *quae* (consolatio et salus) efficitur etc. ut 2 Thess. II, 7., vel: quae consolatio conspicua fit etc. Ingens hic est lectionis varietas, licet sensus maneat fere idem. Nam alii post σωτηρίας statim legunt: εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, et post haec verba demum addunt: τῆς ἐνεργουμένης — πάσχομεν. Sic codices sex, quos inter est Alexandrinus, Verss. Syr. Erp. Copt. Aeth. Arm. flor. harl. item Vulg. Ephr. Antiochus, Ambrosiaster. Alia lectio concinit cum vulgari, praeterquam quod ἡ ἐλπὶς etc. praeponatur verbis εἴτε παρακαλούμεθα etc. Sic codices 42. Ar. pol. Syra post. Chrysost. Theodoret. Photius, Damasc. Oecum. Theophylactus.

7. Καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν) Sc. ἐστι, et ὑπὲρ pro περὶ. *Firma est spes mea de vobis*, nempe vos ex rebus meis adversis et prosperis utilitatem percepturos. Secundum *Grotii* sententiam haec per pa-

renthesin legi debent, ut Paulus dicat, firmam se habere spem de constantia etiam Corinthiorum in sufferendis malis. εἰδότες — τῆς παρακλήσεως) *Quum probe sciamus, et malorum et gaudii inter nos et vos communionem intercedere.* Scire se dicit, Corinthios tangi sensu ut adversorum, ita et bonorum, quae ipsi, dante Deo, contingebant. Nam sine dubio multi inter Corinthios Pauli caussa et ipsi dolebant, metuebantque, participes quodammodo omnium aerumnarum, quibus tanti magistri ministerium obruebatur. Eosdem igitur etiam solatii, gaudiique novi participes esse et velle et debere, hic occupat. Pro εἰδότες scribendum videri poterat εἰδότων, ut phrasi ἐλπὶς ἡμῶν rectius responderet. Sed Graecis hanc structuram non fuisse inusitatam, ostendit *Io. Chph. Wolfius* ad h. l.

8. Οὐ γὰρ θέλομεν — Ἀσίᾳ) *Nollem enim vos ignorare calamitates, quas expertus sum in Asia*, vel: *non possum, quin vos certiores faciam de calamitatibus* etc. Ὑπὲρ τῆς θλίψεως, pro: περὶ τ. θ. sicut etiam habent codices nonnulli, Chrysostomus, Theodoret. Basil. Antiochus. Difficile dictu est, ad quam historiam Paulus hic respiciat. *Theodoretus* trahebat ad Act. XIX, 23. Alii in ea fuerunt opinione, plane aliam historiam hic tangi a Paulo, de qua Lucas nihil narraverit. *Semlerus* respici existimat ad Iudaeorum insidias, quae Act. XX, 3. breviter tanguntur, et haud dubie atroces casus varios involvebant, quos vix fugiendo et latitando superare Paulus potuit. ὅτι καθ' — δύναμιν) Καθ' ὑπερβολήν, i. e. ὑπερβαλλόντως, *valde*, ut Rom. VII, 13. Ἐβαρήθημεν, *pressi sumus.* Βαρεῖσθαι, *onerari, premi calamita-*

tibus. Ὑπὲρ δύναμιν, *supra quam vires humanae sustinerent.* ὥστε — τοῦ ζῆν) *adeo ut etiam de vita desperarem,* vel ut alii interpretantur: *ut de vita mea desperaretur*, nempe a meis sociis. Hanc explicationem sequentia verba commendant.

9. Ἀλλ' αὐτοὶ — ἐσχήκαμεν) *Quin etiam ego ipse mortem quasi iam certam formidavi.* Proprie: Ipse in memetipso sententiam mortis habui. Ἀπόκριμα, *sententia*, *responsum*, *decretum*, sive per *prosopopoeiam* mortis, sive ut sensus sit: Ipse hanc ferebam sententiam, iam quidem me non posse caedem aut mortem effugere. ἵνα μὴ — τοὺς νεκροὺς) *Ne meis viribus, sed Deo omnipotente confiderem*, vel: ita ut perspicerem, me nonnisi miraculosa Dei potentia e tanto vitae periculo eripi posse. Ἵνα, *adeo, ut.* Hebraeis interdum mortui dicuntur, qui *quasi* mortui sunt: et resuscitati, qui liberantur.

10. Ὃς ἐκ — ῥύεται) *Qui ex tanto mortis periculo me salvum eripuit, et eripit.* Loquitur de periculis, quae a continuis Iudaeorum insidiis impendebant. Καὶ ῥύεται, abest a cod. Alex. et Clarom. ut et Versione Syr.

11. Συνυπουργούντων — δεήσει) In verbis ὑπὲρ ὑμῶν τῇ δεήσει, est traiectio, pro: τῇ δεήσει ὑπὲρ ἡμῶν. *Si et vos me adiuvetis precibus* (ad Deum fusis) *pro me.* Συνυπουργεῖν, *adiuvare*, *opem ferre.* ἵνα ἐκ πολλῶν — ὑπὲρ ἡμῶν) *Ut a multis hominibus respectu habito ad beneficium in me collocatum prolixe pro nobis grates agantur.* Ἐκ πολλῶν προσ-

ὤπων, *a multis hominibus, personis.* Ἐκ saepe caussam efficientem significat, et latine vertitur *a.* Cf. infra III, 5. ἐκ τοῦ Θεοῦ. V, 1. Rom. XIII, 3. Πρόσωπον, *persona;* quae notio satis frequens est Graecis. Vid. *Kypke* ad h. l. Τὸ (i. e. κατὰ τὸ) εἰς ἡμᾶς χάρισμα, *respectu habito ad beneficium in me collatum*, vel propter beneficium etc. Similis ellipsis τοῦ κατὰ est infra c. VI, 13. 1 Cor. XI, 2. Διὰ πολλῶν, *prolixe*, ut Hebr. XIII, 22. δὶα βραχέων, *paucis.* Alii: *Ut pro illo in me collato beneficio, quod simul ad multos pertinet, etiam gratiae Deo pro me agantur, per plurimos alios*, ut hic sit traiectio, pro: ἵνα τὸ εἰς ἡμᾶς (γενόμενον) χάρισμα, ἐκ πολλῶν προσώπων etc. Χάρισμα, est liberatio Pauli e periculis, quam Deus precibus Asiaticorum, Macedonum et Corinthiorum concessit. Ἐκ πολλῶν προσώπων, *Schulzius* cum *Grotio*, *Hammondo* et aliis vertit: *in mehrer Rücksicht*, ex hebraica significatione פָּנִים, quae vox nunc *personam*, nunc *respectum* significat. Alii: *propter multos homines.* Ἐκ, *propter*, ut Apoc. VIII, 13. XVI, 10. Syrus hic fere expressit: Ut (sit) illud in nos collatum donum, *multorum*, seu multis commune; (ut multi alii porro mea opera uti possint;) atque sic per multos gratiae agantur *pro me*, pro mea liberatione. Εὐχαριστηθῇ, *gratiarum actione celebretur.*

12. Ἡ γὰρ καύχησις — πρὸς ὑμᾶς) *Nam hic est honor meus* (id mihi maximo honori duco, in eo laetor), *quod conscientia mea mihi testatur, me candide et integerrime, non astute, sed adiutum Dei auxilio, quum universe in mundo, tum maxime*

apud vos versatum fuisse. Ἡ καύχησις, *gloriatio*, vel gloriationis materia; res de qua gloriari iure possumus; vel etiam laetandi et gaudendi materia. Ἐν ἁπλότητι, *sincere* pro ἁπλῶς, ut est apud LXX. pro hebr. בְּתֹם Proverb. X, 9. Εἰλικρινεία Θεοῦ, *integritas Deo probata*, ut וְבֹחֵי אֱלֹהִים Ps. LI, 19. Σοφία σαρκικὴ, opposita τῇ ἁπλότητι, *sapientia humana*, est *calliditas*, *astutia*. χάρις Θεοῦ ex *Schulzii* sententia est *sapientia Deo grata*, opposita τῇ σοφίᾳ. Nescio an recte. Mihi χάρις Θεοῦ videtur esse *auxilium Dei*, ut ἐν χάριτι Θεοῦ sit *adiuvante Deo;* nam etiam auxilium quod nobis Deus praestat, est χάρις, *beneficium*. Ἀναστρέφειν, הָלַךְ, *vitam instituere*. ἐν τῷ κόσμῳ) *Ubicunque fuimus;* in omnibus regionibus, per quas iter feci. περισσοτέρως δὲ πρὸς ὑμᾶς) *Maxime vero apud vos*, Corinthi ipse praesens, maxime talem me praestiti, qualis Apostolus esse debet. Schol. apud Matthaei: ὅτι καὶ ἀδάπανον παρ' ὑμῖν ἐκηρύξαμεν τὸ εὐαγγέλιον. Quoniam auxilio Dei in gerendo munere meo adiutus sum, nihil artis et doli praesidio mihi opus fuit. Candide potius et integerrime quum universe in mundo, tum maxime apud vos versatus sum.

13. 14. Οὐ γὰρ — ἐπιγινώσκετε) *Non autem alia vobis* (nunc) *scribo*, *quam quae legitis, vel etiam intelligere possitis.* Eandem animi integritatem, quam in vita mea exprimere soleo, etiam in epistolis meis agnoscetis. Non opus est mihi occulto et ancipiti scribendi genere; non scribo alia, vel diversa ab iis quae animo cogito; sed aperte scribo, ut quivis epistolam legens vel statim intelligere possit, vel si alicubi hae-

reat, post secundam aut tertiam lectionem, attento animo factam, sit intellecturus. *Storrius* (p. 100.): *Nihil scribo* aut confirmo *vobis, nisi quod ipsi intelligitis*, usuque et consuetudine mecum cognitum habetis, *vel animadvertitis etiam* et ante oculos positum habetis, sive agnoscitis. Sic ἐπιγινώσκειν usurpatur Sirac. IX, 13. Cf. 1 Cor. XIV, 37. Si vocis ἀναγινώσκειν vulgarem significationem *(legere)* praeferre malis, ita etiam verti possunt haec verba: Neque enim alia scribere vobis *possumus*, quam quae *legitis*, quaeve modo scripsi, aut quae ipsi etiam agnoscitis. ἐλπίζω — ἐπιγνώσεσθε) *Agnoscetis vero me, ut spero, perpetuo talem*, nempe constantem in ea doctrina, quam vobis hactenus proposui. Malim tamen cum *Storrio* (l. c.) haec verba coniungere cum v. 14. hoc modo: Ἐλπίζω δὲ, ὅτι καὶ ἕως τέλους ἐπιγνώσεσθε, καθὼς (v. 14.) καὶ ἐπέγνωτε — ὑμῶν ἐσμεν) *Spero autem, fore, ut perpetuo agnituri sitis, quemadmodum ex parte ante oculos habetis et agnovistis, me vobis ornamento et decori esse.* Verba nempe ita construenda sunt: — ἐπιγνώσεσθε, καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἀπὸ μέρους, ὅτι ἡμεῖς καύχημα ὑμῶν ἐσμεν. Similis constructio est Actor. XXVI, 5. Gal. 1, 11. Marc. XII, 34. Non sine caussa Apostolus dicit ἀπὸ μέρους ἐπέγνωτε, *ex parte agnovistis.* Quae enim de se scripserat v. 12., ea quidem *noverant* Corinthi omnes, sed non omnes perpendebant et sequebantur, multis contra veritatem quam testari potuissent, si voluissent, repugnantibus (cf. Act. XXVI, 5.), et rectiorem cognitionem ac sensum per cupiditatem et pravum affectum reprimentibus atque pervertentibus. Καθάπερ — κυρίου Ἰησοῦ) *Quemadmodum etiam vos mihi ornamento*

et decori eritis in die Domini Iesu. Ὑμεῖς ἡμῶν, sc. καύχημα ἔσεσθε. Tum enim palam fiet, vosfuisse discipulos tali magistro dignos.

15. Καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει) Confisus, me vobis plerisque esse cordi. ἐβουλόμην — πρότερον) *Volueram antehac ad vos venire*, nempe quum priorem epistolam scriberem, 1 Cor. XVI, 5. Τὸ πρότερον construendum est cum ἐβουλόμην. Sensus itaque est, antea fuisse decretum Apostolo ipsos invisere ante Macedones. Paulo post vero ostendet, se non levitate aliqua, sed iustis de caussis consilium mutasse. ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε) *Ut alterum hoc a me habeatis beneficium.* Adventum suum δευτ. χαρ. appellat, quoniam semel iam ibi fuerat, Corinthiosque beaverat sua praesentia. Alii per χάριν intelligunt χαράν, *gaudium*, *voluptatem*, quemadmodum etiam unus codex habet. Consentit haec interpretatio cum v. 24., ubi Apostolus dicit, se aliquid ad τὴν χαρὰν Corinthiorum conferre voluisse, et cum c. II, 1. 2., ubi asserit, se noluisse illis adventu suo λύπην, *moerorem* afferre.

16. Δι' ὑμῶν) Per vestram provinciam, per Achaiam. Hoc loco accuratius describit ordinem itineris, quem sibi primum elegerat; sed intervenerant impedimenta iam tum, quum scriberet priorem epistolam, itaque tum tantum unicam profectionem indicat. καὶ ὑφ' ὑμῶν — Ἰουδαίαν) *Et a vobis deduci in Iudaeam.* De significatione verbi προπέμπειν in tali contextu vid. notata ad Rom. XV, 24. Voluit Paulus, ut Seniores quidam vel Diaconi ipsum in Palaestinam quasi deducerent,

comites non solum itineris, sed et socii ministerii istius publici, deportandarum eleemosynarum; de quo negotio sic convenerat inter ipsum et Palaestinenses, Gal. II, 10.

17. Τοῦτο οὖν βουλευόμενος) Quum igitur revera id meum consilium fuerit eo tempore. *μήτι — ἐχρησάμην;*) *Num levitatis animi accusari possum?* quod nempe hoc iter omisi. *Contemti* videri poterant Corinthii, quibus alios, ad quos profectus esset, iam praetulisset. Praecipue vero Pseudapostoli eorumque asseclae Paulo ob dilatum iter *varietatem* ex animi vel *levitate* et inconstantia (*ἐλαφρία*), vel *perfidia* et fallacia (*κατὰ σάρκα*) profectam, exprobraverant. *Emmerling:* «voc. *σάρξ*, vulgo ad humanam imbecillitatem translatum, bene dici potest de illa temeritate, qua, prouti valemus corpore, eadem fugimus, sequimur, odimus, cupimus; nostr. *Launen.* Nonnulli vertunt hominum more, quod eodem redit; homines enim fere instabiles in consiliis capiendis et exsequendis esse perhibentur, Num. XXIII, 19. Rom. III, 4.» Huius suspicionis avertendae caussa dicit, se in animo habuisse adeo quosdam ex illis socios itineris deligere, v. 16. coll. 1 Cor. XVI, 8. *ἵνα ᾖ — τὸ οὒ οὔ*) *Ut unum idemque eodem tempore affirmem et negem?* ut aliud dicam, aliud faciam? Vulgata sola, et unus codex graecus exhibet tantum unicam vocem, *τὸ ναί, καὶ τὸ οὔ*, ut sit apnd me, *est* et *non.* Sed vulgaris lectio sine dubio est vera. Res maxime redit ad pronunciationem; sensus idem manet. Καί verti debet: *etiam.* Ad verbum: *ut τὸ ναὶ ναὶ apud me etiam sit τὸ οὒ οὔ*, ut affirmatio et negatio eiusdem rei apud me idem

valeat. Non sum tam inconstans, ut eodem tempore *affirmem* loquendo et scribendo (ut dicam ore: *ναὶ, ναὶ,*) et eodem tempore aliter cogitem, (animo et mente quasi dicam: *οὔ, οὔ, minime*). Non igitur opus est coniecturis, nec legendum: *ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ* Ναὶ, *ου, καὶ τὸ* Οὔ, *ναί.* Adversarii Pauli forsan exinde, quod proposito non steterat, occasionem arripiebant eum accusandi etiam levitatis et inconstantiae in doctrina. Non mirum videri dicebant, si varius homo, qui temere et inconsiderate loqui soleat, in doctrina etiam variaverit, et e. c. de resurrectione aut licentia idolothytis vescendi *aientem* apud Corinthios, alibi vero *negantem* sententiam defenderit.

18. *Πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς*) i. e. *Testis est Deus* verax et fide dignissimus. Similis locutio: *Vivit Dominus*, i. e. quam vere vivit Dominus. *ὅτι ὁ λόγος — ναὶ καὶ οὔ*) *Doctrinam a me vobis traditam, non esse a me immutatam*, i. e. me in aliis regionibus, *extra Achaiam*, non aliud docuisse, quam quod vos estis edocti. *Ὁ λόγος, doctrina*, ut alibi. *Ναὶ καὶ οὔ, inconstans et varius.* Non male Scholion apud *Matthaei*, ad verba *οὐκ ἐγένετο καὶ οὔ* haec notat: *ἐκεῖ μὲν γὰρ τὸ ἐπαγγείλασθαι ἐλθεῖν, ἐμὸν ἦν, διὸ καὶ διέπεσε. τὸ δὲ κήρυγμα τῆς πίστεως, τοῦ Θεοῦ ἐστι, καὶ οὐκ ἀποτεύξεται. ἀληθὴς γὰρ ὁ Θεὸς [καὶ ἀδιάπτωτος αὐτοῦ ὁ λόγος.* *Storrius:* (pag. 101.) „Deus saltem *verus* ac certus (*πιστὸς*) est. Nostra enim, quae Deum auctorem habet, doctrina inter vos, ut ipsi nostis, haudquaquam *varia* fuit.“ Quodsi igitur verum esset, quod mihi nonnulli vestrum temere obiiciunt, me esse inconstantem in promittendo et agendo, tamen inde non conse-

queretur, me etiam in *doctrina* esse varium. Hoc statim v. 19. explicatur.

19. Ὁ γὰρ—γέγονεν) *Nam doctrina Iesu Christi, filii Dei, tradita vobis per nos* (nempe *per me et Silvanum et Timotheum,*) *non fuit sibi contraria,* ita ut alter *affirmaret, quod alter negavit, sed omnia in ea sunt vera.* Ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς, I. X. pro doctrina, vel religione Christi. Possent etiam verba sic reddi: *Nam filius Dei, Iesus Christus, cuius doctrina vobis tradita est etc., sibi non contradicit, sed omnia apud eum* (ἐν αὐτῷ) *sunt vera;* est veracissimus, sive: est sibi constans minimeque instabilis. Non sine caussa addit Paulus: a *Silvano* etiam et *Timotheo.* Non potuissent tam exquisite inter se convenire Paulus, Silvanus et Timotheus, quemadmodum eos consentire ipsi Corinthii meminerant, si Paulus temere, quicquid in buccam veniret, dicere, aut orationem astute auribus auditorum, alio tempore aliorum, accomodare consuesset. *Silvanus* idem est, qui *Silas*, levi flexu, ut Saulus, Paulus. Fuit ex primis Christianis, Act. XV, 22., fortassis in epistolis describendis Pauli adiutor.

20. Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι τοῦ Θεοῦ) Sc. εἰσι. *Quotquot enim sunt promissiones Dei; omnes Dei promissiones*, non tantum in libris V. T. ad Messiam spectantes, sed etiam ab ipso Christo nobis promulgatae. ἐν αὐτῷ — ἀμήν) *In ea* (religione) *ratae sunt, seu: sunt certae et indubitatae.* Ἐν αὐτῷ, ut v. 19. Ναὶ et ἀμήν idem valent, ideoque et coniungi solent, ut magis res confirmetur. Altera vox graeca est, altera

hebraica. Simile Ἀββᾶ ὁ πατὴρ. τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν) Traiectio, pro: πρὸς δόξαν τῷ Θεῷ, ut Deo laus sit: Δι' ἡμῶν, nostro ministerio. Potest tamen ita etiam verti hoc comma: *Omnes enim promissiones divinae per eum* (Christum) propositae *confirmatae sunt*, eventum suum habuerunt, *quae res honori Dei cedit, per nostrum ministerium.* In promissis divinis censenda sunt (vid. *Morus* in dissertatt. p. 354. s.) non ea tantum quae olim contingent, sed quae quotidie religionis beneficio accipimus, quae iam tenemus, tranquillitas, propositum severum, constantia, vis, incrementum, facilitas rectius agendi, successus nostri studii a Deo adiuti. Ea enim omnia et accipimus et tenemus, quoniam promissum fuerat, et uti spes facta erat. Veluti, quum Christiani propter peccati veniam sunt tranquilliores, id nihil aliud est, nisi eos nunc de se et in se quoque vera statuere, quae in universum omnibus certa conditione destinata sunt et promissa. Quod per doctrinam liberati servitio vitiositatis sunt, hoc est illud ipsum quod futurum audierant. Io. VIII, 31. Hac igitur ratione Corinthii iam tum experti fuerant, promissiones Dei per Christum datas esse veras. Addit Paulus δι' ἡμῶν, *per nos*, tanquam ministros tradita est vobis haec doctrina, quae magna ex parte constat promissionibus. Hoc respicit ad v. 19. ubi dixerat Paulus non varium se fuisse in tradenda doctrina. Honorem autem omnem deberi Deo, τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν. Ratio autem huius asserti redditur statim v. 21.

21. Ὁ δὲ—Θεὸς) *Qui nempe nostram et vestram de religione Christiana persuasionem confirmat*, animos nostros in ea constantes reddit, *est idem ille,*

qui nos ei inauguravit, institutione nos ad eam adduxit, hoc est, *Deus*. Δὲ, nempe. Nam explicatur, quid sit τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν, v. 20. Ἡμᾶς, nos Apostolos. Σὺν ὑμῖν, uti et vos, Corinthios. Εἰς Χριστὸν, pro ἐν Χριστῷ, in doctrina christiana. Qui nos in ea doctrina confirmat, est idem ille καὶ χρίσας ἡμᾶς, qui *etiam* (καὶ) *inauguravit nos ei*. Qui inaugurabantur et consecrabantur, ii ex more Orientis oleo unguentoque ungebantur. Quando igitur Christiani ungi dicuntur, respicienda est adiuncta notio inaugurationis. Sed haec inauguratio nihil aliud est nisi prima institutio in religione. 1 Io. II, 27. coll. v. 24. 20. 21. 27. Ergo Deus ungens proprie est, impertiens aliquem scientia religionis per doctrinam: tropice, inaugurans Christianos religioni. Omnia igitur Paulus ad Deum auctorem refert, et primam institutionem in religione, et confirmationem in ea v. 20. Deus ὁ ἐναρξάμενος, αὐτὸς ὁ τελειῶν, in Apostolis et ceteris Christianis.

22. Ὁ καὶ — καρδίαις ἡμῶν) *Qui etiam certiores nos reddidit* (et tutos a metu miseriae et miseria ipsa,) *dando nobis quasi arrhae loco sensum vere christianum.* Σφραγισθεὶς est *sigillo munitus*, *nota insignitus*, et, quia hac insignitus est, *tutus* a vi et iniuria. Ergo tropice σφραγίζειν est *reddere certum*, *confirmare*, *corroborare*; certum et securum aliquem reddere, i. e. exhibere alicui caussam, quare nihil sibi metuat, praestare aliquem tutum et vacuum a metu. Ezech. IX, 4. Apoc. VII, 3. Hinc in epistolis Pauli Christiani σφραγισθέντες sunt, qui possident bona, quae inchoant futura, et, quia possident, tuti sunt a metu miseriae et miseria ipsa. (Vid. Morus l. c. p.

356. not. *) Certiores autem et tuti redduntur usu et experientia, v. 20., quae efficit, ut pari cum persuasione cetera a Deo promissa praevideant, nihilque perturbentur. Ἀῤῥαβὼν vox origine hebraica, עֲרָבוֹן, Gen. XXXVIII, 17. 18. 20. ab עָרַב, spondere, quam a Phoenicibus forte Graeci, et ab his Romani acceperunt. Varia significat, et inter alia *arrham*, i. e. primam partem pretii, datam, ut de toto pretio secuturo certus esse possis, *Handgeld*. Sic Lexicographi: ἀῤῥαβὼν, ἡ διδομένη προκαταβολὴ, πρόδομα, quia tota summa nondum soluta est. Plaut. Mil. Act. IV, Sc. I. *Hunc arrhabonem amoris a me recipe.* Τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος, i. e. τ. ἀῤῥαβ. ὅ ἐστὶ πνεῦμα. Πνεῦμα autem est sensus ille christianus et nobilior, quo sunt tranquilli animis, et in proposito rectius agendi firmi perstant. Rom. VIII, 4. *Arrha*, sc. *futurae felicitatis*. Sensus igitur est: Ea felicitas, animi tranquillitas et laetitia, quam in nobis efficit religio christiana, spem nobis facit certissimam, fore, ut haec tanta felicitas non tantum perduret, sed et magis magisque augeatur in vita illa futura, quam nobis per Christum promisit Deus optimus. Ergo non opus est, ut cum nonnullis (quibus *Storrius* accedit, pag. 103.) πνεῦμα accipiamus de Spiritu, auctore miraculorum, quibus Evangelium firmabatur ab Apostolo.

23. Ἐγὼ δὲ—ψυχὴν) *Deum testem appello, contra me*, i. e. vindicem severum, si vera non sint, quae vobis scribo. Ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν, *in me, contra me* (hebr. לְנַפְשִׁי); ut Deus me puniat, ni vera loquar. Hic oportuit auspicari secundum caput; nam Paulus

nunc ad aliud argumentum transit, seu potius ad coepta redit, v. 17. „Ἐλαφρίᾳ igitur *οὐκ ἐχρήσατο*. Quae ergo causa fuit cunctationis? summa caritas a tristitia carissimo coetui paranda abhorrens. Scilicet non prius venire instituerat, quam cunctis se probari, omniaque pacata et laeta esse resciverit, id quod turbis ob poenam incestuoso homini inflictam adhuc durantibus fieri non poterat. Quin mediis istis turbis intervenienti verendum erat, ne aut flagitium istius hominis, aut partium studia ex severitate apostolica acrius castigando magis etiam omnia misceret, invisosque sibi redderet plurium animos.“ *Emmerling* ad h. l. *ἔτι φειδόμενος —Κόρινθον*) *Me tantum vobis parcendi caussa nondum venisse Corinthum.* Erant et aliae caussae, cur iter differret Corinthum, sed haec non minima, quod vellet, eos ante adventum suum penitus corrigi, ne aut verbis aut factis asperioribus uti cogeretur. Vide infra XII, 20. 21. et 1 Cor. IV, 21.

24. *Οὐχ — πίστεως*) *Non quasi vi ad religionem et fidem vos cogere vellemus.* Est *ἀνθυποφορά*. Videbatur enim imperiose dixisse, non *parcens;* itaque removet a se hanc suspicionem. Nihil volumus a vobis credi, nisi quae Christus praecepit. Si quid vi, vel pro lubitu imponeremus, hoc esset dominatum exercere in fidem. *ἀλλὰ—ὑμῶν*) *Sed laboramus* (una cum Christo), *ut gaudii fiatis participes*, nempe aeterni. Non reddimus vos tristes sine caussa et necessitate, sed eo fine, ut vos ad veram felicitatem perducamus. *Storrius* verba *οὐχ ὅτι—χαρᾶς ὑμῶν*, sic interpretatur: *Non modo non dominamur in vos credentes, sed vestrae etiam laetitiae adiutores sumus.* Nam *οὐχ ὅτι, οὐχ*

ὅπως et similes formulae instar latinae *non modo*, etiam *non solum non* significare possunt, si ἀλλὰ cum negatione sequitur. Cf. *Zeunium* ad *Vigerum* p. 451. Respicere videtur Paulus ad Corinthienses paedagogos, qui ei crimini dederant, quod in eos, qui doctrinae ipsius fidem habuerint, dominari soleat. Τῇ γὰρ πίστει ἑστήκατε) *Fide enim* (ad quam perducti estis a me) *beati evasistis* et floruistis. Στήκειν enim interdum etiam significat, *non damnari, absolvi, servari, salvum esse*, cui opponitur πίπτειν, *damnari*. Rom. XIV, 3. 4. Alii: *Nam in religione permanetis;* nondum defecistis a religione. Ideo tantum operae impendo, ut fides ista vobis constet. Nihil quaero, nihil exigo aliud. Ἑστήκατε, Praeteritum more hebraeo pro praesenti.

CAP. II.

1. Ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ τοῦτο) *Constitui vero apud me.* Ἐμαυτῷ, i. e. ἐν vel παρ' ἐμαυτῷ. τὸ μὴ — ὑμᾶς) Traiectio hic est, et duae voces pro una. Sensus enim est: μὴ ἀνελθεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ τοῦτο ἐν λύπῃ, non redire ad vos, ita ut vos tristitia afficiam, acriter monendo et reprehendendo; vel, ut alii volunt: cum tristitia, ex pravis vestris moribus animo meo concepta, qualem in superiore mea epistola testatus sum; ut sermo sit de eo moerore, quem ipse erat percepturus, ob comma 3. *Emmerlingius* utrumque coniungit, ἐλθεῖν ἐν λύπῃ sic explicans: *tristem ad tristes venire.* De suo enim ac Corinthiorum moerore in sequentibus ita agit, ut Iter ab altero non seiungatur.

2. Εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς) *Si enim* (Corinthi praesens) *tristitia affecissem vos.* καὶ τίς—με) *Quis me exhilarare potuisset*, efficere potuisset, ut iucunda apud vos esset commoratio mea, sicut inter amicos fieri solet? Et vos tristes fuissetis, et ego. Nam Pauli moeror coniunctus erat futurus cum illo Corinthiorum. εἰ μὴ ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ) *Nisi vos, a me tristitia affecti?* Ac proinde nemo. Vos soli estis, qui me Corinthi exhilarare potestis; si autem vos ipsi tristes estis, hoc non poterit fieri. Quomodo enim tristis alium exhilarabit? Singulare pro plurali, ut in collectivis. Alias aliorum huius loci explicationes vide apud Semlerum.

3. Καὶ ἔγραψα ὑμῖν τοῦτο αὐτό) *Nam id ipsum scripsi vobis*, nempe in superiore epistola; nam de ea esse sermonem, docet comma sequens. Innuit sine dubio id, quod 1 Cor. V. scripserat de corrigendo vel eiiciendo adultero. Hoc vero repetere non vult, quia odiosum erat. ἵνα μὴ—χαίρειν) i. e. ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω ἀπ' ἐκείνων, ἀφ' ὧν ἔδει με χαίρειν. Sensus est: *Ne, si venirem ad vos, nondum correctis illis vitiis, dolorem acerbum caperem, propter eos, qui laetitiam mihi afferre debuissent*, i. e. propter vos. πεποιθὼς—ὑμῶν ἐστιν) *Ita bene de vobis omnibus sentiens, ut crederem, id quod mihi laetitiam affert, vobis etiam esse gratum.* Vos ego putavi tanti me facere, ut id ipsum vobis gaudium maxime afferret, quod mihi placere intellexeritis.

4. Ἐκ γὰρ — δακρύων) *Multo nempe doloris et moeroris sensu affectus scripsi vobis, multas inter lacrymas.* Συνοχὴ καρδίας, *moeror*, nam ex moe-

rore cor quasi constringitur. *οὐχ ἵνα λυπηθῆτε*) i. e. non malo animo, vel odio in vos, quasi vestra tristitia mihi esset iucunda. Cf. cap. VII, 9. 10. Non male suspicatur *Storrius* (p. 94.) adversarios Pauli calumniatos esse, indignum esse tenerrimo, quem ipse crepare soleat, parentis animo facinus, quod praetextu matrimonii ab Antipaulino initi, tam cupide occasionem arripuerit, adversariam partem, a qua iniuriam passus sibi videatur, ulciscendi, ut, paedagogi verius quam parentis vultu, in suorum hominum patientiam invectus, invisi adversarii excommunicationem imperiose extorqueret, et amicos sibi Corinthios in acerbum a se moerorem coniectos fuisse, in sinu gauderet.

5. *Εἰ δὲ—πάντας ὑμᾶς*) *Si quis* (nempe incestuosus ille) *tristitiae auctor exstitit, non tam me, quam potius quodammodo* (*ne quid gravius dicam,*) *vos omnes moerore affecit.* *Ἐπὶ μέρους* referendum est ad *πάντας ὑμᾶς*, *quodammodo* (h. e. etsi non valde, at quodammodo tamen) vos omnes ille tristitia affecit. Facinus enim ab illo commissum tantum est, et tam grave, ut eius turpitudo ad universam societatem vestram redundare videatur. *Ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ*, similiter multi retulerunt ad *πάντας*, sed parenthesi includenda sunt haec verba, et reddenda: *ne quid gravius dicam.* Nolim iam hominis flagitium porro exprobrando augere, postquam facti eum poenituit. *Storrius* verba *ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ πάντας ὑμᾶς* cum sequenti v. 6. coniungit, hoc modo: *Ne molestiam vobis omnibus adspergam, sufficit ei, excommunicationis poenam ex plerorumque suffragiis hactenus sustinuisse. Molestus* (*ἐπιβαρεῖν*), inquit, Corinthiis suae partis

laulus fuisset, si mitiori consilio eorum, qui honori ecclesiae per poenam ab excommunicato adhuc datam satis cautum esse putabant, unus obstare ausus esset. Tum enim Pseudapostoli eorumque asseclae multo vehementius et speciosius Paulum accusare, atque ita Corinthiis ei amicis, et contumelias in ipsum participantibus acerbiore exprobratione et gravioribus criminationibus de tali magistro molesti deinceps esse potuissent.

6. Ἱκανὸν — πλειόνων) *Sufficiat homini illi* (corrigendo) *animadversio a pluribus facta*, sc. a presbyteris postquam legerant epistolam Pauli priorem, vel potius a plurimis vestrum, nam presbyteri non fuerunt πλείονες, sed *pauci*. Nomen ἐπιτιμίας, quod alias significat *honorem*, hic eadem notione ponitur, qua saepius τὰ ἐπιτίμια apud Profanos dicuntur, nempe pro *poena legibus constituta*. Sic *Philonis* de Praem. et poenis liber, inscribitur περὶ ἄθλων καὶ ἐπιτιμιῶν. In Conciliorum Actis et apud *Chrysostomum* de Sacerdotio, *poenae canonicae* vocantur ἐπιτιμίαι et ἐπιτίμια.

7. Ὥστε — χαρίσασθαι) *Proinde vos magis ei ignoscere, animumque eius erigere debetis.* Subauditur *velim*, quasi dicat: Nihil vos accuso nunc ut nimium remissos; imo ad lenitatem ultro hortor. μήπως — ὁ τοιοῦτος) i. e. *ne nimio moerori succumbat*, et aut vitae suae noceat, aut plane desperet, et a fide desciscens salutis aeternae faciat iacturum. Graeci *moerorem* dicunt *cor edere et devorare*. Homerus *Odyss.* I. v. 75. ὁμοῦ καμάτῳ τε καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἔδοντες, *labore et doloribus animum rodentes.*

8. Κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην) *Ut ratam faciatis in illum charitatem*, i. e. ut publico ecclesiae consensu declaretis, vos illum denuo pro fratre complecti, sicut publico ecclesiae iudicio fuit eiectus. Κυρῶσαι, *roborare, ratum facere*, vel, ut hic: *idoneis argumentis aliquid probare.*

9. Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ ἔγραψα) Nempe ea, quae sunt in priore Epistola c. V. ἵνα—ὑπήκοοι ἐστε) *Ut experirer, an mihi per omnia obedientiam sitis praestituri.* Δοκιμή, *experimentum*, hic vero per meton. ipse animus, qui experientia facta patescit. Supplendum est: Atque de hoc vestro in me animo et studio certiorem me fecit Titus. Cf. c. VII, 11. 16.

10. Ὧι δὲ—ἐγὼ) Sc. χαρίζομαι. *Si cui quid condonatis*, ex aequitatis et lenitatis regulis, *et ego* illud ratum habeo. καὶ γὰρ ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι κεχάρισμαι, δι' ὑμᾶς, ἐν προσώπῳ Χριστοῦ) Sc. κεχάρισμαι. Haud exigua lectionis varietas; sed haec lectio videtur vera esse. Sensus est: *Nam quicquid ego condonavi, si aliquid condonasse dicendus sum, id condonavi propter vos*, i. e. testificandi in vos favoris mei caussa, *approbante Christo.* Videntur haec verba innuere, Paulum non ignorasse, propendere Corinthiorum animos ad remittendam aliquam eius poenae partem, postquam ille incestus reus per menses aliquot communione caruerat. *Propter vos*, quia scio, vobis hoc in votis esse. *Storrius* (p. 96. not. 180.) eos libros sequitur, qui verba ᾧ vel ὃ κεχάρισμαι omittunt, et vertit, *Nam* (ut *vestra caussa* v. 4. succensui et animadversionem suasi, ita etiam) *ego quum quid*

ignovi, vestra caussa (ignovi). Ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, *religiose*, sic, ut Christum, Dominum ecclesiae praesentem et inspectantem cogitarem, et, quid ipsi acceptum esset, ponderarem. Non igitur per levitatem ago (c. I, 17.) aut laetitia ex obsequio vestro percepta praeceps feror, sed, ut ante, quum ad puniendum hortarer, ita nunc, quum veniam dari patior, rationes vestras probe expendi.

11. Ἵνα μὴ—ἀγνοοῦμεν) *Ne circumveniamur a Satana, cuius machinationem non ignoramus.* Πλεονεκτεῖν proprie dicitur, *qui plus aliis habere cupit*, metonymice, *qui alios circumvenit;* is enim plus suo habere solet. Verebatur nempe Apostolus, ne, incesti receptione in aliud tempus differenda, bene erga ipsum affectis Corinthiis aliquod vulnus imponeretur, unde infirmiores reddi possent ad criminationes repellendas, quibus Satanas per suos ministros voluntatem ecclesiae a Christo alienare moliebatur. Qua de caussa restitutionem excommunicati non modo concessit amicis, sed etiam suasit et commendavit. Νοήματα, *consilia prava.* Haud obscure innuit Paulus, adversarios eius omnibus modis calumniisque abusos fuisse, ut ei invidiam et infamiam suscitarent.

12. Ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Τρωάδα) Nempe post scriptam ad vos epistolam priorem. Spectat hoc ad historiam Act. XX, 6. εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ) Nempe *ad praedicandam doctrinam Christi.* καὶ θύρας—ἐν κυρίῳ) *Etiamsi ostium mihi esset apertum per Dominum*, i. e. etiamsi mihi commoda occasio data esset a Domino, docendi Evangelium. Καὶ h. l. habet vim

augendi. Ἐν κυρίῳ, *per Dominum.* Alii: per meam doctrinam de Christo. οὐκ — πνεύματί μου) *Tamen impatiens morae fui;* (proprie: remissionem non habui τῷ πνεύματί μου, *apud me*) quia nempe scire cupiebam, quomodo epistola illa a vobis esset accepta. τῷ μὴ — ἀδελφόν μου) *Quod non invenirem Titum fratrem meum*, quem a vobis reducem exspectabam. Subaudiendum est ἐπί. Non infrequens est constructio. *Polyb.* L. X, c. 36. *Ne Scipio quidem* utile fore iudicavit, ut fugientes e vestigio persequeretur, τῷ διέναι τὴν τῶν ἄλλων στρατηγῶν ἔφοδον, *quod reliquorum ducum adventum vereretur.* Idem L. IX, c. 17. τῷ μὴ δύνασθαι τοὺς ἔνδον αὐτῷ συνεργεῖν διὰ τὸν καιρόν, *quia, qui intus erant, opem illi ferre non poterant, tempore destituti.*

13. Ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς) *Sed quum valedixissem illis*, qui sc. erant Troade. Subauditur nomen ex voce Troadis.

14. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις (ἔστω). Solemne est Paulo, commemorato aliquo Dei beneficio in eius laudes effundi. Rom. VI, 17. — τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ) *Qui semper triumphare facit me per Christum*, i. e. qui per doctrinam de Christo Iesu omnia superare iubet impedimenta. Θριαμβεύειν, pro Hiphil, sicut βασιλεύειν est *facere ut quis regnet*, 1 Sam. XV, 35. VIII, 22. XII, 1. Gratias agit Deo pro felici successu praedicationis Evangelicae, non obstantibus impedimentis variis. Sic triumphabat quasi Apostolus de Iudaeis, varia impedimenta ipsi obiicientibus. *Wetstenius* θριαμβεύειν explicat: *in tri-*

umpho circumducere, ut sit sensus: Deus nos tanquam in triumpho circumducit, ut non maneamus in loco, aut in alium proficiscamur pro lubitu nostro, sed ut placet sapientissimo moderatori. Quem Damasci vicit, non Romae, et semel, sed per totum terrarum orbem, quamdiu vivit, in triumpho ducit. *καὶ τὴν ὀσμήν — τόπῳ*) *Et bonum cognitionis suae odorem ubique per me spargit*, i. e. efficit, ut iucunda et utilissima haec doctrina per me latissime propagetur. Ὀσμή, *odor quicunque, fragrantia*, metaphorice est, *omnis res iucunda et utilis, quae longe lateque spargitur et propagatur*, metaphora desumta ab aromatibus, quae late suum spargunt odorem. Hinc *ὀσμὴ τῆς γνώσεως*, vocatur doctrina Christi, quia homines ipso suo argumento allicit et famam sui late spargit; manifestatur per eam *τὸ θεῖον*, Deus et eius praestantia. *Taanith* f. 7. 1. *Quicunque operam dat Legi propter ipsam Legem, ei fit lex aroma vitae*, S. D. *Prov. III*, 18. *VIII*, 36. *qui vero non dat operam legi propter ipsam, ei fit aroma mortis*, S. D. Deut. XXXII, 2. *Schir* R. II, 3. *Verbum legis, quod ex ore Dei processit, fuit διπρόσωπον, odoramentum vitae Israelitis, odoramentum mortis gentibus.*

15. Ὅτι Χριστοῦ — ἀπολλυμένοις) *Est nempe munus nostrum in propaganda religione Christi Deo gratum et acceptum, sive admittant homines hanc doctrinam, et salutem consequantur, sive non admittant, et salute aeterna excidant.* Videtur imitari phrasin hebraicam, לְרֵיחַ נִיחוֹחַ (ut Gen. VIII, 21.) *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*, quae indicat, Deo placere ea, quae adolebantur super altari. *Schleusnerus* (in Le-

xico N. Testamenti) verba: ὅτι — τῷ Θεῷ, vertit: *Nos sumus illi, per quos Deus religionem praestantissimam christianam tanquam suavem odorem spargit et propagat.* Eodem sensu. Nam εὐωδία, proprie *bonus, gratus et suavis odor*, metaphorice est *res quaevis suavis et grata.* Sic recte vocatur ipsa religio christiana. Ἐν τοῖς σωζομένοις, *respectu eorum, qui* religioni obediunt, et per eam *consequuntur salutem.* τοῖς ἀπολλυμένοις, *respectu eorum qui pereunt*, religioni non obediunt.

16. Οἷς μὲν — εἰς ζωὴν) *His quidem* (qui hanc meam doctrinam aversantur,) *odorem spargo letiferum, qui iis exitium affert* (sua culpa), *illis vero* (qui ea recte utuntur,) *quasi odorem vitae, quo recreantur, et salvantur. Ludovicus Capellus* monuit, esse in formulis ὀσμὴ θανάτου et ὀσμὴ ζωῆς Chaldaismum, et notari φάρμακον, sive salubre, sive lethiferum. Congessit quoque *Wetstenius* ad h. l. et *Buxtorfius* in Lexico Talmudico plura loca, in quibus formulae סַם חַיִּים *medicamentum salutiferum*, et סַם מָוֶת *medicamentum mortiferum* occurrunt. Sicut igitur medicamenta recte applicata, aegrotos recreant, minus recte applicata nocent, ita se res habet cum doctrina salutari. Idem sensus est, si ὀσμὴν explicamus *odorem.* Nam dantur etiam odores, qui alios reficiunt et recreant, alios enecant. Facile patet, *mortem* et *vitam*, hic, ut alibi, sumi de alia morte et vita, quam quae est corporis, nempe de exitio, et salute. Cf. not. ad v. 14. Ὀσμὴ εἰς θάνατον, *odor noxius, miseros reddens,* εἰς ζωὴν, *utilis, felices reddens.* Haec adduntur explicandi causa, doctrinam eatenus dici hic rem

odoratam, quae reficiat, quatenus utilis est, felicem reddit hominem ea utentem, eatenus conferri cum odoribus enecantibus, quatenus damno vergit iis, qui eam sibi oblatam repudiant. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς;) *Et quis ad haec idoneus?* scil. ad hanc provinciam administrandam. His verbis Paulus nec sibi, nec aliis Apostolis τὴν ἱκανότητα simpliciter abiudicat, sed respectu ad suas humanas vires habito, *Deum* se ceterosque Apostolos pares et idoneos tanto muneri sustinendo fecisse affirmat, ut patet ex c. III, 6. Hoc epiphonema habendum esse videtur pro parenthesi, a qua sequentia non pendent. Commate 17. ratio redditur eorum, quae comm. 15. et 16. traduntur, quod scilicet munus Apostolicum aliis quidem salutare, aliis minus tale sit. Vulgata et paucae latinae versiones habent: *et ad haec quis tam idoneus?* De cuius lectionis falsitate vid. *Wolfius* in Curis ad h. l.

17. Οὐ γὰρ — τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ) *Non enim, ut multi solent, doctrinam Christi corrumpo.* Ἐσμὲν καπηλεύοντες dicitur pro καπηλεύομεν graecismo satis noto. Καπηλεύειν (a κάπηλος, *institor, propola, caupo)* non solum significat *vendere* aliquid, *venale habere, lucrum captare,* sed et *adulterare, artificiose fucare et exornare.* De *vino,* aqua misto occurrit Ies. I, 22. Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *doctrina Evangelii.* Hanc adulterabant *falsi Apostoli;* nam hi sunt h. l. οἱ πολλοί. Nam non solum ex ipsa doctrinae tractatione lucrum quaerebant, sed et ineptis fabulis eam corrumpebant; (Iudaeorum alliciendorum causa;) mendaciis insignibus de instante fine mundi, de novo regno Christi per mille annos, homines concutie-

bant, atque bonis fortunisque suis non invitos exuebant. Alii suspicantur, hos falsos Apostolos Corinthiis in illis praesertim indulsisse cupiditatibus, quibus haec urbs prae aliis immersa erat, e. g. scortatione, nuptiis incestis, nimia divortiorum licentia, luxu, et nimis familiari cum gentilibus etiam in comedendis εἰδωλοθύτοις commercio. Hoc sensu aptiores erant falsi Apostoli ad Evangelium magno cum applausu praedicandum, quam Paulus, aliique genuini Christi Apostoli, qui soli Deo suam debebant ἱκανότητα, c. III, 5. 6. ἀλλ' ὡς ἐξ εἰλικρινείας) Sc. λαλοῦμεν τὸν λόγον. *Sincere*, quam possum integerrime Evangelium doceo, sine spe et proposito lucri aut honoris externi. Ὡς, ut Io. I, 14. ὡς ἐκ Θεοῦ) *A Deo iussus*, ut a Deo per Spiritum sc. edoctus sum. κατενώπιον τοῦ Θεοῦ) *Deum prae oculis habens*, ἐν Χριστῷ) *Nomine Christi*, tanquam legatus ipsius, c. V, 20. Vel etiam: Plane idem doceo, quod Christus de se docuit.

CAP. III.

1. Ἀρχόμεθα — συνιστάνειν;) Πάλιν spectat ad ea, quae sunt in priore Epist. ad Corinth. c. V. IX. XIV. Est autem positum ἀρχόμεθα pro: *opusne est, ut incipiamus?* Est interrogatio pro negativa; quasi dicat: *minime id opus;* cum quo sensu bene cohaerent sequentia. εἰ μὴ — συστατικῶν) Pro εἰ μὴ habent ἢ μὴ codices nonnulli satis antiqui, ex versionibus Vulg. It. Syr. Arr. Copt. et Theodoretus. Tum sensus est: *Aut num mihi, sicut aliis quibusdam, opus est commendatitiis litteris aliorum ad vos, aut vestris ad*

alios? Sic haec verba bene cohaerent cum praecedentibus. Qui probant lectionem εἰ μή, vertunt: *nisi forte* etc. et εἰ μὴ dictum esse volunt per ellipsin pro: εἰ μὴ οἴεσθε ὅτι χρῄζομεν etc. Quicquid sit, dicit hoc Apostolus, aliorum deridens ambitionem, ut sit sensus: Non opus est mihi commendatitiis litteris, quales ostendunt illi adversarii mei et falsi Apostoli, ad captandam benevolentiam. Pungi videntur adversarii e Palaestina potissimum adventantes. Fortassis auditores nonnulli Iacobi et Petri, insciente utroque Apostolo cum litteris aliarum ecclesiarum, quas pervagati fuerant, Corinthum venerant: deinceps vero per sectatores suos Corinthios eorumque litteras mira disseminarunt de suis in rem christianam meritis, quae ab ipsis demum constituta fuerit Corinthi.

2. Ἡ ἐπιστολὴ — καρδίαις ἡμῶν) *Vos enim ipsi talis epistolae loco mihi estis, qui animo meo inscripti estis*, i. e. conscius mihi sum, vos mihi commendationi esse. Si commendatitia epistola mihi forte opus sit, potero vos producere testes doctrinae et institutionis. γινωσκομένη — ἀνθρώπων) *Quae epistola cognoscitur et legitur ab omnibus hominibus*, i. e. qua ego commendor toti mundo. Doctrinae a me perceptae studium et fructum tam luculenter soletis prae vobis ferre, ut nemini possit obscurum esse, me vobis recte atque diligenter tradidisse doctrinam Christi. Omnibus hominibus innotescitis tanquam discipuli mei, me digni. Ista *realis* quasi commendatio facit, ut a vobis epistolam atramento scriptam me postulare, non opus sit. *Fritzschius (de nonnullis poster. P. ad Cor. Ep. locis* Diss. duae. Lips. 1824. p. 21.

Diss. I.) sensum huius loci recte explicat: *vos, Corinthii, eiusmodi estis epistola, in qua non magis ego facile acquiescam* (quoniam vos scio me commendare, ἐγγεγρ. ἐ. τ. κ. ἡ.) *quam ceteri homines* (quoniam haec epistola in omnium notitiam venit, γινωσκομένη κ. τ. λ.)

3. Φανερούμενοι — ἡμῶν) *Manifestum est enim vos esse epistolam Christi, meo ministerio scriptam.* Χριστοῦ hic est Genit. possessionis, et ἐπιστολὴ non, ut v. 2., epistola commendatitia, sed epistola simpliciter, ut ludat Apost. ἐπιστολῆς vocabulo, nihil dicens verbis ὅτι ἐστὲ ἐπ. Χρ. nisi quod *estis homines Christiani* (vid. *Fritzsche* l. c. p. 22. sq.). Participium φανερούμενοι apponitur ad pronomen antecedens ὑμεῖς. φανερούμενοι ὅτι ἐστὲ, pro: ὅτι φανερῶς ἐστε. Διακονηθεῖσα ὑφ' ἡμῶν, *ministerio mea scripta.* Christus in scribenda hac epistola meo ministerio usus est. Διακονεῖν, operam suam in aliqua re perficienda collocare. Continuat Apostolus et variat imaginem ab epistola desumtam. Sensus est: *Omnes sciunt* Christum meo ministerio vos edocuisse. ἐγγεγραμμένη — σαρκίναις) *scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non tabulis lapideis, sed tabulis cordis carneis.* Epistolae scribuntur atramento; sed Corinthii ad religionem perducti erant per eam institutionem cuius auctor est Deus. Et hoc monumentum est aere perennius; nam inscriptum est οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, non in tabulis marmoreis, sed ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις, pectoribus hominum. Affirmativa harum ἀντιθέσεων pars (utor *Fritzschii* verbis, hunc locum egregie illustrantis): ἀλλὰ πν. Θ. ζ. et ἀλλ' ἐν πλ. κ. σαρκ. simpliciter enunciat

Corinthiorum tanquam epistolae Christi naturam, qui eo erant epistola Christi, quod spiritus sanctus (1 Cor. III, 16.) in eorum animis operabatur; negativa contra: *οὐκ ἐν μέλανι* et *οὐκ ἐν πλ. λιθ.* eo adiecta videtur, quod innuere voluit Paulus, se de epistola non proprie, sed tralate sic dicta loqui, ut ad *πλάκας λιθίνας* eo delaberetur, quod accommodate ad nonnulla V. T. loca (Prov. III, 3. VII, 3. Ier. XVII, 1., ubi sermo est de iis, quae penitus animo infixa haerent) cordis notionem per tabulas cordis expressurus erat, quibus tabulis carneis nihil tam commode, quam tabulas lapideas opponere potuit. Itaque non repugnat, epistolam, quam constituunt Corinthii, Vs. 2., Pauli animo infixam, Vs. 3., epistolam Christi Corinthiorum animis inscriptam dici. Nam inde constat Paulo, Corinthios sibi pro epistola commendatitia esse, quod sunt epistola Christi, h. e. homines per se ad Christum adducti, ut in eorum animis spiritus s. efficax sit. Sensus igitur Vs. 2. 3. hic prodit: scio vos Corinthios mihi esse loco epistolae commendatitiae apud omnes homines, quoniam estis epistola non sensu proprio quidem, sed epistola Christi sensu tralato a me exarata, h. e. cum estis per me ad Christum traducti homines, quorum animis litterarum instar infixus sit spiritus sanctus.

4. *Πεποίθησιν — Θεὸν*) *Talem vero certam persuasionem* (de effectu muneris mei) *ego debeo per Christum Deo.* *Πεποίθησις* h. l. est certa Apostoli persuasio de fructu muneris sui apud Corinthios. Hanc persuasionem et muneris sui fructum refert *πρὸς τὸν Θεὸν*, auctorem, qui eum huic muneri idoneum reddiderat *διὰ τοῦ Χριστοῦ*, *per Christum*, a quo Paulus

doctrinam suam, moderante Deo, acceperat. Gal. I, 12. Cf. c. II, 16. πρὸς τὸν Θεὸν, pro ἐπὶ τῷ Θεῷ, vel πρὸς hebr. more indicat Dativum, ut c. III, 2. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς; Ad hanc quaestionem nunc respondet. Cohaerent tamen haec verba etiam cum proxime antecedentibus. Multum omnino est, quod vobis tribuo; sed confido per Deum et Christum hoc ita esse, et vos porro quasi commendationis loco mihi et meo ministerio fore.

5. Οὐχ ὅτι — ἑαυτῶν) *Non quasi mihi ipsi insit facultas excogitandi* (eiusmodi) *aliquid, tanquam repertum a me*, et ingenii mei viribus. Fatetur Apostolus, eiusmodi modum perducendi homines ad salutem aeternam a se reperiri haud potuisse, sed habere se doctrinam suam ex revelatione divina. Ideo quum dixisset ἀφ' ἑαυτῶν, repetit ὡς ἐξ ἑαυτῶν. *Demetrius Phaler.* de Elocut. Θεόφραστός φησιν, ὅτι οὐ πάντα ἐπ' ἀκριβείας δεῖ μακρηγορεῖν, ἀλλ' ἔνια καταλειπεῖν καὶ τῷ ἀκροατῇ συνιέναι, καὶ λογίζεσθαι ἐξ αὐτοῦ. ἀλλ' ἡ — Θεοῦ) *Sed haec meae doctrinae praestantia tota Deum habet auctorem*, quod docendo sum idoneus, debeo Deo.

6. Ὃς καὶ — διαθήκης) *Qui etiam dignos habuit nos, ut constitueret ministros novae religionis;* doctores religionis perfectioris, nempe christianae. De nomine καινῆς διαθήκης cf. Prolegomena ad Evangelia. Vox διακόνου hic generaliter sumitur, ut 1 Cor. III, 5. οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος) *non litteris perscriptae, sed spiritualis* (excellentioris) *religionis.* Γράμμα est *lex Mosis*, quae sic appellatur, quia pri-

mum per scripturam promulgata est. *Religio christiana* autem vocatur πνεῦμα ab Apostolo, quia eius prima promulgatio sine litteris et scriptura per Spiritum sanctum facta est, et quia multo praestantior est et perfectior lege Mosaica. Quo tempore Paulus hanc epistolam scripsit, doctrina Christi ore tradi solebat, non litteris. Graeci interpretantur: καθ' ἣν (διαθήκην) οὐ γράμματα ἐπιστεύθημεν, ὡς Μωσῆς, ἀλλὰ πνεῦμα διδόναι, ut γράμματα sint scriptae leges. Πνεῦμα per meton. caussae pro effectu, *Evangelium*, melior religio, quae Spiritum sanctum ita habet auctorem, ut scripta lege non sit opus. Loquitur Paulus de suis temporibus. Nam post fata Apostolorum omnino necessaria erat consignatio doctrinae Christi per litteras. τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει) *Lex enim scripta* (Mosaica) *supplicia sumit.* Lex Mosis non solum minata est mortem et poenas, sed etiam sumsit supplicia. Nec illa lex novas animo vires addere potuit. τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ) i. e. *Evangelium vero promittit et confert vitam*, nempe vires recte agendi, felicitatem et salutem aeternam. Spiritus sanctus in hominibus Christianis non solum promittit vitam aeternam, sed re vera etiam confert (ζωοποιεῖ), ut recte dicatur πνεῦμα ζωῆς Rom. VIII, 2. et πνεῦμα ζωοποιοῦν 1 Cor. XV, 45.

7. Εἰ δὲ ἡ διακονία — ἐν δόξῃ) Laudat nunc Apostolus dignitatem et praestantiam muneris sibi et aliis religionis christianae doctoribus demandati, comparatione instituta religionis christianae cum vetere illa Mosaica. Sensus esse videtur: *Quod si autem munus promulgandae legis scriptae, quae supplicia sumit, lapidibus impressae, gloriosum fuit* etc. Nam διακονίαν, ut alias saepissime, ita etiam h. l. esse munus, satis apparet ex

sequentibus, ubi ἡ διακονία τοῦ πνεύματος (v. 8.) et τῆς δικαιοσύνης (v. 9.) opponitur τῇ διακονίᾳ τοῦ θανάτου (v. 7.) et τῆς κατακρίσεως (v. 9.). Quum vero ἡ διακονία sensu proprio non possit dici ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, illa διακονία τοῦ θανάτου esse posset ἡ διαθήκη τοῦ θανάτου, opposita τῇ καινῇ διαθήκῃ (v. 6.). Ista διαθήκη autem erat *lex* Mosis, inprimis Decalogus; etenim non tantum additur ἐν γράμμασι, sc. οὖσα, quod de universa lege Mosis intelligi posset, sed etiam, ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, quod de Decalogo tantummodo valet. Leges tamen caerimoniales et politicas non excludi, universus contextus docet. Decalogus erat quasi epitome et summa totius legis Mosaicae. Sed praeferenda omnino est *Fritzschii* sententia, qui (l. c. p. 28.) observat, Paulum διακονίαν dixisse ἐντετυπωμένην ἐν λίθοις, quoniam *obiectum* διακονίας (leges divinae cum gente Israelitica communicandae) in tabulis lapideis incisum erat. Munus igitur, quod Mosi demandatum est, ἐγενήθη ἐν δόξῃ, i. e. δοξαστὸν, cum splendore quodam externo coniunctum; nam statim sequitur: ὥστε μὴ δύνασθαι — καταργουμένην, *ita ut Israelitae non possent intueri Mosis faciem, propter nimium eius splendorem, qui tamen desinebat.* Cf. Exod. XXXIV, 29. δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Fritzschius*, sublato Commate post ἐν γράμμασιν, totius Vs. sensum constituit sic: *si munus suppliciorum plenam ferendi legem, literis consignatam, et ita quidem, ut hae literae lapidibus insculptae essent, splendore corruscabat, ut Israelitae Mosis vultum recta intueri non possent propter hunc ipsum vultus splendorem, qui tamen evanuit.* Τὴν καταργουμένην, sc. δόξαν, *evanidam, parvi temporis*; nec enim ille

splendor faciei per omnem Mosis vitam duravit, sed desiit. De splendore faciei Mosis consulendi sunt interpretes ad l. c. *Herm. Hardtius* in Ephemeridibus Philolog. p. 136. sqq. hunc splendorem de calore et rubore vultus Mosaici interpretatus est. *Hic igitur devotionis ardor*, inquit, *ut totum corpus corripuit, et Spiritus incendit; ita et praecipue vultum inflammavit, ut inter preces frons, oculi et os arderent ac radiarent, sicque cutis faciei instar ignis suo rubore et calore reluceret.* Cf. *Wolfii* Curas ad nostrum locum.

8. Πῶς — ἐν δόξῃ) *Quidni illud munus, quod circa religionem praestantiorem versatur, sit illustrius?* Quanto maiori conspicuum erit splendore ministerium spiritus, propter magnam scil. spiritus prae lege praestantiam (v. 6.)? Argumentum a minori ad maius. Vos, experientia edocti, ingens intelligitis discrimen inter religionem Mosis et religionem christianam, quam ego vobis trado; igitur non dubito, ministerium meum apud vos in maximo fore honore. In voce δόξα est *dilogia*; nam v. 7. significat *splendorem externum*, hic vero id, quod maximo honore sit dignum, propter internam suam praestantiam.

9. Εἰ γὰρ — δόξα) Sc. ἐστί. *Si enim ministerium promulgandi legem, quae homines miseros reddit, in magno fuit honore.* Repetit, quod v. 7. 8. dixerat, aliis tantum verbis. πολλῷ — ἐν δόξῃ) *Multo magis ministerium gratiam* (Dei) *annuncians in maximo honore esse, vel excellens et praestans haberi debet.* Cf. Rom. V, 16. seqq. Δικαιοσύνη, *gratia, bene-*

volentia divina, opponitur τῇ καταιρίσει. Alii intelligunt veram virtutem. Περισσεύει construendum est cum ἐν δόξῃ, et intelligendum est *logice*.

10. Καὶ γὰρ — δόξης) *Quid, quod munus illud, quod in tanto honore fuit, isto nomine ne comparari quidem possit ad hoc longe excellentius munus.* Τὸ δεδοξασμένον h. l. est *munus Mosis*, quod fuit splendidum, διακονία τῆς κατακρίσεως. Sed idem hoc munus οὐδὲ δεδόξαστται, ne excellens quidem nominari potest. Ἐν τούτῳ τῷ μέρει, *hac ratione; hoc nomine*, si respicitur ad hanc διακονίαν τῆς δικαιοσύνης, vel: *ex hac parte*, si nempe comparetur cum longe eminentiore praestantia et dignitate religionis christianae. Ἕνεκεν τ. ὑπ. δ. *respectu huius eminentioris dignitatis;* i. e. comparata ad hanc excellentiorem dignitatem, quae inest nostro ministerio. *Fritzschio* eo solum fine hic Vs. adiectus esse nono videtur, ut verbi περισσεύειν, v. 9., ratio redderetur; quasi dicat Apost.: *abundat* ministerium religionis christ. dignitate; nam muneris Mosaici fulgor prae magno illius honore vix iam cernitur.

11. Εἰ γὰρ — ἐν δόξῃ) *Quum enim, quod aliquando tollendum erat, illustre fuit, quanto magis, quod perpetuo mansurum est, gloriosum habebitur?* Τὸ καταργούμενον est munus illud Mosis (et cum eo coniuncta παλαιὰ διαθήκη, religio Mosaica, quae tantum certi cuiusdam temporis fuit, et esse debuit, Ierem. XXXI, 31. Διὰ δόξης, i. e. ἐν δόξῃ ἐγενήθη). Τὸ μένον, munus docendi Evangelium (et ipsa *religio christiana*, quae perpetuo durare debet, cui nova

alia oeconomia nunquam succedet; *τὰ μὴ σαλευόμενα*, Hebr. XII, 27.). Neque tamen praecipue de religione Mosaica finem habitura, et de religione christ. perpetuo duratura, h. l. agit Apostolus, sed totus in eo est, ut doceat, dignitatem muneris Apostolici maiorem esse, quam illius muneris Mosis, et legatos Christi in summo honore esse habendos.

12. *Ἔχοντες οὖν τοιαύτην ἐλπίδα*) Nempe spem, qua suum munus, permansurum illud, in summo honore esse confidit. *πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα*) Aperte et agimus, et loquimur, sine omni timore, licet Iudaei maxime offendantur, sicut eos Christi nova doctrina offendit. «Apostoli *παῤῥησία* in eo continebatur, quod, ut c. IV, 2. ostendit, abhorrens a falsorum Apostolorum malis studiis Christi doctrinam integram magis magisque divulgare studeret.» *Fritzsche* p. 33.

13. *καὶ οὐ—ἑαυτοῦ*) *Nec imitamur Mosen, qui velamen imposuit vultui suo.* Post *καὶ οὐ* supplendum est aliquod verbum, vel: *οὐ παρακαλύπτομεν, καθάπερ Μωσῆς ἐτίθει* etc. vel: Non facimus sicut Moses, qui etc. vel aliud eiusmodi. Plane et libere Evangelium docemus, nihil involventes. *πρὸς τὸ—καταργουμένου*). Πρὸς de *consilio* explicandum est. Sensus est: Moses velamine operuit vultum, eo consilio, *ne Israelitae viderent finem splendoris, quem vultus emittebat.* Splendebat vultus eius, illustratus gloria divina, quam cum Deo colloquens viderat, Exod. XXXIV, 30. sqq. Hic splendor postea *periisse*, Mose vero ad Deum redeunte renovatus esse videtur. Moses igitur, cui splendor hic apud populum durae cervicis multum

auctoritatis conciliabat, imposito velamine impediebat, ne finem huius splendoris viderent. Sic elegans est nexus cum v. 12. Nam parrhesiae oppositus est pudor; quia qui pudore tangebantur, velare caput solebant. Τὸ τέλος h. l. est finis et absentia splendoris, qui diutius potuisset perspici, nisi velum intercessisset. Sed *Fritzschius* contendit, τὸ καταργούμενον nec h. l. aliam, quam v. 11. potestatem habere, nimirum Mosis *munus*, quod sic dicitur, quod post Messiae adventum abolebatur; ut sensus sit hic: Moses velo se circumdedit, ne Israelitae sui muneris finem cognoscerent. Ad quam interpretationem probandam monet, nos in allegoria explicanda versari, additque: „Nihil aliud effert v. 13., quam sententiam v. 12. affirmativam negative: ego aperte ago, non tecte et fraudulenter, ut Moses. Hic tecte egit (quod eorum est, qui causae suae diffisi lucem fugiunt), ut scil. finem divinitus concessi, quod iamiam cessat, muneris operiret. Itaque eo arbitror Paulum ad Mosis velum delapsum esse, quod suam παῤῥησίαν fortiter et perspicue contrarium eius afferendo commendare vellet."

14. Ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν) *Imo vero mentes ipsorum vitium quasi stupiditatis sibi contraxerunt.* De Iudaeis sui temporis loquitur Apostolus. Ἀλλὰ h. l. non opponitur, sed sicut hebr. כִּי est pro ὥστε, vel γοῦν, *itaque, imo vero.* Πώρωσις saepe de mentis stupiditate usurpatur, ut Marc. III, 5. Eph. IV, 18. Sic et ipsum verbum occurrit de Iudaeis Marc. VI, 52. VIII, 17. Io. XII, 40. ἄχρι γὰρ— μένει μὴ ἀνακαλυπτόμενον) *Nam ad hodiernum usque diem idipsum velamen in lectione V. T. manet non revelatum.* Sic iungenda sunt verba. Alluditur

fortasse ad velamen illud, quo tegi solent Iudaei, quoties vel lectioni S. codicis, vel precibus in Synagogis vacant. Constat, velamen illud, caput tegens, a Iudaeis appellari טליתּ, *Tallis*, cuius conditionem describit *Lackemacherus* (in observatt. Philolog. Parte III.), qui in eo est, ut evincat, ritum hunc capitis in sacris velandi a Romanis ad Iudaeos profectum esse. Ἡ παλαιὰ διαθήκη, libri veteris Testamenti, praecipue vero *libri Mosis*, in quibus leges illius veteris religionis continentur. Quum hos libros in synagogis, sabbatis maxime, legunt et audiunt, *manet quasi istud velamen*, i. e. non perspiciunt verum sensum, nec caussas legum Mosaicarum, datas nempe esse eas ad tempus tantum. Satis patet, Paulum improprie loqui, et comparare Iudaeorum sui temporis statum moralem, cum Israelitarum veterum statu physico impediti oculorum usus. ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται) *nam per Christum* (religionem Christianam) *auferri potest*, sc. illud velamen. Sola Christi doctrina verum legis Mosaicae sensum et consilium aperit. Q. d. nunc apparet, cur Iudaeos obscurum illud velum etiamnum premat. Nam alieni sunt a Christo, qui solus auferre illud potest (cf. v. 16.).

15. Ἀλλ' ἕως — κεῖται) Μωσῆς, *scripta Mosis*. Hoc autem loco (cf. v. 14.) intelligitur ἡ παλαιὰ διαθήκη. Κάλυμμα hic est mentis quasi velamen, indicans, mentem ad cognoscendam veritatem minime esse aptam. Apostolus autem dicit, non tantum faciebus et oculis, sed et animis et mentibus Iudaeorum libros V. T. legentium obductum esse velamen. Καρδία, לֵב, mens, intelligendi facultas. «Duobus igitur velis Iudaeos im-

peditos legimus, altero, quod τὴν ἀνάγνωσιν τ. παλ. διαθ. contegeret, ut vel acuta mens oraculorum div. mentem non perspexisset, altero, quod ἐπὶ καρδίαν αὐτῶν ἔκειτο, quo significaretur, ipsum eorum animum ad intelligendum minime fuisse idoneum.» *Fritzsche*, p. 39.

16. Ἡνίκα — κύριον) Supplent nonnulli ἡ καρδία αὐτῶν, alii ὁ Ἰσραήλ, alii τὶς, vel ἕκαστος αὐτῶν. Κύριος h. l. est Dominus Iesus, verus Messias. Sensus est: *Si admittant doctrinam Christi et Apostolorum;* quod sine mutatione mentis in melius fieri haud potest. περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα) *Removebitur velamen.* Bene intelligent legem Mosis, eiusque consilium, et agnoscent, veteris illius religionis Mosaicae nullam amplius esse auctoritatem.

17. Ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι) Dominus est ita spiritu sancto perfusus, ut totus quasi τὸ πνεῦμα sit. Vel, si effectum spectes: Dominus, quippe spiritu divino plenus, auctor est perfectioris religionis (cf. v. 6.). Qui eius meliorem et praestantiorem doctrinam admittit, is de consilio et sensu legis Mosaicae recte iudicare potest. *Morus* (p. 358. **): *Quum dominum dico, intelligo illam divinitus datam religionis scientiam.* Ergo ad dominum accedunt Iudaei, qui hanc scientiam religionis amplectuntur. Etiam Gal. III, 2. 3. 5. πνεῦμα est scientia religionis, interna spectantis, cum effectis et commodis suis, ideoque praestantior religione iudaica, ad externa tantum pertinente. Sensus non multum est diversus. οὗ δὲ — ἐλευθερία) *Ubi autem Spiritus* (cogitandi et sentiendi ratio) *Domini*

est, ibi est libertas. Est in voce πνεύματος, ut mihi quidem videtur, Dilogia, Paulo frequens. Nunc enim τὸ πνεῦμα κυρίου est *Spiritus Domini Iesu*, eodem sensu quo Gal. IV, 6. quem locum vide. Potest tamen τὸ πνεῦμα κυρίου iterum esse *divinitus data religionis scientia.* Ἐλευθερία, *libertas*, sc. a servitute Mosaica, Io. VIII, 36. Iudaei γράμματι adhaerebant sicut servi, quibus liberum non est, agere aliquid sine peculiari praecepto; sed Christiani per hanc meliorem Christi doctrinam in statum libertatis sic vindicati sunt, ut ipsi intelligant, quid ad praestantiorem Dei cognitionem pertineat. Perfectam Pauli argumentationem *Fritzschius* bene exhibet sic: «Qui ad Dominum accesserit, is velo levatur. Nam Dominus spiritu gaudet divino. Ubi autem Domini spiritus regnat, libertas valet: *ubi libertas valet, nullum est velum.* Itaque ne apud Dominum quidem velum est. — Nititur autem eo haec Pauli ratiocinatio, quod velum antiquitus pro subiectionis et servitutis signo habebatur (1 Cor. XI, 10.).»

18. Ἡμεῖς δὲ — κυρίου πνεύματος) *Nos autem omnes, hunc Domini splendorem tanquam in speculo aperta facie videntes, simili ratione eodem splendore magis magisque ornamur utpote a Domino, h. e. divinitus data religionis scientia.* Sic fere hunc difficilem locum interpretatus est *Noesselt* in Opusc. Fasc. II. p. 174. sq. Ἡμεῖς πάντες, *nos omnes*, puta *doctores* aut Apostoli. Nam ἡμεῖς, *nos*, ante de se uno dixerat Paulus; nunc autem orationem ad omnes sui similes transfert, h. e. ad omnes qui διακονίαν τοῦ πνεύματος suscepissent, quam demonstra-

verat esse ἐν δόξῃ. Multo magis vero sententiarum nexui consentanea est *Emmerlingii* interpretatio, qui (*Fritzschio* quoque adstipulante) monuit, ἡμεῖς πάντες esse *omnes Christianos*. His enim iam v. 16. προσ. ἀνακεκαλ. tributum erat. Deinde ut Μωσῆς et Χριστὸς, κάλυμμα et προσ. ανακ., μὴ ἀτενίζειν et κατοπτρίζειν, πώρωσις et δόξα ἀπὸ δόξης sibi invicem respondent, ita et υἱοῖς Ἰσραὴλ nonnisi *Christiani* possunt opponi. Hos igitur Paulus dicit κατοπτριζομένους τὴν δόξαν κυρίου, *hunc Domini splendorem tanquam in speculo videntes*. His verbis non tam debilis et imperfecta, quam potius ea cognitio exprimitur, quae sic tributa esset interveniente doctrina Christi, ut radii a speculo redditi oculos ferire solent. Hoc patet vel ex adiectis verbis ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ, quibus modus describitur, quo illum splendorem vidissent. Nam, etsi sunt, qui haec verba referant ad faciem Christi, claris tamen verbis Paulus Iudaeorum mentibus quoddam quasi velum iniectum commemorat, v. 14. 15., non nisi a Christo detrahendum, qui κύριος sit, idemque πνεῦμα. *Videre splendorem Domini* nihil est aliud, nisi agnitionem magnificentiae et maiestatis Domini per ipsius doctrinam consequi: agnoscere maiestatem Christi e beneficiis iis, quae sua doctrina tradidisset, ut quae vel ipsa maximum beneficium esset. Nos autem, inquit Paulus, dum Domini splendorem contuemur: μεταμορφούμεθα (κατὰ) τὴν αὐτὴν εἰκόνα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *simili ratione eodem splendore magis magisque ornamur*. In verbis ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν est significatio incrementorum; in μεταμορφώσει autem nihil aliud quaerendum est, nisi quaecunque cum Christo similitudo. Cf. Col. III, 10. Τὴν αὐτὴν εἰκόνα non pendet a

μεταμορφούμεθα, ut sit: transformamur in imaginem; haberet enim praefixam praepositionem εἰς; neque a κατοπτριζόμενοι, cuius casus est τὴν δόξαν. Ergo intelligendum est, ac si scriptum esset: κατὰ τὴν αὐτὴν εἰκόνα, *iuxta* eandem imaginem; ad similitudinem eiusdem imaginis, quam quasi in speculo contemplati sumus, et ipsi transformamur. Nihil autem est frequentius, quam praepositionis κατὰ omissio. καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος) *Utpote ab illo Domino, qui Spiritus* (i. e. spiritualis religionis auctor) *est* (sive, ut v. 17., *a Domino, hoc est a divinitus tradita nobis religionis scientia)* illum splendorem, illamque gloriam accipientes. Redditur ratio, cur Christiani illius splendoris Christi magis magisque fiant participes. Domini gloria est perennis et spiritualis; quum igitur ab hoc Domino nos accipiamus nostrum splendorem, fieri aliter non potest, nisi ut illa spiritualis perfectio et praestantia in nobis perpetuo crescat et augeatur.

Iam Vs. 12. in eo fuit Apostolus, ut, quem effectum dignitatis, qua suum munus ornatum sit, fiducia in se habeat, accuratius exponeret. Sed historia Mosaica, ad quam supra (v. 7.) respexerat, ita recens in mente haerebat, ut ei non solum suggereret allegoriae de Mosis velo opportunitatem (v. 13.), sed etiam a consilio prorsus eum deduceret (v. 14—18.), ad quod tamen cap. IV. iterum redit.

CAP. IV.

1. Διὰ τοῦτο — ταύτην) *Quare quum tam nobili ornati simus munere.* Καθὼς ἠλεήθημεν) *Quae est Christi erga nos benevolentia.* Derivat Paulus hoc munus a Christi benevolentia et misericordia quae tantam ἱκανότητα in ipsum contulerit. οὐκ ἐκκακοῦμεν) *Non segnescimus;* diligentissime facio, quod meum est, licet eximiis difficultatibus, molestiis, et malignis aliorum artibus fere obruar.

2. Ἀλλ' ἀπειπάμεθα — ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) *Sed repudiamus clandestinum dedecus ita, ut neque in vafritie versemur, neque adulteremus doctrinam Dei, sed veritatis declaratione probemus nos omnium iudicio hominum, coram Deo* (Vid. *Noesselt*, opusc. Fasc. 2. p. 162. s.). Verbum ἀπειπεῖν in Activo inter alia significat etiam *vetare, interdicere alteri*; in Medio est *aliquid fugere, omittere*, vel *semet ab aliqua re continere.* Maxim. Tyr. Dissert. V, 5. Ἄμασις ἀπείπατο Πολυκράτην, *Amasis neglexit Polycratem.* Plutarch. Coriol. c. 8. τῶν δ' ἀπειπαμένων, *quum detrectarent pugnam.* Τὰ κρυπτὰ sc. πράγματα τῆς αἰσχύνης, *occulta omnis turpitudo.* Hoc loco intelligitur ipsa illa πανουργία, s. *vafrities*, cuius statim fit mentio, doctrinae divinae perversio, σοφία σαρκικὴ c. I, 12. illud καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, a qua turpitudine se Paulus alienum profitetur. Ἀλήθεια est pura Evangelii doctrina, non humanae stultitiae commentis infucata, quam se dicit φά-

νεροῦν, non abscondere, non celare, sed dicere aperte Rom. I, 16. Hac libera veritatis professione *probabat se* (συνιστῶντες ἑαυτοὺς) Dei hominumque iudicio. Verba πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων coniungenda sunt cum illis: συνιστῶντες ἑαυτοὺς, non cum φανερώσει τῇ ἀληθείας. Quamvis enim Profanis non sit usitata phrasis συνιστάνειν ἑαυτὸν πρός τινα, Paulus tamen saepe more Hebraeorum utitur πρὸς pro Dativo, ut c. III, 1. 4. Συνειδήσις, *iudicium*, 1 Cor. X, 29. Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *praesente Deo* me commendo omnibus. Vel: me commendo omnibus, *ut Dei respectum habeam.*

3. Εἰ δὲ — ἡμῶν) *Sin vero Evangelium nostrum sit obscurum* et incertum nonnullis, eiusque veritas non ab omnibus agnoscatur. Κεκαλυμμένον, repetit metaphoram a velamine Mosis. Ideo hoc addit, quia obiici poterat, multos esse, qui veritatem istam non agnoscant. ἐν τοῖς — κεκαλυμμένον) *Iis, quorum ingenium est insanabile, est obscurum.* Metonymia. Nam *pereuntes* vocat eos, qui perire meruerunt, qui vitiis suis favent, et nolunt ea esse vera, quae vitiis adversantur. Ἐν τοῖς ἀπολλ. *inter pereuntes*, pro τοῖς ἀπολλ. *Schulzius* vertit: *Per eos qui servari nequeunt*, per falsos doctores, qui omnia mea pervertunt.

4. Ἐν οἷς — ἀπίστων) Varie constructionem graecam explicant interpretes. Construi verba possent sic: ἐν οἷς ἀπίστοις ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα αὐτῶν, pro: ὧν ἀπίστων τὰ νοήματα ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε. *Quorum infidelium mentes Deus huius seculi* (Sanatas) *oc-*

coecavit, nempe voluptatum et rerum terrenarum amore. *Fritzschius* (Diss. II, p. 159.), monens, Adiectiva apud Graecos saepissime declarare id, *quod rem sequitur*, illa verba sic accipit: *Quibus Satanas mentes occaecavit, hoc effectu, ut nullam haberent fidem.* — *Seculum*, i. e. homines horum temporum; ut *Plautus: haec seculi huius mores in se possidet.* Vocatur autem Satanas *Deus* malorum hominum, quia ei obtemperant, et in omnibus gratificantur, pro domino et Deo quasi eum colunt. Cf. Io. XII, 3. XIV, 30. Τυφλοῦν, proprie significat *excoecare*, metaphorice, efficere, (aut permittere,) ut alter vera cognitione destituatur, intellectum corrumpere. Homines, qui non admittunt veritatis cognitae vim salubrem, omnino comparandi sunt coecis. *εἰς τὸ μὴ—Χριστοῦ*) *Ne ipsis splendeat lux Evangelii, maiestate pleni*, i. e. *ne intelligant institutionem in religione praestantissima Christi.* Ὁ φωτισμὸς, *institutio*, ut φῶς saepe est doctor, qui alios instituit, *aufklärt*, ut nos dicere solemus. Τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης, pro εὐαγγ. δεδοξασμένον, *religio excellentissima, maiestatis plena.* ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ) Quo sensu Christus h. l. *imago Dei* dicatur, ipse contextus docet. In eo nempe similis est Patri, quoniam per eum terrarum orbi *lumen* illuxit sensu proprio, v. 6. Quemadmodum nempe Deus lumen attulit terrarum orbi, tenebris ante quam formaretur sepulto, maiestatemque suam quasi spectandam dedit: ita Christus quoque, depulsis ignorantiae tenebris, veritateque consiliorum divinorum ad hominum intelligentiam translata, lumine complevit homines, et demonstravit magnificentiam suam.

5. Οὐ γὰρ ἑαυτοὺς κηρύσσομεν) Arcte cohaeret hic Vs. cum praecedentibus, q. d. Apostolus: recte dixi, quibus mea doctrina obscura sit, eorum oculis splendidum Christi evangelium a Satana subtractum esse; *non me enim* (falsorum magistrorum more), *sed Christum praedico Dominum;* non studeo gloriae meae, meisque rebus privatis in annuntianda doctrina evangelii. Similis locus apud Dion. Chrysost. XIII. οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ τῶν καλουμένων φιλοσόφων αὐτοὺς ἀνακηρύττουσιν, ὥσπερ οἱ Ὀλυμπιακοὶ κήρυκες. ἑαυτοῦς — Ἰησοῦν) Ἑαυτοὺς δὲ sc. κηρύσσομεν. De nobis hoc tantum praedicamus, nos esse servos vestros in docenda religione. Vestris inservimus commodis, *propter Iesum;* ut huius veram gloriam amplificemus, durissimae vitae rationem lubenter toleramus.

6. Ut merito sese Corinthiorum propter Christum ministrum appellasse declararet, addit: Ὅτι — λάμψαι) *Nam Deus, qui olim* (quum orbem crearet) *ex tenebris lucem effulgere iussit.* Praedicat originem huius doctrinae suae; se eam non ab hominibus, Iudaeis vel Iudaeorum doctoribus didicisse, sed ab eodem illo Deo, qui Gen. I, 3. iussit olim lucem ex tenebris terrarum orbi splendere. Ὁ εἰπών, qui *iussit*, אֱמֹר. ὃς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν) *Ille est, qui, ut in animo meo lux effulgeret, effecit*, i. e. divinitus sum edoctus. Ὅς, pro οὗτος, ut Rom. XVI, 27. Alii suppleri iubent ἐστὶ vel ante, ὃς ἔλαμψε, vel post illud ὁ Θεὸς. Ἔλαμψεν hic est pro Hiphil, ut supra θριαμβεύειν. Fatetur Paulus et se antea in tenebris versatum esse, i. e. Iudaicis praeiudiciis impeditum fuisse, quo minus rectas de Messiae regno sententias foveret;

sed sensisse se Dei aliquod lumen, seu cognitione Christi vera auctum fuisse. πρὸς Φωτισμὸν — Χριστοῦ) *Ut alios illustrarem eadem cognitione maiestatis divinae, quae in persona* vel *facie*, s. etiam *per Christum conspecta est.* Genitivus τῆς δόξης non sic copulandus est cum γνώσει, ut attributi vim habeat, q. d. *illustris cognitionis Dei;* notionem potius palmarem, eamque in disputatione universa regnantem continet, et habet vim subiecti, nempe *divinae maiestatis*, quam contuerentur agnoscerentque Apostoli. Paulus enim miratur, Iudaeos ita hebetes ac coecos esse, ut neque lumen istius doctrinae, neque muneris Apostolici dignitatem videant, quum tamen tantus splendor (δόξα) Dei et Christi emicuerit per Evangelium, radiosque in partes omnes sparserit. Ista δόξα resplenduit ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, in quibus verbis explicandis mira est interpretum dissensio. Vertunt enim; *in facie, in persona, nomine, auctoritate* Christi etc. Possent etiam verti: *per Christum* ut πρόσωπον redundaret Hebraeorum more, ut Matth. XI, 10. Sic Paulus diceret, Christum esse eum, per quem et missus et edoctus et adiutus sit. Cf. c. II, 17. III, 4. sqq. Sed (ut *Noesselt* monet) πρόσωπον Ἰησοῦ Χριστοῦ refertur ad πρόσωπον Μωσέως, atque cum eo componitur, ut, quamquam Israelitae ferre splendorem vultus Mosis non possint, eundemque contueri, Apostoli tamen in vultu Christi splendorem maiestatemque Dei agnoscerent. Igitur verbi aut imaginis proprietas non negligenda videtur, quatenus nempe in his verbis est significatio comparationis cum facie Mosis collustrata divino splendore. Fuit autem δόξα τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Χριστοῦ non hactenus, quod Christi facies lineamentis ac

forma referret Deum, sed quod, qui Christum contuerentur in his terris, h. e. tanquam veritatis divinae interpretem, Deum se dictis factisque adumbrantem cernerent. Cf. Io. VIII, 19. XV, 24. XII, 45. 46. 49. ὁ φωτισμὸς τῆς γνώσεως, cuius caussa lumen Dei animis Apostolorum immissum fuerit, referendus est ad propagationem doctrinae christianae per Apostolos; nam omnis Pauli disputatio est de propagatione Evangelii, et locus similis consentit Eph. III, 8. seqq. Indicat igitur Paulus his verbis finem huius revelationis, qui erat, ut alii etiam homines discerent, in Iesu Christo splendere maiestatem vere divinam, eumque esse divina auctoritate praeditum. Cum hac interpretatione fere consentit *Fritschius* (qui de h. l. agit p. 161. sqq. l. c.), nisi quod monet, verba πρὸς φωτισμὸν — Χριστοῦ vertenda esse: *ut illustrem redderem cognitionem splendoris divini in vultu Iesu Christi* (non: splendoris divini *in vultu I. Chr. conspicui.* Sic enim si vertatur, repetito articulo τῆς ante ἐν προσώπῳ opus esset), ne articulus ante ἐν προσώπῳ desideretur, qui e certissima grammatices lege omitti haud potuisset. Cum enim πρὸς φωτισμὸν, h. e. πρὸς τὸ φωτίζειν, verbi habeat potestatem, recte scriptum esse πρὸς φωτισμὸν ἐν προσώπῳ Ἰ. Χρ. *Schulzius: ad propagandam praestantissimam Dei cognitionem, respectu religionis Iesu Christi*, i. e. quatenus haec Dei notitia e religione christiana hauritur.

7. Ἔχομεν—σκεύουσιν) *Hunc vero thesaurum* doctrinarum saluberrimarum *circumferimus in corpore multis malis obnoxio.* Σκεῦος, h. l. de *corpore humano* uturpatur, quatenus est instrumentum, ὄργανον,

quo animus humanus agit. Ὀστράκινον σκεῦος, vas fictile, quod facile frangitur, (Ier. XXII, 28.) corpus vocatur, quatenus est caducum, multis miseriis et calamitatibus obnoxium. Deus ultro providit, ut superbire non possimus; nam contemtui sumus potius multis. ἵνα ἡ ὑπερβολὴ—ἡμῶν) *Ut summa illa vis*, quae se in Evangelio exserit, *ex Deo*, *non a nobis esse cognoscatur;* ut intelligatur, hanc maximam vim Deum habere auctorem, neque meipsum. Ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως est eleganter pro ὑπερβάλλουσα δύναμις, ut apud Ioseph. Ant. I, 13. 4. ἡ ὑπερβολὴ τῆς θρησκειας, *summa pietas*. II, 2. 1. ἡ ὑποροβολὴ τῶν ἀγαθῶν, *summa bona*. Hoc loco intelligitur vis illa summa, quae se in Evangelio exserit. ἡ τοῦ Θεοῦ, *logice: ut intelligatur Dei esse*. Istam vim Dei, quae per veritatem cognitam hominum animos emendat, Paulus alibi δύναμιν πνεύματος dicit. Potest tamen intelligi etiam ea vis et potentia Dei, quae Paulum et alios Apostolos e periculis eripuit.

8. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι) Sensus est: *Nos undique omni calamitatum genere affligimur, non ita tamen, ut animum despondeamus, spemque, ex his tot, tantisque malis eluctandi, abiiciamus.* Ἐν παντὶ, sc. τόπῳ. Θλιβόμενοι, supple: ἐσμὲν, et hoc pro θλιβόμεθα. Θλίβειν, uti et πιέζειν, dicitur athleta, quum adversarii corpus lacertis implicat, tamque arcte comprimit, ut spiritus coarctetur. Deinde στενοχωρεῖσθαι dicuntur, quorum fauces, aliaque animae trahendae instrumenta ita coarctata et compressa sunt, ut spiritus trahendi meatibus omnis fere aditus praeclusus sit. Cf. Krebsii obs. ad h. l.

Haec tamen nimis subtilia esse videntur. Certum est autem, στενοχωρεῖσθαι metaphorice esse, *animum despondere, spem ex malis emergendi prorsus abiicere.* ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι) *Dubitantes, sed non desperantes.* Ἐξαπορεῖσθαι, *ita perplexum esse, ut desperes*, ut supra c. I, 8. Nunquam, inquit, Dei mihi defuit auxilium, licet saepe consilii omnis expers essem.

9. Διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι) Διώκειν, ut saepe monuimus, est verbum forense et iudiciale, quod *accusare, litem intendere* significat, quum quis apud populum, vel apud magistratus accusatur. Dicitur deinde de cuiusvis generis vexationibus ob religionem christianam. Ab hominibus quidem male tractamur, sed Deus nos non deserit. Solatur nos Spiritu suo. καταβαλλόμενοι ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι) *Prosternimur, (ut quum in certamine aliquis cadit,) nec tamen perimus.* Similitudo sumta a militibus, qui deiecti resurgunt. Alii referunt ad feras, a venatoribus in terram deiectas; alii ad gymnasium et ludum luctantium, quum adversarius, solo sublatus in terram sternitur. Recensentur variae species maximorum periculorum.

10. Πάντοτε—περιφέροντες) *semper mortis periculis propter Iesum expositi sumus.* Νέκρωσις, תמותה, sunt miseriae et mortis pericula, Ps. LXXIX, 11. Quum autem mortis pericula circumferri non possint, νέκρωσις vel pro signis est horum periculorum, i. e. vulneribus, στίγματα τοῦ κ. I. dixit Paulus Gal. VI, 17.; vel περιφέρειν τὴν νέκρ. κ. I. vim habet significandi: quod ubicunque locorum, quo Evangelium

Apostolus tulerit, in impetus hostium mortisque pericula incurrerit. Vid. *Noesselti* disp. in locum Pauli 2 Cor. IV, 10. sq. in opusc. p. 227. sqq. *ἵνα καὶ—φανερωθῇ*) *Ut et vita Iesu in corpore nostro appareat.* Variae sunt interpretum de horum verborum sensu sententiae. Placet *Noesselti* sententia, interpretantis *τὴν ζωὴν* de ipsa conservatione vitae, in maximis, quibus obiecta erat, periculis, quod *ζῆν* haud dubie significat Io. IV, 51. et 2 Cor. VI, 9. ut, quemadmodum Paulus *τὴν νέκρωσιν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ* sibi tribuerat propter similitudinem mortis cum Christo, sic *ζωὴν τοῦ Ἰησοῦ* propterea, quod non magis quam Christus interiisset prorsus, sed ereptus e mortis faucibus fuisset. Ἵνα est *ἐκβατικὸν*. Sensus itaque totius commatis est: *Semper quidem propter Iesum eiusque doctrinam mortis periculo expositi sumus, sed eripimur, ne prorsus intereamus.*

11. Ἀεὶ—γὰρ—Ἰησοῦν) *Quotidie inquam*, i. e. saepissime *nos, qui adhuc vivimus, vitae periculis exponimur, Evangelii caussa*, quod a Christo nobis commendatum est. Est illustratio et confirmatio superioris sententiae. Ἵνα *καὶ — ἡμῶν*) i. e. *Ut etiam vitam similem vitae Christi experiamur in hoc nostro corpore, quod mortis periculo est obiectum.* Σάρξ hic dicitur *θνητὴ*, non quod mortale sit corpus, aut quod sit mortuum sed quod mortis periculo obiectum; nam eo sensu ante et *νέκρωσιν* et *θάνατον* corpori suo tribuerat Paulus. Ἡ *ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ* est conservatio Pauli inter media mortis pericula, qua similis erat Christo e mortuis reviviscenti. Sensus igitur huius commatis, sicuti praecedentis, est: *Nos quidem in hac vita semper mortis periculo exponimur propter*

Iesum, sed et nunc in vita conservamur, et post mortem corporis in aeternum vivemus, non minus ac Iesus.

12. Ὥστε—ἐν ὑμῖν) *Itaque nos quidem versamur in perpetuis mortis periculis; ad vos autem fructus conservationis nostrae in vita redundat.* Θάνατος, ut in superioribus complectitur impetus et pericula, in quae coniecta fuerat Apostoli vita. Ζωὴ autem per vim disiunctionis significat vacuitatem a periculis, sive quis non incurrat in ista discrimina, sive iis liberetur; qualis liberatio Paulo contigerat, v. 10. et 11. Ἐνεργεῖσθαι, idem significare videtur quod modo φανεροῦσθαι. Unde talis nascitur sensus: *Quare mortis quidem (nostrae) fructus in nobis, sed vitae (nostrae) in vobis cernitur*, vel: *qua re fit, ut quum mortis periculis iactamur, id nobis magis obsit; sed quum liberamur istis, id vobis magis prosit.* Vid. supra I, 4. seq. Facilior tamen sensus esse videtur, si ζωὴν interpretemur *felicitatem*, salutem: *Versor in perpetuis mortis periculis; vobis autem obtingit salus*, felicitas, per doctrinam Evangelii quam ego propono, vel: vos agitis vitam securam, a gravibus afflictionibus et mortis periculis vacuam.

13. Ἔχοντες — γεγραμμένον) *Eodem fiduciae spiritu instructi, qui in illa V. T. voce lucet.* Πνεῦμα τῆς πίστεως, pro πίστις, fiducia, vel *sensus fiduciae, glaubige Gesinnung.* ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα) Ps. CXVI, 10. *Confisus sum in Deo, itaque hoc libere profiteor.* David, qui similiter calamitates multas tum perferebat, profitetur illam animi sui fortitudinem. Πιστεύειν, sperare bona, his terrenis et caducis longe

meliora. καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν) *etiam nos fiducia utimur.* καὶ, *etiam.* διὸ καὶ λαλοῦμεν) Sc. τοῦτο, τοῦτον τὸν λόγον, ut λαλεῖν saepe occurrit. Libere profitemur ea, quae credimus et speramus.

14. Εἰδότες — διὰ Ἰησοῦ ἐγερεῖ) *Speramus nempe, eundem, qui suscitavit Dominum Iesum,* (Deum omnipotentem) *etiam nos propter Iesum ab omnibus periculis esse liberaturum.* Est elegans Dilogia in his verbis. Nam prima vice verbum ἐγείρειν sumitur proprie, altera vice improprie. Deus nempe ἤγειρε Apostolum, servans eum inter pericula vivum, plane ut apud Iacobum c. V, 15. καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν) *Vivos nos servabit quemadmodum vos,* ut 1 Cor. IV, 8. ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσομεν, *vobiscum regnabimus,* i. e. in pari vobiscum fortuna versabimur. Praetulerim tamen nunc hanc commatis 13. et 14. interpretationem: *Habeo autem* (quamquam quotidianis fere expositus mortis periculis) *eundem fiducia plenum animum, atque is de quo scriptum est: Fidem habeo Deo, propterea hoc libere profiteor; (nam ego etiam credo quae doceo,) scio nempe eum qui Iesum suscitavit, etiam mihi per Iesum vitam redditurum esse, sicut vobis.* Sic Paulus doctrinae de resurrectione apud Corinthios in dubium revocatae gravitatem suo exemplo confirmaret, et spe salutis post hanc vitam se erigeret. Cf. etiam *Storr.* pag. 79. not. 156. Καὶ — ὑμῖν) *Et sistet coram se* (tribunali suo) vobiscum. παριστάνει vox forensis de iis, qui in iudicio sistuntur, Act. XXVII, 24. Alluditur ad ea, quae infra V, 10. uberius exponuntur.

15. Τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς) Sc. perferimus. Δι' ὑμᾶς, propter vos, *gentes*; hanc enim ob causam, quod Paulus Evangelium ad omnes homines propagaret, contemto omni usu legis Mosaicae, tot mala et calamitates Iudaei in ipsum concitabant. Nisi potius sic cohaereat initium huius commatis cum praecedente: *Omnia enim ista*, quod Christi resurrectionem intelligo et annuncio, et huius nuncii caussa varia incommoda perfero, *in vestram salutem vertunt.* ἵνα ἡ χάρις — τοῦ Θεοῦ) Sensus esse videtur: *Ut non ego solus beneficia divina accipiam, sed eadem ad tanto maiorem Dei gloriam per munus mihi demandatum ad alios quoque complurimos redundent.* Sic *Storrius* l. c. Alii: *Ut hoc beneficium vehementer* s. magis magisque *illustret gloriam Dei, eo quod quam plurimi super ea re gratas agant Deo.* Ἡ χάρις, *beneficium*, est conservatio Pauli in vivis, cuius ipsius beneficii fructum percipiebant Corinthii, c. I, 11. Dicitur autem haec χάρις πλεονάσασα propterea, quod semper morti obiectus (v. 11.) semper se vidisset divino beneficio adiutum. Constructio est talis: ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν. Alii cum Erasmo illa διὰ τῶν πλειόνων, referunt ad participium πλεονάσασα, et verbo περισσεύειν adiungunt significationem transitivam hoc sensu: *ut hoc beneficium auctum propter plures* (sive propter commodum, sive propter preces plurimorum) *augeat quoque gratiarum actionem ad honorem Dei.*

16. Διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν) Repetit quod v. 1. dixerat. *Non segnescimus* propter varias calamitates nobis per-

ferendas, sed strenue agimus quod nostri est muneris. ἀλλ' εἰ καὶ— ἡμέρᾳ) *Sed, quanquam corpus per tot adversa attenuatur, animus tamen in dies fit vegetior.* Quid sit ὁ ἔξω ἄνθρωπος, et ὁ ἔσω ἄνθρωπος, diximus ad Rom. VII, 22. Διαφθείρεται, *frangitur, attenuatur* corpus; nam et in iure *perire* dicuntur, quae deteriora fiunt. Ἀνακαινοῦται quasi dicat: *iuvenescit*, recreatur et quasi roboratur animus per confidentiam et spem positam in Deo, natam illam et confirmatam perpetua e summis malis liberatione. Ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ (יוֹם יוֹם Ps. LXVIII, 20. יוֹם וָיוֹם Esth. III, 4. est Hebraismus, qui vertitur καθ' ἑκάστην ἡμέραν.

17. Τὸ γὰρ—θλίψεως ἡμῶν) *Praesens afflictionum levitas*, s. *afflictiones praesentes, quae leves sunt.* Παραυτίκα, ut simplex αὐτίκα, non solum *confestim, subito* significat, sed etiam *in praesenti*, et adverbium pro adiectivo ponitur. Sic Pericles apud Thucydidem L. II, 64. *Neque enim diu durare odium potest*, ἡ δὲ παραυτίκα τε λαμπρότης καὶ εἰς τὸ ἔπειτα δόξα ἀείμνηστος καταλείπεται, *splendoris vero praesentis et subsequentis gloriae sempiterna remanet memoria.* Nostro loco proprie esset: ἡ παροῦσα καὶ ἐλαφρὰ θλῖψις. Alii παραυτίκα vertunt: *subito, confestim*, et τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν dictum esse volunt pro: ἡ θλῖψις ἡμῶν, ἡ παραυτίκα καὶ ἐλαφρά, *afflictio nostra momentanea* (quae ad momentum durat et cito transit,) *ac admodum levis.* καθ' ὑπερβολὴν— ἡμῖν) *Incomparabilem aeternumque duraturam felicitatem pariunt nobis.* Βάρος δόξης, pro δόξην βαρεῖαν, et quasi ita dixisset, adiecit,

καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, i. e. *excellentissime gravem gloriam.* *Καθ' ὑπερβολήν*, Paulo propria phrasis, hebraice מְאֹד מְאֹד. *Κατεργάζεσθαι* h. l. est *acquirere, parere*, uti *ἐργάζεσθαι* Io. VI, 27. et apud Dionys. Hal. Ant. L. V. *τοῦτο τὸ ἔργον ἀθάνατον αὐτῷ δόξαν εἰργάσατο, hoc opus immortalem ipsi gloriam peperit.*

18. Μὴ *σκοπούντων—μὴ βλεπόμενα*) *Dum non spectamus ea quae cernuntur, sed ea quae non cernuntur.* *Σκοπεῖν curare, animum ad aliquid attendere.* *Τὰ βλεπόμενα*, huius terrae bona, quae cernuntur oculis, *τὰ ἐπίγεια* etiam dicuntur, et *τὰ ἐν τῷ κόσμῳ*, quae ab hominibus vulgo amari solent. *Τα μὴ βλεπόμενα*, futuri seculi bona, quae nondum cernuntur oculis. Hebr. XI, 1. *πρόσκαιρα*) *Quae non diu durant.* Similis sententia est apud Senecam ep. LVIII, 24. *ista imaginaria sunt et ad tempus aliquam speciem ferunt: nihil horum stabile nec solidum est, et nos tamen cupimus tanquam aut semper futura aut semper habituri.*

CAP. V.

1. Ἐὰν—*καταλυθῇ*) *Si corpus nostrum fragile dissolvatur.* Quae hoc versu continentur, eo consilio prolata sunt, ut intelligeretur, recte dici *τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως* (IV, 17.), quippe quae finibus huius brevis et fugacis vitae circumscribatur. *Οἰκία τοῦ σκήνους domus tabernaculi*, pro *σκῆνος*. Nam *οἰκία* redundare videtur. Intelligitur *corpus hominis. Hip-*

pocrates Aphor. ἀπολιποῦσα ἡ ψυχὴ τὸ τοῦ σώματος σκῆνος. *Nicander* saepissime hac voce utitur. *Aelian.* Hist. Anim. L. V, c. 3. ἄχρειον δ' ἐστὶ τὸ λοιπὸν τοῦ ζώου σκῆνος, *inutile est reliquum animalis corpus.* Animus noster in corpore habitat, non tantum in domo diu statura, quae iam dicetur οἰκοδομή, sad tanquam in tentorio, quod facile tollitur. *Schulzius* vertit: *Wenn gleich verändert wird der ietzige Aufenthaltsort meines terrenen Körpers*, et οἰκίαν intelligit de loco ubi habitamus et commoramur in his terris. Sed hanc explicationem nec statim sequens verbum καταλυθῇ, quod nunquam de *mutatione loci* usurpatur, nec contextus sermo pati videtur, quod facile intelliget, qui attento animo legerit. Καταλυθῇ, *dissolvitur*, disiicitur quasi, ventorum, pluviarum, caloris, putredinis coëuntibus caussis, si maxime incolae nolint. οἰκοδομὴν — οὐρανοῖς) *Domicilium divinum* (coeleste) *habemus, domum non hominum manibus exstructam, aeternam in coelis.* Exemti corpore brevis aevi, *versabimur in aeterno coeli domicilio.* Ἐκ Θεοῦ, adiective, *divinum*, a Deo factum. Οἰκοδομὴ, οἰκία ἐν τοῖς οὐρανοῖς non est corpus quod resuscitati olim habebimus, sed nostra in coelis commoratio felix, ad quam statim a morte corporis deferemur. Nam hanc sententiam v. 1. Paulus infra v. 8. aliis verbis repetit: *separati a corpore erimus apud Dominum.* Ergo *post mortem esse apud Dominum* idem est ac *post mortem uti commoratione in coelo aeterna.* Non ergo dicitur, quid futurum sit in resurrectione mortuorum, quale corpus tum simus accepturi; sed dicitur quid statim a morte futurum sit, scilicet, nos aliquo loco, in coelo, fore felices. Unde et optat mori

Paulus, ut, solutus corpore, sit apud Dominum. Sic *Morus*, dissertatt. p. 193. not. *). Alii: *Corpus a Deo accipiemus aeternum, nunquam interiturum*, ob antithesin. Anonymo (in den Beiträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion, fasc. 2. p. 109. s.) hic locus videtur confirmare hypothesin de evolutione corporis subtilioris statim post mortem inchoanda.

2. Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν) Ἐν τούτῳ sc. τῷ σκήνει, *dum in hoc mortali corpore sumus, gemimus*, nempe ob quotidianas molestias. Potest etiam suppleri μέρει, vel πράγματι, *propterea*. τὸ οἰκητήριον —ἐπιποθοῦντες) *Quod vellemus domicilium* (vestimentum) *nostrum coeleste induere*. τὸ οἰκητήριον τὸ ἐξ οὐρανοῦ vel est corpus coeleste, et opponitur τῇ ἐπιγείῳ ἡμῶν οἰκίᾳ τοῦ σκήνους, v. 1. vel, quod aliis placet, coeleste illud domicilium, de quo v. 1. sermo fuerat. Τὸ ἐξ οὐρανοῦ, i. e. οὐράνιον. Propter statim sequentia priorem sententiam praefero, quam etiam verbum ἐπενδύσασθαι suadet. Transit Apostolus ad aliam metaphoram *vestimenti*, quod permutatur cum alio vel utramque metaphoram, aedificii et vestimenti, commiscet; quod durum est. Sensus est: Vellemus, ut hoc corpore exuti, induere possemus aliud vestimentum, nempe corpus coeleste immortale.

3. Εἴγε καὶ—εὑρεθησόμεθα) *Siquidem induti, non nudi* (non sine corpore) *erimus*. Εὑρεθῆναι, hebraice נִמְצָא *esse*. Εἴγε καὶ potest reddi: *siquidem*. Sensus: Nam in altera vita non penitus destituti corpore erimus, sed habebimus omnino corpus. Γυμνοὺς h. l. esse *animos separatos a corpore*, facile patet. Sic etiam

Plato Crat. 20. *καὶ ὅτι ἡ ψυχὴ γυμνὴ τοῦ σώματος παρ' ἐκεῖνον ἀπέρχεται*, *quod animus, corpore nudus ad illum* (orcum) *abit.* Alii *ἐκδυσάμενοι* praeferunt, quam lectionem nonnulli codices exhibent. Tum esset sensus: *Siquidem etiam* (*καὶ*) *exuti* corpore hoc mortali, *non nudi*, non sine corpore *erimus*; quod eodem recidit. Etiam in coelesti illa commoratione (v. 1.) corpore induti erimus, sed coelesti, non caduco et mortali. Veteres animum nunquam sine omni corpore esse putabant. *Cicero:* (de nat Deor.) *aperta simplexque mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae vim et notionem videtur.* Vid. *Beyträge* etc. I. c. pag. 98., ubi etiam recentiorum Philosophorum sententiae de evolutionis Systemate recensentur pag. 102. s. Sed multa in hac re sunt obscura.

4. *Καὶ γὰρ—βαρούμενοι*) *Nos enim, quoad sumus in hoc tabernaculo* (corpore) *molesto metu gravati gemimus.* *Βαρούμενοι*, *gravati*, *pressi*, onere corporis. Repetit, quod dixerat, et addit caussam, cur gemant. Loquitur *communicative*, ut solet; sed magis de aliis, quam de se. *ἐφ' ᾧ — ἐπενδύσασθαι*) Dictum hoc comparate: *Quia malumus non exui corpore hoc, sed per mutationem superindui corpore immortali.* Malumus mortem lucrifacere. Statius Theb. X, 938. *Sed membra virum terrena relinquunt, exuiturque animus*, Artemidor. IV, 32. *ὁ οὐ δόξας τὸ ἱμάτιον ἐῤῥωγὸς ἔχειν, εἰκότως ἐτρώθη—ὥσπερ γὰρ αὐτῷ τὸ ἱμάτιον, οὕτω καὶ τῇ ψυχῇ αὐτὸ τὸ σῶμα περιέκειτο.* Nolumus mortem experiri, sed optamus, ut mortale hoc nostrum corpus sen-

sim sensimque evanescat, et mutetur in corpus immortale. ἵνα—ζωῆς) *Ut corpus mortale absumatur ab immortali.* Vid. 1 Cor. XV, 54.

5. Ὁ δὲ—Θεὸς) Sc. ἐστὶ. Verba ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο varie explicantur. *Camerarius: Deus est, qui ad hoc ipsum nos condidit;* ut sit ἀντίθεσις ἐλλειπτική: *Nos quidem istud mallemus, verum Deus est, qui ad hoc ipsum nos condidit,* vel ita constituit. *Schulzius: Doch! diess ist ein unzeitiger Wunsch! denn es hat nun Gott einmal gefallen, die Einrichtung mit uns in diesem Stücke anders zu machen.* Chrysostomus προληπτικῶς interpretatur. Quomodo, inquit, hoc futurum sit, ut immortalitatem induamus, μὴ περιεργάζου, ὁ Θεὸς ποιεῖ. Καὶ οὐ νῦν τοῦτο ἔδοξεν, ἀλλ' ὅτε ἐξ ἀρχῆς ἔπλαττεν ἀπο γῆς καὶ τὸν Ἀδὰμ ἐδημιούργει. οὐκ εἰς τοῦτο δὲ ἐδημιούργει, ἵνα ἀποθάνῃ, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀθάνατον ἐργάσηται. Hunc fere sequitur *Beza:* ὁ κατεργασάμενος, qui condidit, i. e. ὁ κτίσας, s. ὁ διαπλασάμενος. *Grotius:* Qui nos ad hoc praeparavit, per Evangelii cognitionem. ὁ καὶ—πνεύματος) *Qui etiam interea, (dum tandem contingat status ille melior) arrhabonem, Spiritum* nempe *dedit.* Genitivus, τοῦ πνεύματος hic positus est ἐξηγητικῶς, *spiritus* autem est *sensus vere christianus*, qui est veluti arrhabo, datus a Deo credentibus velut promutuum vitae illius plane spiritualis. Cf. Rom. XIII, 14—17. et dicta supra ad c. I, 22. huius epistolae. Quicquid sit de modo, inquit Paulus, res ipsa tamen certa est. Modus, quo in statum meliorem transformabimur, est obscurus, sed res ipsa, nos olim fore beatos, est

certissima. Habemus enim in fidem huius rei pignus et arrhabonem, τὸ πνεῦμα. *Emmerling:* „*Deus enim est, qui nos* — transit, universam sententiam enuntiaturus, a semet solo ad omnes omnino Christianos, — *ad hanc corporis liberationem filiorumque beatam conditionem destinavit.*“

6. Θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε) Iterum subaudiendum *sumus.* Sic enim solent Hebraei Participia sine verbo ponere pro verbo praesentis temporis, quod Hebraei in verbis non habent. *Sumus igitur semper bono animo.* καὶ εἰδότες — κυρίου) *Quanquam scimus, nos, quamdiu habitamus in corpore,* (dum in hac mortali vita versamur,) *abesse a Domino.* Ἐνδημεῖν, *domi esse, habitare.* Ἐκδημεῖν, *peregrinari, extra patriam degere, hospitem esse.* Absumus a Domino, ut peregrini, qui a patria absunt. Christianorum autem patria est coelum, ubi Christus, nostrum caput. Phil. I, 23. Hebr. XI, 13.

7. Διὰ — εἴδους) *Nam in spe tantum et fide nunc fruimur Christo, non vero eiusdem aspectu.* Felicitas aeterna eiusmodi est, ut eam sperare tantum, non sensibus cognoscere liceat (cf. Rom. VIII, 24. 25.). In parenthesi haec dicta sunt. Διὰ πίστεως, διὰ εἴδους, i. e. ἐν πίστει, εἴδει. Nondum habemus Christum ἐν εἴδει, his corporis sensibus praesentem. Τὸ εἶδος est *id, quo videmus,* ὄψις sc. aut ὅρασις, *visus ipse, quod* nonnunquam *speciem* Romani quoque veteres dixerunt.

8. Θαῤῥοῦμεν) Repetit, quod dicere coeperat, ut fieri interdum solet, absoluta parenthesi. καὶ εὐδοκοῦ-

μεν — κύριον) *Etiamsi mallemus*, si nempe nostram tantum conditionem respicimus, *migrare e corpore, et perpetuo esse* (domi esse) *apud Dominum. Plat.* Apol. ἀποδημία, ὁ θάνατος. *Cicero* Tusc. I. mors *emigratio est. Velleius* 1. *Migrare magis quam mori.*

9. Διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι) *Quapropter*, i. e. quia de aeterna felicitate apud Dominum consequenda non dubitamus, *summo studio id agimus, ut ei placeamus.* φιλοτιμεῖσθαι proprie est, magno studio aliquid facere, gloriae consequendae et ostentationis caussa, ut ap. Ioseph. Ant XV, 9. 5. Sed dicitur quoque de quocunque studio paullo acriori, sine vanae gloriae notione, ut apud eundem Iosephum A. III, 6, 1. de summo studio mulierum, conferendi, quae ad sacrum ornatum et Dei ministerium desiderabantur: ἐφιλοτιμοῦντο δὲ καὶ γυναῖκες περί τε στολὰς ἱερατικὰς, καὶ περὶ τὰ ἄλλα ὅσων ἔχρηζε τὸ ἔργον κόσμου τε καὶ λειτουργίας ἕνεκα τοῦ θεοῦ. Εὐαρεστῆσαι τῷ κυρίῳ non tam habet hanc vim, ut se Domino gratiosum dicat, quam vim vitae accommodatae ad Dei voluntatem. Gen. V, 24. VI, 9. Hebr. XI, 5. 6. Verba εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες referenda sunt ad ea, quae modo dixerat v. 6. et 8. Ergo ἐνδημεῖν est *versari apud Dominum*, et ἐκδημεῖν *in his terris* nondum solutis huius corporis vinculis *vivere*, ut hic sit sententiae Paulinae sensus: *Quomodocunque sit, sive mox deferamur*, quod quidem sitienter anquirimus, *ex hoc corporis domicilio ad Dominum, sive*, quod patimur magis quam optamus, *adhuc seiuncti a Domini consuetudine detineamur in hoc corpore, omni enitimur studio, ut ei recte agendo probemur.*

10. Τοὺς γὰρ — τοῦ Χριστοῦ) *Nos omnes enim manifestari oportet coram tribunali Christi.* Illud γὰρ reddit rationem eius, quod dixerat v. 9. *summo studio id agimus, ut Domino placeamus.* Πάντας ἡμᾶς, quod Iudaei minime solebant diligentius reputare, existimantes, *alias gentes* subesse severo Dei iudicio, ipsis autem sufficere, quod sint populus Dei. Tritissima est sententia: *Universo* Israeli portio et pars competit in mundo futuro. Φανερωθῆναι, non solum *apparere, praesentes sisti*, sed etiam *manifestari*; nam in hac vita τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων in neutram partem certo patent. Ἵνα — σώματος) Sc. πεπραγμένα, aut γενόμενα. Διὰ σώματος, i. e. ἐν σώματι, in hac vita. *Unusquisque huius vitae actae fructum percipiet.* Κομίζεσθαι, *percipere, accipere.* πρὸς ἅ — κακὸν) *Convenienter vitae, quam duxerit.* Bonis laus et praemium, malis reprehensio et poena debetur.

11. Εἰδότες — κυρίου) i. e. εἰδότες Φοβεῖσθαι τὸν κύριον vel Φοβοῦντες τὸν κύριον, *timentes igitur Dominum;* vel: *Scientes, Dominum esse timendum.* ἀνθρώπους πείθομεν) Nempe λόγοις παραινετικοῖς καὶ νουθετικοῖς πρὸς αὐτοὺς χρώμεθα. Et supplendum est μὲν, ἀνθρώπους μὲν πείθομεν), *omnem quidem damus operam, ut hominibus religionem persuadeamus.* Alii: *Favorem hominum nobis conciliare studemus.* Alii sic interpungunt: Εἰδότες οὖν (sc. τοῦτο v. 10.), τὸν φόβον τ. κ. ἀνθ. πειθ. *aliis hominibus persuademus timorem Domini*, s. religionem. Θεῷ δὲ πεφανερώμεθα) i. e. *sed integritas mentis nostrae est manifesta;* ita favorem hominum nobis conciliamus, ut

cogitemus, Deo nos esse notos. Abstinemus a vanis et fictis caussis, semper cogitantes, consilia nostra patere Deo, qui omnia perfectissime novit. ἐλπίζω — πεφανερῶσθαι) i. e. Non dubito, quin me quod attinet, etiam vestra conscientia huius ingenuae mentis mihi testis sit. *Emmerling* sensum hui. comm. sic exprimit: quum igitur sciam, quam reverendus sit Dominus, omnium iudex, in doctrina eius tradenda ita versor, ut Deo vobisque prober.

12. Οὐ γὰρ πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνομεν ὑμῖν) Quasi dicat: Nec enim hanc in rem plura dicam; ne me denuo vobis commendare videar. ἀλλὰ — ὑπὲρ ἡμῶν) Sc. ταῦτα γράφομεν ἢ λέγομεν. *Eo haec commemoramus, ut praebeamus vobis occasionem nos collaudandi (et defendendi apud alios nostram docendi rationem).* Καύχημα, *gloriatio, laus*, et ex adiuncto, *gaudium, laetitia, ὑπὲρ ἡμῶν, de nobis*, sc. adversus alios, qui mihi et meae doctrinae detrahunt, et soli gloriantur. ἵνα ἔχητε — οὐ καρδίᾳ) Ἵνα ἔχητε, sc. καύχημα, *ut habeatis, quo gloriari*, et caussam meam tueri *possitis adversus eos, qui sibi placent in rebus externis, non autem in mentis castitate puritateque.* Πρόσωπον, מַרְאֶה 1 Sam. XVI, 7. *externa hominis forma*, ad quam homines solent respicere; deinde etiam omne id, quod inter homines vulgo magni fieri solet, ut honores, divitiae etc. Ἐν h. l. significat *propter*.

13. Εἴτε γὰρ — ὑμῖν) Repetendum est utrumque verbum, θεῷ ἐξέστημεν, et ὑμῖν σωφρονοῦμεν. *Sive extra modum egredimur* sc. nos ipsos laudan-

do, *id facimus Dei caussa; seu moderationem praestamus, id fit a nobis vestri caussa. Dei caussa*, ut Deus celebretur, qui me huic muneri idoneum reddidit; *vestri caussa*, ut meo exemplo modestiae studeatis. Ἐξίστασθαι, significat *de statu deiici*, quod et corpori tribuitur et animo. Ad animum translatum interdum est *insanire*, interdum etiam, ut hic, *modum excedere, plus sibi tribuere quam homines modesti solent.* Respicere videtur Paulus ad id, quod capite praecedente de dignitate muneris sui dixerat, quam nimis extollere Corinthiis videri poterat. Recte Scholion ap. *Matth.* ad verba εἴτε γὰρ ἐξέστημεν) οἷον ὑπέρογκα καὶ μεγάλα ἐφθεγξάμεθα, ὃ δοκεῖ μαινομένων εἶναι. Θεῷ) ὥστε μή τινα δηλαδὴ ὕφεσιν τῷ κηρύγματι προσγενέσθαι, διὰ τὴν δοκοῦσαν ἡμῶν εὐτέλιαν. Εἴτε σωφρονοῦμεν) οἷον μέτρια καὶ ταπεινὰ φρονοῦμεν. Ὑμῖν) ὥστε ὑμᾶς ταπεινοφρονεῖν διδάσκεσθαι.

14. Ἡ γὰρ ἀγάπη — ἀπέθανον) *Christi enim* (in homines) *amor urget nos* (atque impellit,) *ita argumentantes: si unus in salutem omnium mortuus sit, hos sane omnes mortuos* (sibi suoque arbitrio) *censendos esse. Noesselt* (opusc. Fasc. II. 192. sqq.) τοῦτο refert ad praecedentia, et priora huius commatis verba ita vertit: *Namque amor Christi urget nos ita statuentes*, s. ut hoc capiamus consilium, illud nimirum v. 9. recte agendo nos probandi Domino. Statuit nempe, arcem et caput universae disputationis (v. 9.) hanc esse sententiam: *damus operam ut probemur Domino*, idque dupliciter, tanquam *mortui*, quum versemur apud Dominum (ἐνδημοῦντες), et tanquam *vivi*, s. non-

dum soluti corporis huius vinculis (ἐκδημοῦντες). *Illud* latius persequi Paulum v. 10. sqq. ubi de ratione olim reddenda loquebatur, et conditione *futura*, eaque pendente ab his quae hac in vita egerimus, *hoc*, quod nunc, dum vivimus in his terris agendum restat, v. 14—17. Sed *Io. Phil. Gabler* verba κρίνοντας τοῦτο, rectius cum proxime subsequente sententia: ὅτι εἰ εἷς κ. τ. λ. pristino more coniugi existimat. (In Progr. Paschali 1805. quod continet *novarum curarum in locum Paullinum* 2 *Cor. V*, 14—21. *Partic. I.*) Ex illa recentiore verborum constructione particula ὅτι vertenda est: *nam;* sed ex vulgari nexum constituendi ratione hoc ὅτι reddendum est: *quod.* Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ h. l. non est Pauli amor in Christum, sed is quo nos complexus est Christus, quem statim post haec verba mortuum pro nobis et restitutum in vitam dicit Apostolus. Cf. Gal. II, 20. Συνέχειν h. l. significare: *urgere*, *impellere*, universus orationis nexus docet. Κρίνειν non semper est *iudicare;* certe, si velis ita reddere, est eo sensu, quo *iudicare* Latinis dicitur, ut *censere*, pro eo, quod quis *decernit*, aut constituit, ut Actor. XXVII, 1. 1 Cor. II, 2. In verbis proxime sequentibus εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, particulam *εἰ*, *si*, significare, *quum*, *quoniam*, velut Matth. XXII, 45. dubio caret. Ὑπὲρ nonnunquam quidem pro ἀντὶ ponitur, per se tamen significat *in commodum alterius;* quale vero commodum unoquoque loco intelligendum, id ex contextu definiendum est. Verbum ἀπέθανον h. l. ut saepe *logice* intelligendum est: *mortui censendi sunt;* nam de morte *physica* non esse sermonem, satis apparet. Sed quaeritur, quonam sensu omnes propter mortem Christi mortui esse

ipsi censendi sint? Diversas vias in hac quaestione solvenda ingrediuntur interpretes, quorum sententias *Gablerus* l. c. examinat. Equidem cum *Noesselto* et *Gablero* intelligo haec verba de eo quod nostri officii sit, et illud ἀπέθανον in hunc sensum, ut nos oporteat vale dicere et repugnare nobis ipsis, libidinique et voluntati nostrae. Nam Paulus ipse (v. 15.) interpretatur illud ἀποθνήσκειν per μηκέτι ἑαυτοῖς ζῆν, non sequi suum arbitrium sed Christi. Itaque his verbis non significat Apostolus, quid per mortem Iesu Christi *sint vel facti fuerint* hi omnes, sed quid propter mortem I. Chr. *esse debeant.*

15. Καὶ ὑπὲρ — ἐγερθέντι) *Nam est ille pro omnibus mortuus, ut quisque dum vivit, non sibi vivat, sed ei, qui pro singulis mortuus est rediitque in vitam.* Particula καὶ, Latinorum *Nam* respondens, arcte nectit hoc comma 15. cum proxime antecedente segmento. Itaque ἀποθνήσκειν v. 14. idem est, quod v. 15. μηκέτι ἑαυτοῖς ζῆν, *sibi quasi emori aliisque vivere*, non suum sequi arbitrium, sed Christi, non ad suam ipsius voluntatem, sed ad consilium Christi eiusque honorem referre omnia. Non praetereundum censet *Gabler* acumen in oppositis ζῆν et ἀποθανεῖν; etsi *vivant* (ζῶντες) hi asseclae Christi, tamen mortui sunt (ἑαυτοῖς) sibi ipsis; dum vivant, emortui. Formula ὑπὲρ αὐτῶν, ad utrumque, ἀποθανόντι et ἐγερθέντι referri debet, quia Christus *in commodum* ac salutem hominum non modo mortuus est, verum etiam in vitam rediit.

16. Ὥστε — σάρκα) *Quapropter nos ab hoc tempore neminem ex rebus externis aestimamus*, vel

propter bona externa magni facimus. Ἀπὸ τοῦ νῦν, ex quo tempore Apostolus Christi esse coepi. Ἡ σὰρξ h. l. sunt *externa*, quae Iudaei iactare solebant, ut Gal. VI, 15. et supra v. 12. Possunt igitur verba, ἀπὸ τοῦ νῦν — σάρκα, sic reddi: *Non eum nunc Christianum agnoscimus, qui externis rebus*, in quibus Iudaei maximam laudem putant esse, *conspicuus est*, ut illi doctores, quos Paulus Gal. II. ψευδαδελφοὺς nominat. Εἰδέναι τινὰ h. l. est, *alicuius rationem habere*, vel *agnoscere*. εἰ δὲ καὶ — γινώσκομεν) *Etiamsi vero Christum ipsum in carne*, i. e. quum vitam adhuc mortalem ageret, *familiariter cognitum habuissemus*, *nunc tamen eum non ut talem consideramus et colimus;* sed ut regem coelestem et iudicem humani generis. Ἐγνώκαμεν hic est Indicativus pro Subiunctivo, more hebraeo. In verbo γινώσκειν est ἀνταναίκλασις, nam et notitiam significat et aestimationem. Dictum hoc est adversus illos, qui quum ex Iudaea Corinthum venissent, se praeferebant ceteris, eo quod Christum ipsum docentem audiissent, vidissent, forte et cognatione aliqua contingerent, ut illi, qui ob id dicti fuere δεσπόσυνοι, Cf. 1 Cor. I, 12. His Paulus respondet, cognationem solam nihil prodesse, Io. VII, 5. Matth. XII, 50. XXII, 16. et Christum non humilem esse, qualis fuit, Iudaeus Iudaeos docens, circumcisus, iacens in praesepio, pauper, contemtus, cruci denique affixus; sed exaltatum super omnes, omnium hominum, nationumque communem Servatorem, iustissimumque iudicem. *Noesseltus*, qui et alias interpretationes recenset atque diiudicat, ita vertit: *Etiamsi alias fuerimus Christiani sectantes Iudaica; nunc tamen non porro tales oportet esse.* Sic ἐγνωκέναι

Χριστὸν κατὰ σάρκα esset: spectare Christum tanquam statorem aut restauratorem felicitatis externae, quod fecerunt non tantum Iudaei, sed etiam Christiani Ἰουδαΐζοντες. Γνῶναι, s. ἐγνωκέναι τὸν Χριστὸν saepe significat, *Christianum esse*, *religionem Christianam profiteri*, ut supra c. IV, 6. Eph. I, 17. Igitur ἐγνωκότες Χριστὸν κατὰ σάρκα essent ii, qui Christiani facti sunt, disciplinamque Christi susceperunt, sed ita ut, quae ante τῆς σαρκὸς vocabulo comprehendebantur, h. e. Iudaicam vanitatem magni facerent.

17. Ὥστε — κτίσις) *Quapropter si quis Christi nomen profitetur, est* (i. e. esse debet) *velut homo novus. In Christo esse* denotat *Christianum esse;* Christum Doctorem et Dominum agnoscere. Καὶ κτίσις est νεὸς ἄνθρωπος, conditus per Christi doctrinam ad praestanda omnia officia in Deum atque homines, multo perfectius, quam per observationem legis Mosaicae fieri potest. Non aestimandus est Christianus ex rebus externis, sed ex profectu in vera virtute. τὰ ἀρχαῖα — πάντα) *Vetera illa nunc pro nihilo habenda sunt; ecce, omnia sunt nova.* Idem aliis verbis repetitur. Nobis, qui Christiani sumus, porro non sunt spectandae res externae, sed potius interna animi bona. Omnis nostra sentiendi ratio nova est facta et melior. Τὰ ἀρχαῖα, *vetera illa* non sunt quaerenda in pristina eaque prava consuetudine vivendi, et vitiis quibus antea fuissent addicti, quam ad Christi societatem accessissent, sed in vetere eaque perversa consuetudine sectandi haec externa et magni faciendi vanitatem Iudaicam. Nam ex contextu liquet, haec *vetera* id ipsum continere quod antea complectebatur formula κατὰ σάρκα. Cf. Phil. III, 3. sqq.

18. Τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ) *Huius vero tantae conversionis rerum auctor est Deus.* Τὰ πάντα sunt omnia, de quibus h. l. sermo est, omnia quae Deus per Christum ad salutem hominum instituit. Omnis illa mutatio e statu pristino in novum referenda ad auctorem Deum. τοῦ καταλλάξαντος — Χριστοῦ) *Qui nos sibi reconciliavit per Christum.* Deus ipse instituit et procuravit illud, quo opus fuit, ut sciamus certo, Deum omnibus hominibus, sive Iudaei sint, sive gentiles, esse propitium, atque iis bene velle. Hic summus Dei favor in omnes homines luculentissime demonstratur per Christum, modo iam consentiant in hunc ordinem salutis. καὶ δόντος — καταλλαγῆς) *Et demandavit nobis munus annunciandi hanc reconciliationem* omnibus hominibus. Ἡμῖν, mihi et ceteris Apostolis. Hanc rem exoptatissimam, Deum nempe propter Christum omnibus hominibus bene cupere, omnesque in gratiam recipere velle, si consentiant in hunc ordinem salutis, nos Deus iussit per totum terrarum orbem doctrina nostra disseminare.

19. Ὡς ὅτι — ἑαυτῷ) *Nempe Deus ipse per Christum reconcilavit sibi universum genus humanum.* Ὡς est ἐξηγητικὸν, declarat enim, quae sit illa καταλλαγή, de qua loquitur. Ἦν καταλλάσσων, περιφραστικῶς, i. e. κατήλλαξε τὸν κόσμον ἐν Χριστῷ. Ipse Deus favorem suum offerre iussit primus hominibus, antequam eum rogarent. Κόσμος, ut saepissime, omnes qui in mundo sunt homines, universum humanum genus. Declarat Apostolus hac voce, Evangelii doctrinam omnibus hominibus, nullo ad nationem aut indolem externam respectu habito, promulgandam esse.

Μὴ—αὐτῶν) *Dum declarat, se eos propter peccata* (antea commissa) *nolle punire*, si nempe salutarem hanc doctrinam admittant, et ad frugem redeant. Λογίζεσθαι τὰ παραπτώματα, *imputare peccata*, est *punire* homines ob commissa peccata. Ps. XXXII, 1. 2. Αὐτοῖς, pro αὐτῷ, quia ad κόσμον refertur. καὶ θέμενος — καταλλαγῆς) *Et demandavit nobis hanc doctrinam de reconciliatione* annunciandam atque propagandam. *Ponere verba* in aliquo, aut in ore alicuius, est mandata alicui dare; praecipere ei, quae dicere debeat, ut Exod. IV, 15. Λόγος (περὶ) τῆς καταλλαγῆς, doctrina de reconciliatione. Deus iussit per nos publicam fidem factae reconciliationis fieri; constituit nos praecones et suasores publicos. Hinc intelligitur, quaenam sit haec hominum reconciliatio, καταλλαγή, quam Deus Pater effecit; qui modus cogitandi gratiam Dei salutarem differt a modo cogitandi hanc gratiam illo, quum Christus nominatur ὁ ἐξιλασάμενος τὰς ἁμαρτίας. Vid. *Mori* Epit. Th. christianae pag. 151. s.

20. Ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν) *Nos igitur legatione fungimur pro Christo*, i. e. *loco Christi*, ὑπὲρ pro ἀντί. Genitivus eum indicat, a quo missus est legatus. s. cuius caussa a legato agitur. Πρεσβεύειν h. l. est *legatione fungi*. *Demosth.* de fals. legat. διότι ὑπὲρ ὑμῶν δικαίως καὶ καλῶς ἐπρέσβευσαν, quod pro vobis legationem recte et bene obierint. ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ὑμῶν) *Deo ipso quasi per nos hortante.* ὡς, ut alibi, est asseverantis. Legati quod dicunt, id rex dicere videtur. Deus Christum legatum fecerat, Christus Apostolos. καταλλά-

γητε τῷ Θεῷ) *In gratiam redite cum Deo*, ut Matth. V, 24. διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ, *in gratiam redi cum altero*. Admonet igitur Apostolus, ut homines recte et digne aestiment illam Dei benevolentiam, quae per Christum tam luculenter hominibus demonstrata est, et mentem aliam, meliorem induant, quae digna sit tanto beneficio.

21. Τὸν γὰρ—ἐποίησεν) *Christum enim insontem pro nobis sacrificium pro peccato constituit*, vel: Sivit Christum nostro loco tractari et occidi tanquam scelerosum. *Nosse peccatum* est conscium sibi esse peccati. Ἁμαρτία, victima pro peccato, ut hebr. אָשָׁם Levit. VII, 2. חַטָּאת et חטאת, quod saepe elliptice ponitur pro זֶבַח חַטָּאת, ut Ps. XL, 7. Exod. XXIX, 14. pro quo LXX. usurpant περὶ ἁμαρτίας, sc. θυσία. Levit. V, 8. 9. 11. aliisque locis. Aliis abstractum est pro concreto et subaudiendum est ὥστε, pro: ὡς ἁμαρτάνοντα ἐποίησεν, tractavit eum ut peccatorem, se gessit erga eum, uti erga peccatorem. Sensus est idem. ἵνα ἡμεῖς—ἐν αὐτῷ) *Ut nos fieremus Deo accepti per eum*. Δικαιοσύνη Θεοῦ, i. e. δίκαιοι Θεοῦ, υἱοὶ Θεοῦ, qui habentur a Deo pro iustis, vel habent remissionem peccatorum propter Christum, sed et qui mente mutantur, et fiunt longe meliores hominis; nam utrumque in homine simul habet locum. *Schulzius* vertit: *Dass wir dafür Dankopfer an Gott würden*. Δικαιοσύνη pro θυσίαι δικαιοσύνης, זִבְחֵי צֶדֶק Ps. LI, 21. LXX. comm. 19.

CAP. VI.

1. Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν) Vertere possemus: *Quapropter nos* (Apostoli) *operam nostram coniungentes, hortamur*, ut considerentur Apostoli tanquam συνεργοῦντες, operam coniungentes ad unum finem, qui est conversio hominum. Praeferenda tamen est *Fritzschii* sententia, qui voc. συνεργοῦντες non diversum esse monet a ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν et δεόμεθα ὑπ. Χρ. c. V, 20., ut et h. l. Paulus de *se solo* loquatur. Etenim συνεργεῖν, ubi de rei christ. administris legitur, in N. T. peculiarem habet significatum *simul* rem christ. augendi, de religione christ. bene merendi, h. e. vel *cum Deo* (1 Cor. III, 9.) *et Christo*, cuius utriusque illa est praecipuum in his terris ἔργον (Rom. XIV, 20. Phil. II, 30.), vel *cum aliis novae disciplinae praeconibus* (Phil. II, 25.). Unde e Fritzschii sententia hic locus hunc habet sensum: Praeterquam quod vos *pro muneris mei auctoritate* (δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ) ad reconciliandam cum Deo amicitiam cohortatus sum (V, 20.), hoc quoque (δὲ καὶ) vos admoneo tanquam Christi legatus, ne etc. μὴ εἰς —ὑμᾶς) *Ne tantum beneficium frustra accepisse videamini*, i. e. ne ita vos geratis, ut appareat frustra in vos collatum hoc Dei beneficium. Χάρις *beneficium*, h. l. nominatim illud beneficium, de quo praecedente c. V, 18—21. sermo fuerat, doctrina de salutari gratia Dei, de reconciliatione a Deo per Christum sponte oblata hominibus. Εἰς κενὸν, pro κενῶς, *incassum, frustra*. Εἰς κενὸν δέξασθαί τι, *sine fructu quippiam accipere*.

2. Λέγει — ἐβοήθησά σοι) Continet comma hoc parenthesin et comparationem. *Dicit enim (Deus*, Ies. XLIX, 8.): *opportuno tempore exaudio te, tempore commodissimo auxilium tibi fero.* Λέγει γὰρ, sc. ὁ Θεὸς. Sive dicatur hic locus a Paulo *applicari* ad hanc caussam, sive proprie agere de tempore illo, quo Messias venturus sit, perinde est. Καιρὸς δεκτὸς, in Hebr. בְּעֵת רָצוֹן est tempus illud, quod Deus elegit ad salutem procurandam. Ἡ ἡμέρα σωτηρίας, *tempus saluti opportunum.* Quod Deus apud Iesaiam dixit, inquit Apostolus, id nunc maxime fit. Offertur vobis nunc exoptatissima occasio salutis obtinendae. ἰδοὺ νῦν — σωτηρίας) Hoc tempore, quo nos Apostoli vivimus tanta rerum divinarum notitia instructi, Deus eximiis modis vobis offert salutem. Cf. c. V, 19. 20.

3. Μηδεμίαν — προσκοπὴν) Nos, inquam, hortamur vos, *qui nemini ullam praebemus offensionem.* Est enim hoc connectendum cum verbo παρακαλοῦμεν v. 1. ita ut v. 2. veluti sit interiectus, vel post διδόντες supplendum est ἐσμὲν. Προσκοπὴ, quod alibi πρόσκομμα, ut Rom. XIV, 13. est omne id, per quod aliquis averti possit ab Evangelio. ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία) *Ne hoc nostrum munus* praedicationis evangelicae *iure possit reprehendi* et vituperari. Ἡ διακονία, i. e. αὕτη ἡ διακονία ἡμῶν, ἡ τῆς καταλλαγῆς, aut τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ.

4. Ἀλλ' ἐν — διάκονοι) συνιστῶντες, sc. ἐσμὲν. *Sed in omnibus approbamus nos tales, quales Dei ministros esse decet.* Συνιστάνειν h. l. est *declarare, manifestare.* Hesych. συνιστάνειν, Φανεροῦν, βεβαιοῦν.

Ἐν παντὶ, πράγματι, vel παθήματι, *in quavis re*, sicut modo ἐν μηδενὶ, in nulla re. ἐν ὑπομονῇ—στενοχωρίαις) *Magna tolerantia (quam demonstramus) in calamitatibus, in necessitatibus, in angustiis.* Vox ὑπομονὴ construenda est cum sequentibus, usque ad vocem νηστείαις. Explicat enim Apostolus, quibus in rebus ista tolerantia versetur. Θλίψεις, ἀνάγκαι, στενοχωρίαι, sunt Synonyma, quibus varia genera calamitatum exprimuntur.

5. Ἐν ἀκαταστασίαις) *In seditionibus* (ut Syrus interpretatur) scil. contra Paulum excitatis. Quidam veterum et recentiorum intelligunt id ipsum, quod ἀστατεῖν dixit, 1 Cor. IV, 11. quia non licuit Apostolis diu manere et quiescere quasi uno in loco, sed semper periculorum vitandorum caussa locum et solum mutare debuerunt. Sic ἀκατάστατος sumitur Ies. LIV, 11.

6. Ἐν ἁγνότητι) *In vitae puritate. Mentem puram et innocentiam servamus.* Ante commemoravit, quibus in malis versaretur quotidie, nunc explicat suam agendi rationem, virtutes internas. Ἁγνότης, *innocentia*, sicut ἁγνὸς, *purus, nullo scelere pollutus.* ἐν γνώσει) Varie explicatur: *prudentia, Bedachtsamkeit*, ut, quicquid faciam, suo loco et tempore faciam; vel secundum alios christianae doctrinae firma cognitio, quae non solum dubitationi sed et trepidationi opponitur. Quum autem h. l. virtutes practicae commemorentur, prior explicatio erit praeferenda. ἐν μακροθυμίᾳ, ἐν χρηστότητι) Non solum abstineo ab ira et animi fervore, sed et benignum et facilem me praebeo aliis. Μακροθυμία et χρηστότης etiam alibi iun-

guntur, ut 1 Cor. XIII, 4. Rom. II, 4. ἐν πνεύματι ἁγίῳ) *Obsecuti Spiritui sancto*, Luc. IX, 55. Gal. V, 22. Alii explicant: *sancta sentiendi ratione.* Alii intelligunt dotes a Spiritu s. acceptas, quibus recte et suo loco usus fuerit Apostolus. ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ) *Charitate ingenua utimur erga alios.* Ἀνυπόκριτος, *sine privato consilio*, ut Rom. XII, 9.

7. Ἐν λόγῳ ἀληθείας) *Veracitate.* Λόγος nempe et hebr. דָּבָר interdum pleonastice ponitur, ut Matth. V, 32. Alii: *praedicando doctrinam veritatis*, i. e. Evangelium. Λόγος ἀληθείας, *doctrina vera*, κατ' ἐξοχήν veritas coelestis, Evangelium. *Ut verum semper doceam*, non admixtis erroribus. ἐν δυνάμει Θεοῦ) *Auxilio divino munitus*, ita ut appareat, me semper a Deo adiuvari. Alii ad miracula referunt; alii ad virtutem divinam in animo. διὰ τῶν ὅπλων—ἀριστερῶν) *Armati veritate a dextris et sinistris*, i. e. *undique*, ut ab omnibus partibus muniti simus, et sustinere valeamus impressionem hostilem. Tropus desumtus a militibus, qui sinistra gerebant clypeum, dextra regebant gladium aut hastam. Ὅπλα δεξιῶν, sc. μέρων apud Veteres ὅπλα ἀμυντήρια, *arma offensiva*, sicut ὅπλα φυλακτήρια, *arma defensiva.* Δικαιοσύνη אֱמֶת, *veritas.* Et refutamus adversariorum errores, et veritatem defendimus contra eorundem cavillationes. *Semlerus:* Patimur ista mala fortiter (v. 4. 5.), non utimur fraudibus et artificiis, ut nos subducamus; *agimus* autem, quod nos agere oportet, ut expugnemus quasi homines, dignissime et sanctissime. Sed est potius proverbialis locutio, qua ἔχειν ὅπλα δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ est, *ad utrumque paratum esse.*

8. Διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας) *Sive honor nobis habetur, sive contemnimur.* Connectenda haec sunt cum antecedentibus. διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας) *Sive male sive bene homines de nobis loquuntur.* ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς) Desunt verba duo. *Tanquam impostores habemur, et probi sumus.* Non deterrent nos calumniae, per quas ut impostores traducimur, quo minus pergamus probi esse, et eloqui doctrinam illam, quae vera est, et ob quam traducimur.

9. Ὡς ἀγνοούμενοι, καὶ ἐπιγινωσκόμενοι) i. e. *tanquam homines, quorum fides et integritas suspecta est, quorum tamen virtus aliis bene nota.* Ἀγνοούμενοι, *Verkannte.* ὡς ἀποθνήσκοντες, καὶ ἰδοὺ ζῶμεν) Credimur quotidie morituri, et vivimus adhuc Dei ope; vivimus donec Deus ipse morte gloriosa nos honestare voluerit. ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι) Id ipsum, quod iam dixerat, explicat, adducto Psalmi loco CXVIII, 18. Considerant nos alii tanquam homines propter scelera et varia crimina castigatos; nec tamen morte afficimur.

10. Ὡς λυπούμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες) Videmur semper in moerore esse, ob tot res adversas; interim gaudemus ob testimonium bonae conscientiae, et Dei solatia. Magni animi est indicium, semper gaudere, etiam in perpetuo malorum sensu. πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες) Augemus alios divitiis aeternum duraturis, Matth. VI, 20. Videtur tamen Paulus simul respicere ad eleemosynas, quas Hierosolyma miserat. ὡς μηδὲν — κατέχοντες) Nihil videmur possidere, et tamen omnia obtinemus, quae sc. nobis sunt necessaria. *Terent.* Eunuch. II, 2. Om-

nia habeo, neque quicquam habeo: nil quum est, nil desit tamen. *Seneca* de tranquill. 8. Non te pudet, quisquis divitiis adstupes? Respice, agedum, mundum. Nudos videbis Deos, omnia dantes, et nihil habentes.

11. Τὸ στόμα—ὑμᾶς) *Aperte et libere vobiscum loquor.* Formula *aperire os* comparari potest cum hebraico רָחַב פִּי עַל־אוֹיְבַי 1. Sam. II, 1. Significat autem hic non quovis modo loqui, sed liberaliter et aperte loqui. Excusat quasi suam libertatem scribendi. ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται) *Cor meum dilatatur;* i. e. *omnem quasi animum effundo. Ich schütte euch mein ganzes Herz aus.* Quum autem *laetitia* saepe cum animi dilatione comparetur, sicut *moeror* cum cordis angustiis, simul verbo πεπλάτυνται inest notio laetitiae. Sine ullo timore, tanquam familiaribus laetus loquor. Aliam huius Vs. interpretationem, eamque praecedentibus satis aptam protulit *Fritzschius* (Diss. II, p. 96. sqq.). Formulam ἀνοίγειν τὸ στόμα propria significatione accipit: *os aperire,* vel *loqui incipere,* vel *loqui* simpliciter. Verba autem: ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται cum nonnullis de Pauli amore explicat: *meus animus quasi amore est latus.* Quum vero Praeteritum etiam significet, esse aliquid *etiamnum (animus meus est amplus),* utrumque membrum per orationis Asyndeton iuxta se positum hoc modo coniungit: *Haec ad vos locutus sum: est animus meus amplus* h. e. amoris capax, *ut nimirum ex ante dictis intelligitis.* Sane enim e susceptis in causa aliena laboribus tuum aliorum hominum studium intelligitur. Sensus igitur est: *Dixi ad vos: animus meus est amoris plenus,* h. e.

quod vobis dixi, eiusmodi est, ut inde me vos amare appareat.

12. οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν) *Non exiguum locum possidetis in animo meo.* De propria significatione verbi στενοχωρεῖσθαι vid. supra ad c. IV, 8. Coarctatur vero etiam, qui in angusta domo habitat. Est igitur sensus huius loci: Vos in animo meo quasi domicilio quodam estis, eoque minime angusto; *totum* enim *vobis cor meum patefeci*, atque adeo, vestri accipiendi caussa, veluti dilatavi. στενοχωρεῖσθε — ὑμῶν) *Sed vos mihi non pariter locum facitis in animis vestris;* iusto pauciora documenta mihi datis amoris vestri. Hic στενοχωρεῖσθαι significat *angustum esse.* Vos intus mihi estis angusti, cui locus non sit apud vos; quorum tamen viscera oportuerat mihi quoque patere, ac vicissim me capere, ut par pari referretis. Τὰ σπλάγχνα, viscera, vocat, Hebraeorum more, teneriores illos affectus intimo cordi insidentes. Videtur Paulus hac ratione sibi viam facere ad reprehensionem istius licentiae in vita publica, qua vel in idoleis adhuc adesse solebant; quae res sine dubio multum invidiae conflavit Paulo apud Iudaizantes, qui tum alieni erant a gentibus.

13. Τὴν δὲ — καὶ ὑμεῖς) i. e. *Ut mihi par pari referatis, (tanquam filios vos compello,) date et mihi quasi ampliorem locum in animis vestris.* Distinguenda haec in hunc modum: Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, (ὡς τέκνοις λέγω) πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς: *Vicissim et vos (nam ut filiis loquor) dilatate vos.* Τὴν ἀντιμισθίαν est pro καθ' ἀντιμισθίαν, ad vicem rependendam. Τὴν αὐτὴν, eandem, i. e. parem af-

fectui meo. ὡς τέκνοις λέγω: filiorum autem est patris admonitionem pio et lubenti animo admittere. *Fritzschius* p. 111. *animum vestrum extendite in remunerationem*, h. e. ut vos amorem meum remuneremini. Et p. 117.: Paulus contracte dicens: *ad eandem remunerationem mentem explicate*, pro *ad eandem rem, quae est remuneratio, animum extendite*, id est consecutus, ut huius ἀντιμισθίας notio hic praecipua valde emineret.

14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες (i. e. μὴ ἑτεροζυγεῖτε) ἀπίστοις) *Ne societis vos consortio vobis indigno, cum infidelibus; nolite familiariter uti hominibus a christiana religione alienis;* vel simpliciter: *Nolite vergere* vel propendere in alteram partem. Proprie: Ne dissocietis vos ad infideles. Ἑτεροζυγεῖν notat: ordinem suum et socios pristinos relinquere, aliisque se associare, quemadmodum opposita significatione συζυγεῖν dicuntur milites, qui in acie in una linea s. serie inter se coniuncti sunt. Deinde etiam Levit. XIX, 19. Deut. XXII, 9. כִּלְאַיִם a LXX. Interp. vertitur ἑτερόζυγον, de iugo *impari* boum et asinorum, quod vetitum fuit. Videntur fuisse inter Christianos Corinthios, qui profanos ritus gentilium cum nova, quam nunc profitebantur religione, coniungere volebant, et fortassis etiam idolea frequentabant. Potest igitur verbum ἑτεροζυγεῖν etiam explicari: *imparibus associari, iis familiariter uti, qui nostro consortio sunt indigni*, ut sensus sit: Nolite familiarius uti gentilibus, vestro consortio indignis. „Quum vero Noster alibi consuetudinem cum paganis religioni non faciat, dummodo teneris conscientiis parcatur, 1 Cor. X, 25.

24., in promtu est, hic eam notari familiaritatem, quae a vitiis adeo paganis non abstineat.“ *Emmerling* ad h. l. τίς γὰρ — ἀνομίᾳ·) *Quaenam enim coniunctio virtuti est cum scelere*, i. e. quomodo potest fieri, ut homines qui virtuti verae student, consortium improborum ament? Δικαιοσύνη, *virtus*, ut saepe, et per meton. *homines virtutis amantes*. Sic etiam ἀνομία, *improbitas, homines improbi*. τίς δὲ—σκότος;) *Quid commune esse potest hominibus Evangelii luce illustratis, cum illis qui hac luce carent?* Τὸ φῶς, lux quae per doctrinam Evangelii in animis hominum accenditur; et h. l. qui hac luce sunt illustrati. Possumus etiam vertere haec verba: *Quomodo religio christiana cum profanis gentium religionibus conciliari potest?*

15. 16. Τίς δὲ — Βελίαλ;) *Quae concordia Christo cum diabolo?* Βελίαλ, hebr. בְּלִיַּעַל, i. e. בְּלִי יַעַל; qui non promovebit, vel בְּלִי מוֹעִיל, *nequam*, sive qui nulli sit commodus. Hoc loco significatur Diabolus, auctor idololatriae et omnium scelerum, Christo maxime contrarius. In V. T. haec vox plerumque *hominem improbum* significat. ἢ τίς—ἀπίστου;) *Aut quid commune habet Christianus cum non Christiano?* Πιστὸς, qui Evangelio credit, eique convenienter vivit. Ἄπιστος, qui Evangelio haud credit, nec obsequitur eius dictis. τίς δὲ — εἰδώλων;) *Quomodo in templo Dei locus esse potest idolis?* Vox συγκατάθεσις proprie *compositio, coniunctio, consensus*, ita est circumscribenda: In templo Dei quomodo *poni* possunt idola? Iudaei imagines Deorum

in suo templo esse, minime patiebantur, nec licitum erat profanare templum idolis. ὑμεῖς — ζῶντος) Nam templum est, ubi Deus quasi habitat, et providentiae suae singularis edit documenta. Ὑμεῖς, *vos*, exprimere videtur totum coetum Christianorum Corinthi, ut 1 Cor. III, 16. ubi vide a nobis annotata. Dicit nempe Apostolus: Vobis non amplius licet honorem praestare diis gentium; vester enim coetus est quasi templum Dei. Alii intelligunt ita, quasi Paulus dicat, animum cuiusque Christiani esse templum Dei. *Deus vivus*, i. e. aeternus, opponitur Diis gentium, prorsus inanibus et vanis. καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς) Extant verba sequentia Levit. XXVI, 11. 12. et Ezech. XXXVII, 27., sed cum libertate aliqua citantur a Paulo, ita ut in medio posita omittat, et personam mutet, salvo sensu. ὅτι ἐνοικήσω — ἐμπεριπατήσω) *Ego habitabo et versabor inter eos.* Pro ἐνοικήσω LXX. habent Levit. XXVI, 11. καὶ θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν, *ponam tabernaculum meum inter vos.* Deus praesens erat Israelitis peculiari modo, dum in tabernaculo maiestatem et praesentiam suam manifestavit. Sic Deus multo augustius habitat inter Christianos, et in eorum coetu, per verbum et Spiritum sanctum. *Ambulat quasi inter ipsos*, quia a Christianis agnoscitur et colitur, ita ut mentibus ipsorum perpetuo sit praesens. καὶ ἔσομαι — λαός) Sunt haec quoque verba ex Levit. XXVI, 12. ubi Graeci: καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεός, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός, quae verba Christianis multo magis, quam veteribus Israelitis competunt; nam in Christianos multo maiora beneficia confert Deus, eosque multo magis amat, quam veteres illos Israelitas.

17. Διὸ — κύριος) *Quapropter secedite ex eorum societate, et separate vos; sic iubet Dominus.* Quod de Babyloniis deserendis dixerat Ies. LII, 11. id pari iure aptat ad idololatras alios. Ἀφορίσθητε, *separate vos*, sc. ratione animi, consilii et propositi, non externo quodam odio ducti, ut Iudaei solent ἀφορισθῆναι a gentibus. Ἐκ μέσου αὐτῶν, sc. τῶν ἀπίστων. καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε) i. e. *Cavete ne animum vitiis gentilium polluatis.* Est et haec phrasis desumta ex vetere religione Mosaica, quae immundos homines, immunda animalia, immundos cibos etc. sollicite cavere iubebat. Sic saepissime vetus phrasium consuetudo ad rem aliam et longe perfectiorem applicatur. Sentiunt tamen et Hebraei, per animalia immunda et res immundas significari idololatras. κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς) *Et ego recipiam vos*, nempe in societatem meam propiorem. Separatio haec non pertinet ad externum discrimen a gentibus et infidelibus, sed distinctionem internae indolis. Haec perfectior mentis indoles facit nos coniunctiores cum Deo.

18. Καὶ ἔσομαι — παντοκράτωρ) *Ego vos patris instar amabo, atque vos habebo filiorum et filiarum loco, dicit Dominus omnipotens.* Εἰς πατέρα pro πατήρ hebr. לְאָב. Verba haec non ex uno loco desumta sunt, sed respicit Paulus ad plures sententias, 2 Sam. VII, 14. Ierem. XXX, 22. XXXI, 1. 9, Ezech. XXXVI, 28. Παντοκράτωρ, *omnipotens*, opponitur idolis.

CAP. VII.

1. Ταύτας—ἀγαπητοί) Deum nempe nobis fore patrem; nam per Christum illae promissiones, c. VI, 16, 18. maxime implentur. Ceterum hic quoque est inepta capitis sectio, quum hunc versum prorsus oportuerit superioribus adiungere. καθαρίσωμεν—πνεύματος) *Servemus nos puros ab omni re, quae corpus vel animum inquinare possit.* Cf. supra c. VI, 17. Israelitis, qui erant populus Dei, abstinendum erat ab immundis animalibus, hominibus etc. sic multo magis Christiani abstinere debent ab iis vitiis, quibus non tantum corpus sed etiam animus polluitur. Μολυσμὸς σαρκὸς pertinet ad solemnem in delubris lasciviam, cui Corinthii, huic generi scelerum, quod Corinthi praesertim regnasse constat, assueti, facile se dedere poterant, μολυσμὸς πνεύματος universe ad animi vitia. ἐπιτελοῦντες—θεοῦ) *Ita ut reverentia Dei tacti subinde fiamus sanctiores.* Ἐπιτελεῖν opponitur proposito, aut rudimento mediocri.

2. Χωρήσατε ἡμᾶς) *Locum date mihi;* admittite admonitiones meas. *Capere* hic non accipitur pro intelligere, sed sicut vas aut locus aliquid capit. Chrysostomus illud χωρήσατε explicat per φιλήσατε. Recte; nam, qui corde recipit alium, amat eum. Dicit igitur Paulus: locum mihi date in animo vestro, complectimini me animo benevolo. οὐδένα ἠδικήσαμεν) *Neminem* (vestrum) *iniuria affeci.* Incipit per μείοσιν, quum posset in memoriam revocare beneficia varia. Corinthii illis praebere aures solebant, qui eos iniuria

afficiebant, i. e. praeter ius et fas opes et facultates iis adimebant, c. XI, 20. Quanto aequius erat diligere eum, eiusque precibus locum dare, qui nulla eos iniuria affecerat? οὐδένα ἐφθείραμεν) *Neminem corrupi*, i. e. nemini nocui, neminem ad inopiam redegi. Sic statim addit: οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν nemini quicquam per avaritiam eripui, sc. ut alii faciunt, vobis non invitis. *Storrius* tamen (p. 97.) verbum φθείρειν cum Chrysostomo et Raphelio in hanc sententiam interpretatur, ut Apostolus se neget quemquam *pravis opinionibus imbuisse*, quod more suo in Apostolo exprobrarunt, qui potius ipsi hoc crimen sibi fecerant. Nam et universe Pauli doctrinam falsitatis insimularunt, et in illa proprie incesti caussa ecclesiam a Paulo *inductam fuisse* perhibuerunt ad *iniuriam* homini *imponendam* per excommunicationem.

3. Excusare se videtur, ne putarent Corinthii, se illa, quae praecesserunt, scripsisse eos traducendi causa. Iterum igitur declarat suum erga eos amorem et studium. Οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω) *Non exprobrandi animo haec dico*, ut nempe vobis exprobrem illum tam prolixum favorem in alios, quum ego talem liberalitatem vestram expertus non sim. Corrigere eos vult, non *traducere*, quod hic est κατακρίνειν. Antecedens pro consequente. προείρηκα—συζῆν) *Nam paulo ante sum professus, maximo me amore vos complecti, ita ut, quod dici solet, vobiscum vivere et mori velim.* Constantissimae amicitiae significatio! Horat. Od. III, 9. 24. *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.* Ipsissima verba, quibus Paulus hic utitur, in

hac epistola non extant; sed idem aliis verbis expresserat c. V, 13. III, 2. II, 4. 12. 13. I, 6 — 8.

4. Πολλή μοι παῤῥησία πρὸς ὑμᾶς) *Magna itaque loquendi libertate erga vos utor*, vel: magnum mihi ius libere apud vos loquendi. Metonymia. Viam sibi aperit, ad consequendum propositum. πολλή μοι καύχησις ὑπὲρ ὑμῶν) i. e. *Multum gloriari soleo* (apud alios) *de vestro in me animo*. De vobis soleo magnifice aliis loqui. πεπλήρωμαι — — ἡμῶν) *Plenus sum laetitia et hilaritate, quantacunque sit mea afflictio*. Τῇ παρακλήσει, *solatio*, vel *gaudio* sc. de vobis, postquam intellexi e Tito, quo in me sitis animo, v. 6. Ὑπερπερισσεύομαι, *supra modum abundo*, verbum rarum! Non solum tranquilla mihi mens rediit, sed et eximii gaudii sensum percipio. Ἐπὶ hic significat *post*, vel durante adhuc illa calamitate, quae interea animum oppressit. Dicit hic generalius, quod iam explicabit specialius, primum dicens, quae fuerint adversa; deinde, quod illud gaudium et solatium.

5. Καὶ γὰρ — Μακεδονίων) Actor. XX, 3. seqq. supra I, 16. οὐδεμίαν — ἡμῶν) *Vix respirare mihi a malis licuit*. Σάρξ pertinet ad corporis infirmam valetudinem, vel ἡ σάρξ ἡμῶν pro ἡμεῖς. Fugiendum fuit e loco in locum ob insidias Iudaeorum. ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι) Sc. ἐσμέν. *Fritzschius* (l. c. p. 49.) non dubitat, quin Paulus ante cogitatorum, quam dictorum tenacior per anacoluthon participio θλιβόμενοι sermonem continuaverit, quasi pro οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνησιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, quod sensu non mutato fieri potuit, scri-

psisset: οὐδὲ ἤμεθα ἄνησιν ἔχοντες, quo apte iam pergat: ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι. „Hoc modo interpretatus (pergit Fritzsche) ἤμεθα quidem ad θλιβόμενοι cogitando adiicere debebis, sed quod tamen e verbis praecedentibus repetatur, ut θλιβόμενοι suam participii vim retineat, h. r.: *non eramus requietem habentes, sed* (eramus) *perpetuis calamitatibus immersi.*" Ἐν παντὶ s. τόπῳ, s. χρόνῳ, Afflictio undique me pressit. ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι) i. e. Quod ad externum statum attinet, continuae quasi pugnae superandae fuerunt; animum vero varius metus huc illuc impellebat. Alii τὸ ἔξωθεν ad varia pericula a gentibus et Iudaeis, τὸ ἔσωθεν vero ad metum a falsis fratribus referunt. Thucyd. VIII, 71. διὰ τὸν ἔνδοθέν τε καὶ ἔξωθεν κατὰ τὸ εἰκὸς γενησόμενον θόρυβον. *Schol.* τὴν πόλιν ἔνδοθέν τε τεθορυβημένην διὰ στάσιν, καὶ ἔξωθεν διὰ τοὺς πολέμους. Sed rectius referri videtur τὸ ἔσωθεν ad timorem et metum Pauli ob multos Christianos adhuc infirmos, praesertim Corinthi.

6. Ἀλλ' ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινοὺς) *Qui consolatur afflictos.* Ταπεινοὺς, hebr. עֲנִיִּים. ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου) *Per adventum Titi,* qui interea Corinthi fuerat. Quum nempe Titus diutius abesset, quam Paulus speraverat, varius metus animum angebat, ecquid Illa legatio Titi profecisset. Pertinet huc v. 5. ἔσωθεν φόβοι. Sed post adventum Titi, nunciantis pacatas esse res Corinthiorum, recreatus est eius animus. Hoc beneficium Paulus, ut solet, refert ad Deum, quo dirigente et adiuvante res ita ceciderat.

7. Οὐ μόνον—ἐφ' ὑμῖν) *Non autem solum adventu eius, sed etiam ob solatium, quod apud vos perceperat*, vel: *quod collaudaret mihi eximium vestrum favorem, quem ipse expertus esset.* Ἐν τῇ παρακλήσει per metalepsin pro ipsa narratione τῆς παρακλήσεως. Titus enim et ipse dubius animi ad Corinthios Epheso venerat; sed magna affectus est laetitia, quum intelligeret, quanti Paulum et Evangelium ab eo praedicatum adhuc facerent. τὴν ὑμῶν ἐπιπόθησιν) *Vestrum desiderium*, sc. mei videndi. Alii: desiderium *satisfaciendi*, i. e. emendandi illam vitiositatem, ut *Ambrosius* iam intellexit. τὸν ὑμῶν ὀδυρμὸν) *Vestrum moerorem*, vel lacrymas eorum, qui culpam faterentur. Alii intelligunt moerorem piorum Corinthi ob ea mala, quae Paulus in Asia et Macedonia pertulerat. τὸν ὑμῶν ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ) *Ardorem vestrum in perficiendis iis rebus, de quibus scripserat.* Alii intelligunt ardens studium illorum piorum Corinthi in defendenda bona Pauli fama contra calumnias. ὥστε με μᾶλλον χαρῆναι) Huius narrationis tam laetum argumentum maiori me iam gaudio affecit, quam ille incertus metus et illa externa afflictio me affecerat tristitia.

8. Ὅτι εἰ—οὐ μεταμέλομαι) *Quanquam enim per epistolam* (meam priorem) *vos tristitia affeci, non tamen me poenitet* huius rei. εἰ καὶ μετεμελόμην) *Etiamsi antea fere poeniteret.* Ante adventum Titi, inquit, tantum non poenitebat, me talia scripsisse, nunc autem postquam ex Tito talia cognovi, me non poenitet. βλέπω—ὑμᾶς) *Intelligo enim, illam epistolam, ad breve quidem tempus, vere tamen vos affecisse tristitia. Camerario* βλέπω h. l. est ἀναθεωρῶ vel ἐννοῶ, *in-*

tueor, ut sit sensus: Hoc enim intueor, i. e. considero, quod, quamvis illa epistola momento vos offenderit, nunc ego tamen laetitia afficiar succesu vestrae tristitiae. Potest etiam εἰ καὶ absolute sumi, *si modo*, atque sic minuit τὸ ἐλύπησεν. Si modo tristitia dicenda est, quae nempe tantos fructus peperit.

9. Νῦν χαίρω—μετάνοιαν) *Nunc gaudeo, non tam vos contristatos fuisse, quam potius vos commotos esse illa tristitia ad animi emendationem*, vel resipiscentiam. Grata fuit mihi tristitia vestra, non in se, sed quatenus per eam declarastis vestram resipiscentiam. ἐλυπήθητε γὰρ κατὰ Θεὸν) *Tali enim tristitia estis affecti, cuius Deus auctor et suasor fuit;* vel ut alii malunt: qua Deus afficere solet homines. Alii: *Contristati estis convenienter divinae voluntati*, sicut κατὰ σάρκα, convenienter cupiditatibus pravis; κατ' ἀρετὴν πράξεις, actiones quae virtuti conveniunt. Intelligitur itaque tristitia, quae oritur ex causis, e quibus Deus vult oriri tristitiam, et quae habet eos effectus, quos habere Deus vult. Deus autem per calamitates tristitia afficit homines eo consilio, ut animos eorum emendet, eosque vere felices reddat. Ἵνα—ἐξ ἡμῶν) *Ita ut nulla per me poena*, nullo damno *afficeremini*. Ἵνα pro ὥστε. Iam non opus fuit, fatali poena et morbo quodam corporis afficere sontes; quod haud dubie accidisset, si auctoritatem Apostoli temere sprevissent. De eiusmodi fatali et inusitato poenae publicae genere agitur 1 Io. V, 16.

10. Ἡ γὰρ—κατεργάζεται) *Haec enim voluntati Dei consentanea tristitia salubrem consiliorum mu-*

tationem efficit, cuius sane neminem unquam poenituerit. Quid sit ἡ κατὰ Θεὸν λύπη, diximus modo ad v. 9. Est nostra tristitia talis, qualem Deus postulat, si tristitia afficimur ob id, quod Deum non amavimus, non recte usi sumus scientia religionis, aliis malum exemplum praebuimus etc.; unde oritur propositum, meliori vitae, bonis exemplis studendi. Haec tristitia efficit μετάνοιαν ἀμεταμέλητον. Est hic quasi ἀνταπάκλασις. Nam μετάνοιαν ἀμετανόητον si dixisset, perfecta fuisset ἀνταπάκλασις. Ἀμεταμέλητος vocatur *resipiscentia*, vel consiliorum et mentis mutatio in melius, quia est εἰς σωτηρίαν, ut non solum absit ζημία, externa maior calamitas, sed etiam felicitas hominis adiuvetur. ἡ δὲ—κατεργάζεται) *Tristitia vero hominum improborum et vanorum summum damnum affert.* Ἡ τοῦ κόσμου λύπη tristitia, qualis vulgo inter homines esse solet, moeror ex damnis externis, ob ignominiam acceptam, ob res amissas, ob ereptos amicos etc. Talis tristitia saepe aut morbos mortiferos parit, aut etiam homines ad ultro quaerendam mortem adigit. Cf. Sirac. XXIV, 21. sqq. *Tittmannus* (in libro: *christliche Moral* §. 147.) quem sequitur *Schulzius*, τὴν κατὰ Θεὸν λύπην putat esse calamitatem a Deo afflictam (κατὰ Θεὸν, *Deo auctore*), et τὴν τοῦ κόσμου λύπην iniurias, quas homines hominibus infligere solent, ut sensus sit: *Denn wenn Gott die Menschen betrübt (durch Auflegung gewisser Leiden), so thut er es in der Absicht, um bei ihnen eine heilsame Besserung zu bewirken, und wenn dann diese Besserung erfolgt ist, so gereuet es Niemand, iene Betrübniss empfunden zu haben. Aber wenn Menschen einander betrüben, so thun sie es in der Ab-*

sicht, einander zu schaden. Sic praepositio κατὰ (in verbis κατὰ Θεὸν) significaret tristitiae *auctorem*, et ἡ λύπη τοῦ κόσμου esset moeror a malis hominibus illatus. Nec male. Tristitiam enim a malis hominibus illatam afferre detrimentum, patebat exemplis Pseudapostolorum coetum Corinthiacum variis modis perturbantium, et incesti, per eorum placita infando crimine, quumque in illud animadverteretur tandem, gravissimo moerore implicati, tum etiam mortibus atque morbis in ecclesiam Corinthiam grassantibus propter perturbationes, in quas ab iisdem falsis Apostolis coniecta fuerat. 1. Cor. XI, 30. Vid. *Storr* pag. 93. not. 175.

11. Ἰδοὺ γὰρ – σπουδήν;) *Ipsi apud vos cogitate, haec Deo grata et accepta tristitia quantum studium in vobis excitaverit!* Ipse eventus docuit, hanc tristitiam effecisse μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον. Σπουδή, studium et industria in corrigenda illa vitiositate, quum antea levitas plerorumque animum corrupisset. ἀλλὰ ἀπολογίαν) Ἀλλὰ hic valet *imo et.* Ἀπολογίαν, i. e. excusationem suae negligentiae apud Titum, unde culpa tantum ad paucos rediit, unoquoque diligenter proferente, quod antea ignorabatur. ἀγανάκτησιν) *Indignationem* in reum. Nunc enim patebat res, post quaestionem habitam, et aberat metus multos offendi oportere. Testis itaque Titus esse poterat correctionis non dubiae. Φόβον) *Cautam providentiam*, ut omnia corrigerentur. Al. iure metuebatis, ne ingenti poena et supplicio res vindicanda sit. ἐπιπόθησιν) *Desiderium*, sive Pauli videndi, et eius favore fruendi, sive per severiorum morum ordinem Paulo placendi. ζῆλον) *Vehemens studium*, sive recte agendi, sive pro Pauli bona existimatione. Potest

etiam intelligi Presbyterorum et ministrorum nova cura et strenua diligentia in corrigendis minoribus similibus quorundam culpis et vitiis; quod confirmare videtur illud ἐκδίκησις, *ultio*, sive animadversio severa in malos. ἐν παντὶ — πράγματι) *Per omnia praestitistis vos integros quod ad istud negotium attinet*, i. e. iam plane vos mihi satisfecistis, nec est, quod porro eius rei caussa vobis aliquid exprobrem.

12. Ἄρα εἰ καὶ — ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) *Quamquam ergo* (dura) *scripsi vobis* (in epistola priore) *non* tamen feci id *vel propter eum qui iniuriam fecit* (incestum), *vel propter eum qui iniuriam passus est*, (mei caussa) *sed ut vobis manifestum fieret studium illud meum pro vobis integerrimum.* Εἰ καὶ ἔγραψα ὑμῖν, *quanquam scripsi vobis*, sc. dura, postulans in priore epistola excommunicationem incesti, severis usus admonitionibus et verbis. Ὁ ἀδικήσας, *homo incestus*. Negat Paulus, se huius hominis caussa scripsisse, quasi male ei voluisset. Per τὸν ἀδικηθέντα, sive eum, qui iniuriam passus sit, seipsum intelligere videtur Paulus, in quem ut Christianum, imo ecclesiae Corinthiacae parentem aliquid certe dedecoris redundavit, si tale crimen a Corinthiis christianis admitteretur, probaretur, toleraretur, ne dicamus, ab incesto, ut partis *Antipaulinae* socio directam quoque contumeliam Apostolum haud dubie passum fuisse. Vid. *Storr* p. 92. not. 174. Negat Paulus, se principaliter sui caussa scripsisse, ut satisfactionem pro illata sibi contumelia postularet. Alii τοῦ ἀδικηθέντος referunt vel ad coetum Corinthiacum, ut Singularis sit pro Plurali, vel ad familiam illius hominis qui novercam duxerat, vel cum ea rem habuerat.

ἀλλ' εἵνεκεν—τοῦ θεοῦ) *Sed ut vobis manifestum fieret studium illud meum pro vobis integerrimum.* Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, sive *minime fucatum*, sive eiusmodi, ut Deo possim illud approbare. Omnia pro vestra salute egi, non ex odio quicquam feci, vel animo laedendi. Idcirco postulavi hominis excommunicationem, ut macula deleretur, quam istum tolerando ecclesia vestra susceperat.

13. Διὰ τοῦτο—παρακλήσει ὑμῶν) *Quapropter magna affectus sum laetitia, quum intelligerem, vos tam laeto esse animo.* Ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, *propter laetitiam vestram*, pro: ὅτι παρεκλήθητε ὑμεῖς. Alii intelligunt laetitiam, quam senserit Apostolus ex litteris Corinthiorum per Timotheum missis, ut παράκλησις ὑμῶν sit: *solatium, quod ex vobis percepi.* περισσοτέρως—πάντων ὑμῶν) *Multo magis autem gavisus sum, ob laetitiam Titi, quod nempe animus eius ab omnibus vobis recreatus est; Titum omnis sollicitudinis expertem a vobis rediisse.* Περισσοτέρως μᾶλλον, duplex Comparativus, ut Marc. VII, 36. Talia sunt μᾶλλον ὀλβιώτερος, apud Aristophanem: αἱρετώτερον μᾶλλον, apud Aristotelem; *magis certius; magis dulcius*, apud Plautum etc. Ἀναπέπαυται, respicit ad ancipitem antea animum, metumque Titi, qui incertus et dubius, quid Corinthi effecturus esset, hoc iter susceperat.

14. Ὅτι—οὐ κατῃσχύνθην) *Quod enim vos saepe laudavi apud eum, non mihi nunc est erubescendum;* i. e. non potui in ea re mendacii convinci, ut in voce κατῃσχύνθην effectus positus sit pro caussa;

nam qui mendacii convincuntur, eos pudor sequi solet. ἀλλ' ὡς—ἐγενήθη) *Sicut vos, quaecunque vobis dixi, vera comperistis, sic et Titus vera comperit, quae ipsi de vobis dixeram.* Ἐπὶ Τίτου hic est: *apud Titum.* Sic ἐπὶ τοσούτων μαρτύρων, *apud tot testes,* apud Lucianum. Ἡ καύχησις ἡμῶν, *gloriatio mea,* nempe de vestris moribus et profectibus in religione.

15. Καὶ—εἰς ὑμᾶς ἐστιν) *Itaque amor eius erga vos maior est:* intimo amoris sensu eo amplius vos amplectitur. Τὰ σπλάγχνα, רַחֲמִים, intimus amor, ut supra VI, 12. ὡς μετὰ—αὐτὸν) *Quod cum summa reverentia eum exceperitis,* i. e. eius auctoritatem omnino sitis reveriti; si enim eum reverenter excepe-runt, obediverunt ei in omnibus, quicquid suaderet, moneret, institueret. Illud μετὰ φόβου καὶ τρόμου pro orationis serie varie explicatur, 1 Cor. II, 3. Eph. VI, 5. Phil. II, 12.

16. Χαίρω—ἐν ὑμῖν) *Gaudeo, quod omnino con-fidere possim de vobis,* i. e. quod tales sitis, ut de vobis mihi omnia optima possim polliceri. In omni re et negotio confidere vobis possum, quoniam tales vos ubique gessistis. Ἐν παντὶ, sc. μέρει, *omnino.* Me-tonymia effectus pro caussa. Transit Paulus simul ad *secundam partem* huius epistolae, ubi hortatur ad eleemosynas in usum pauperum Christianorum Hiero-solymitanorum contribuendas. Cap. VIII. et IX.

CAP. VIII.

1. Γνωρίζομεν — Μακεδονίας) *Significo autem vobis, quantopere Dei benevolentia in ecclesiis Macedoniae propositum meum adiuverit;* proprie: significo vobis donum Dei, datum a coetibus christianis in Macedonia. Ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, *donum Dei* h. l. est donum a Macedonibus ad aliorum pauperiem sublevandam datum, et Dei donum (Gottesgabe) dicitur, quia omnia bona ad Deum auctorem referenda sunt. Paulus, ut solent Apostoli, pro effectu caussam nominat, docens, omnia quae a Christianis fiunt, deberi eximiae bonitati Dei, ut qui tot et tam gravia peccata remiserit, eosque impulerit ad tantam liberalitatem. Macedonum exemplo Paulus Corinthios vult excitare.

2. Ὅτι — ἁπλότητος αὐτῶν) *Nam inter multa adversa, quibus explorati sunt, magnum ipsorum gaudium* (nempe ex Evangelii doctrina perceptum,) *et summa eorum paupertas exundavit in egregiam liberalitatem;* i. e. quamvis Macedones per maxima adversa explorarentur, tamen prae gaudio ob beneficia Evangelii, ipsi pauperes copiosam liberalitatem exercuerunt. Ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως, *inter varii generis explorationem, per calamitates factam*, respicit ad vexationes, quas Macedones Christiani passi sunt, et a gentibus Act. XVI, 20. sqq. et a Iudaeis, Act. XVII, 5. 13. Ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς, *eximia laetitia.* Ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, *summa paupertas*, i. e. βαθεῖα πτωχεία, sicut διὰ ταχέων, pro τα-

χέως, εἰς κάλλος, καλῶς. Comparate dicuntur pauperes, quia vix comparari poterant cum aliis, Corinthi et alibi in rerum affluentia et copia viventibus. *Ipsorum summa paupertas*, i. e. ipsi Macedones valde pauperes. Ἁπλότης est alioqui vox generalis, quae quamvis animi integritatem significat; hoc autem loco est *ingenua liberalitas*, ut infra IX, 11. 13. Rom. XII, 8. *Laetitia et magna paupertas eorum ἐπερίσσευσεν εἰς τ. πλ. τῆς ἁπλ. αὐτῶν, abundavit in maximam eorum liberalitatem;* i. e. liberalitas eorum multo maior apparuit, quam quae ab hominibus paupertate depressis, exspectari posset.

3. Ὅτι κατὰ — αὐθαίρετοι) Haud pauci subaudiunt ἐγένοντο, s. ἦσαν. Beza vero inusitatam putat hanc ellipsin, atque posse illud αὐθαίρετοι cum v. 4. iungi. Quare alii rectius huc e v. 5. referunt ἔδωκαν. Eodem modo verba coniungit *Fritzschius* l. c. p. 49. Sensus est: *Pro viribus (quod vere testari possum,), imo supra vires suas ipsi, nondum rogati, contulerunt.* Μαρτυρῶ est parenthesis. Ὑπὲρ δύναμιν, ut apud *Livium* XLV, 23. Atheniensium populum fama est celerem, *et supra vires* audacem esse ad conandum.

4. Μετὰ — δέξασθαι ἡμᾶς) *Cum multa obtestatione a nobis petentes (me et sociis meis,), ut reciperemus hoc beneficium, et deferremus istas pecunias ad Christianos (in Iudaea).* Παράκλησις est *deprecatio, obtestatio.* Ἡ χάρις *beneficium, eleemosyna*, vel etiam *gratia, die Gefälligkeit*, ut sensus sit: rogabant, ut ipsis ea in re gratificarer, ut vellem socius esse in hoc ministerio praestando. Sed

illud δέξασθαι ἡμᾶς deest in multis et optimis codicibus, in Versionibus et Patribus. Διακονία εἰς τοὺς ἁγίους, ministerium, quod praestatur Christianis, h. l. est illa collecta pecunia. Rogarunt τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας, i. e. rogarunt, ut et ipsi essemus κοινωνοὶ τῆς διακονίας, ut nempe in nosmetipsos reciperemus partem laboris, istas pecunias deferendi ad Christianos in Iudaea.

5. Καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν) Sc. ἐποίησαν. Post οὐ subauditur μόνον. Non hoc tantum fecerunt, quod speravit ἀλλ' ἑαυτοὺς — Θεοῦ) *sed etiam seipsos dederunt primum Domino, deinde mihi, Deo ipsorum animos movente.* καὶ hic ponitur pro ἔπειτα, ut respondeat voci πρῶτον. Devoverunt, vel tradiderunt se Domino, ad ministeria varia in ecclesia obeunda, non veriti tot molestias et pericula, quae instarent illis, qui publica in luce servitia addicerent Christo. Locutio διὰ θελήματος Θεοῦ varie accipitur; hoc loco recte vertitur: *Deo ipsorum animos movente.* Paulus itaque dicit, se iis non persuasisse aut eos eo adduxisse, ut sic facerent, sed Deum ipsis fuisse huius propositi auctorem.

6. Εἰς τὸ — χάριν ταύτην) *Itaque hortatus sum Titum, ut, sicut paulo ante instituerat, ita etiam pergeret vos hortari et inter vos colligere.* Ἐπιτελεῖν, *ad finem perducere.* Εἰς ὑμᾶς, pro ἐν ὑμῖν, *inter vos.* Sensus est: Ista tam inexspectata Macedonum alacritas me impulit ut Titum admonerem, iam omnino opus esse festinatione, ne Macedones vos antecellerent liberalitate.

7. Ἀλλ' ὥσπερ — περισσεύητε) Plena oratio esset eiusmodi: ἀλλὰ σπουδάζετε, ὥσπερ περισσεύετε ἐν παντὶ etc. ἵνα ὡσαύτως καὶ ἐν ταύτῃ χάριτι περισσεύητε. *Verum date operam, ut, quemadmodum excellitis in omnibus etc. ita etiam liberalitate superetis alios.* Περισσεύετε πίστει, excellitis universae doctrinae christianae cognitione; καὶ λόγῳ, facultate docendi alios; καὶ γνώσει, habitu recte iudicandi, cognitione sublimiore; καὶ πάσῃ σπουδῇ, omni studio ad agendas res bonas. Ex aliorum sententia *fides*, *doctrina*, *cognitio*, quoad rem non differunt. Vos iam antea demonstrastis aliis naviter factis, vobis non deesse alacritatem et facultatem in rebus procurandis. Καὶ τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ, *et vestro in me amore.* Ἐξ ὑμῶν, pro simplici ὑμῶν. Ἐν ἡμῖν, pro εἰς ἡμᾶς.

8. Οὐ — λέγω) *Non ex mandato hoc dico*; nolo de facultatibus vestris aliquid praecipere. Ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς) *Sed aliorum* (Macedonum nempe) *studio motus.* Quia Macedones tam praeclara studia in Palaestinenses ostenderunt, occasionem inde arripio admonendi vos. καὶ τὸ — δοκιμάζων) *Exploraturus, quam sincera sit vestra dilectio*, nempe in illos fratres, qui in Iudaea sunt. Τὸ γνησίον (ἢ γνησιότης) τῆς ἀγάπης, alibi ἀνυπόκριτος ἀγάπη, opponitur simulatae dilectioni. Fictus amor facile se excusat, si vel parcissime donat.

9. Γινώσκετε—χριστοῦ) χάρις, *benignitas, beneficentia.* ὅτι δι' ἡμᾶς ἐπτώχευσε, — πλουτήσητε) *Quod quum esset rerum omnium Dominus ditissimus*, i. e. beatitate abundantissimus, *tamen propter vos in*

maxima paupertate vixit in his terris, *ut eius paupertate divites fieretis*, i. e. etsi poterat esse beatissimus, quippe filius Dei, tamen multas calamitates pertulit, ut felices fieretis, et omnibus bonis cumularemini. In verbis πλούσιος ὤν ponitur species felicitatis, intelligitur autem omnis felicitas. Non enim Christus ullo tempore fuit dives, ut nos divites pecuniis dicimur, et quales illi erant, quos ex opibus suis aliquid erogare pauperioribus Paulus volebat. Fuit autem beatitate abundantissimus priusquam in has terras adspectabilis venit. Sic etiam *paupertate* Christi omnis eius humilitas et vita aerumnarum plena est intelligenda. Haec enim, Deo ita volente, salutis nostrae caussa facta est. Selegit autem Apostolus paupertatis speciem, quoniam hic de pauperibus et liberalitate sermo est. Sic Hebr. XII, 2. ponitur ignominia, intelligitur autem omne id, quod Christo accidit mali. Ibi enim erat sermo de iis, qui contemnebantur. Hoc comma uncis includendum esse videtur; nam verba sequentia v. 10. cum v. 8. cohaerent.

10. Καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι) *Sed consilium in hac re dare volui*; sententiam *meam*, *quid mihi in hac re faciendum videatur*, *dico*. Est quidem praeceptum Christi, iuvare pauperes, sed modus aliquis libertati relinquitur. Quod Macedones fecerant, tale erat, ut suaderi magis, quam iuberi posset. τοῦτο γὰρ ὑμῖν συμφέρει) *Hoc enim vos decet*, decorum est. Expedit nempe vobis tueri bonam famam, quam coepistis consequi, ne videamini leves et vani promissores. οἵτινες — πέρυσι) Haud pauci post Syrum et Arabem Erp. in his verbis loquendi genus inversum sta-

tuerunt, ubi in disparium comparatione praecedit quod naturali ordine subsequi debuit. Quare vertunt: *Siquidem iam anno superiori non solum promisistis, sed et hoc negotium agere*, i. e. colligere *coepistis*. Nulla tamen transpositione opus est, si cum veteris ecclesiae graecae interpretibus τὸ θέλειν de promta voluntate explicatur, ut sensus sit: *Siquidem coepistis non tantum praestare* (quod promisistis,), *sed etiam proclives fuistis* (ad hoc amoris officium praestandum). Sed *Fritzschius*, postquam (l. c. p. 6.) monuisset, verbum θέλειν *sponte faciendi* significatum non nisi cum alio verbo coniunctum habere posse, et προενήρξασθε ad benefaciendi initium ante factum, quam ad beneficentiam a quoquam provocarentur Corinthii, falso referri, ita de h. l. existimat: „Titus, cum a Paulo missus ad explorandum epistolae prioris inter Corinthios effectum Corinthi versaretur, imperatam 1 Cor. XVI, 1. sq. pecuniarum ad sublevandos pauperes hierosolymitanos collectionem inchoaverat, quod dicit P. προενήρξατο, *antea* inchoavit (v. 6.), rationem habens eius, quo hanc epistolam consignavit, temporis (ante hoc tempus, quo nunc scribo, initium fecit), sed nescio quo pacto non perfecerat. Itaque hac epistola per totum cap. VIII, et IX. ad suam liberalitatem peragendam multis modis permovere conatur Corinthios, Vss. 10. 11. autem hoc ad ipsorum voluntatem sibi conciliandam haud sane inefficaci argumento utitur, par esse, ut, qui, quod ipsum multum laudis habeat, aliam pecuniam iam contulerint, ad aliam colligendam se paratos declaraverint, hoc honestum nunc exsequantur consilium, atque ita pecuniarum collectionem perficiant. Proinde (pergit Fritzsche) singula verba sic explico:

προενήρξασθε *antea*, h. e. anno superiori (praesente Tito v. 6.) coepistis, ut vocc. ἀπὸ πέρυσι praepositionem πρὸ in verbo accuratius definiant; οὐ μόνον τὸ ποιῆσαι non solum *vere colligere*, ἀλλὰ καὶ τὸ θέλειν sed etiam *velle*, h. e. *novam liberalitatem animo suscipere*. Hoc modo non solum τὸ θέλειν tanquam gravius τῷ ποιεῖν oppositum est (nam qui nova beneficia veteribus addere vult, plus illo agit, qui in eo, quod praestitit, subsistit), sed etiam προενάρξασθαι utrique bene congruit, illi (τῷ ποιῆσαι), quoniam nondum tantum pecuniae erogaverant, quantum ad iustam λογίαν sufficere videretur, huic (τῷ θέλειν), quoniam in hac nova voluntate huc usque acquieverant. Quod ne mirum putes, *initii* notionem aliter in τὸ θέλειν, aliter in τὸ ποιεῖν informari oportere, hoc meminisse debemus, saepius Paulum brevius loquentem unum verbum duabus sententiis ita adiicere, ut notio verbi in utraque aliter cogitari debeat (cf. Vs. 2.)."

11. Νυνὶ—ἐπιτελέσατε) *Nunc perficite, quod bene inchoatum est.* Amat Paulus, ut et Graeci, Infinitivos ponere vice nominum, idque cum articulo neutro. ὅπως—ἔχειν) i. e. *Ut tam promtae voluntati respondeat tandem dignus effectus, pro vestra facultate.* οὕτω καὶ τὸ ἐπιτελέσαι, *adsit* scilicet. Ἐκ τοῦ ἔχειν, sc. τὰ χρήματα, ex eo, pro eo, quod habetis, aut potestis. Nec enim pauperes ipsis donis et muneribus aequare divites possunt; possunt autem animo liberali. *Fritzsche:* „Versus 11. cum altera v. 10. parte ἀλλὰ καὶ — πέρυσι proxime cohaeret ita, ut το ποιῆσαι, quod potiorem vim habet, verbis τὸ θέλειν respondeat: nunc vero etiam *factis ratam faciendo*

voluntatem (τὸ ποιῆσαι) perficite. Patrocinantur huic explicationi sequentia, ubi aperte ἡ προθυμ. τ. θ. sensu proclivitatis in voluntate positae opponitur τῷ ἐπιτελέσαι perficiendo, ut hoc dicat P.: ut, qua propensa *voluntate* beneficia *decrevistis*, eadem etiam *conferatis* (cf. v. 12.). Quapropter hic erit v. 10. et 11. sensus: Par est, vos pecuniam in pauperum usum conferre, quippe qui anno superiori et iam aes collegeritis et iterum colligere constitueritis. Ne hoc consilium destituite, imo ad eventum adducite. Nam ut promte stipem erogare voluistis, ita impigre etiam pro facultatum rationibus eam conferri vestrum est."

12. Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται) *Nam si modo animus promtus benefaciendi adsit.* Eleganter enim προκεῖσθαι dicuntur, *quae animo nobis proposuimus;* quorum faciendorum studio tenemur. Est loquendi ratio elliptica, et subintelligitur κατὰ νοῦν. Ioseph. Ant. VII, 8. 4. προσκαλεσάμενον Ἰώαβον, ἐπιτύχειν τε τοῦ προκειμένου κατὰ νοῦν ἔφασκε, se assecutum esse, quod in animo habuisset, dicebat, καὶ τὸν Ἀβεσάλωμον ἄγειν ἐκέλευσεν. Προκεῖσθαι etiam saepius ea dicuntur, *quae sunt ad manum, et parata;* hinc πρόκειται in Glossa apud Hesychium explicatur παράκειται. καθὸ — οὐκ ἔχει) *Propterea acceptus est, quia pro facultate, non supra facultatem dat.* Καθὸ pro κατὰ τοῦτο ὅ. Ἐὰν hic pleonastice ponitur. Εὐπρόσδεκτος, sc. Θεῷ καὶ ἀνθρώποις ἐστί. Placet Deo ista alacritas pro facultatum praesentium ratione, ut non opus sit, tenuitatem praetexi a quoquam, quasi non sit Deo futurum gratum ipsius munus, nisi par fuerit locupletum collationi. Nam spectat

Deus in probando munere, non id quod aliquis non habet, sed id demum quod habet: alioquin charitas esset divitum propria. Cf. Luc. XXI, 3. Marc. XII, 43.

13. Οὐ γὰρ—θλῖψις) Loquendi ratio elliptica pro: οὐ γὰρ τοῦτο βούλομαι ἵνα ἄλλοις ἢ ἄνεσις etc. *Nolo enim ex vestro damno et detrimento aliis parare rerum commoditatem.* Ἄνεσις, *relaxatio*, h. l. est *abundantia, commoditas rerum*, θλῖψις, *egestas, penuria.* Non vos detrusurus sum in pauperum locum; sed id tantum rogo, quo vos possitis carere sine propria molestia.

14. Ἀλλ' ἐξ ἰσότητος) *Sed propter aequalitatem.* Ἐκ, *propter.* Sensus est: *ut sit par conditio*, vestrorum, et aliorum Christianorum. Si ex eo, quo forte apud vos quidam abundant, conferatur aliquid, quo isti Palaestinenses nimis egeni destituuntur, tum fiet quasi exaequatio. Sic aliis procuratur commodum sine vestro incommodo. Ἐν τῷ νῦν — ὑστέρημα) Ante ἐν τῷ νῦν καιρῷ supple: ἵνα, et post ὑστέρημα, γένηται. *Ut hoc tempore abundantia vestra illorum inopiae subveniat. Hoc tempore*, quo Christiani Palaestinenses bonis omnibus exuuntur a Iudaeis. ἵνα καὶ — τὸ ὑμῶν ὑστέρημα) *Ut* (vicissim alio tempore) *illorum abundantia illud suppleat, quo vobis forte opus fuerit.* Ut si quando calamitas illa in Iudaea cessaverit, et vobis forte aliquid acciderit adverso, illi ex suis divitiis aliquid conferant ad sublevandam vestram paupertatem. ὅπως γένηται ἰσότης) *ut aequabilitas utrinque locum habeat.* Hoc non eo valet, ut patres multorum liberorum, ipsi nihil plus possideant, quam alii; sed ut

quodammodo exaequetur istorum penuria per beneficentiam aliorum.

15. Καθὼς γέγραπται — οὐκ ἠλαττόνησε) *Ut idem eveniat, quod scriptum est: Qui multum* (Mannae) *collegerat, non abundavit, et qui modicum tantum collegerat, non laboravit inopia.* Exod. XVI, 18. Post τὸ πολύ, et post τὸ ὀλίγον subauditur ἔχων, vel συλλεξάμενος. Ἐλαττονέω, *minor sum, habeo minus ceteris*, extra vers. Alexand. non occurrit. Nempe, si quis Israelitarum supra usus suos collegerat, aliis, quibus collecta non sufficeret, impertiebatur, quo facto ἰσότης servabatur, ut nemo per istam suam copiam alteri penuriam crearet. Hoc vult Apostolus: De pauperitate et divitiis inter vos, idem habeat locum, quod apud Mosen dicitur etc. Qui nempe possidet parum, pauper, is non debet carere; ceteri debent eum adiuvare.

16. Χάρις — Τίτου) i. e. *Maxime laetor, Deum idem hoc studium excitasse in animo Titi,* ut nempe hoc negotium inter vos procurandum susciperet. Phrasis: Χάρις τῷ Θεῷ ex seria re quasi translata est ad proverbium, et h. l. indicat, studium hoc Titi Paulo valde placuisse.

17. Ὅτι τὴν μὲν παράκλησιν ἐδέξατο) Τὴν παράκλησιν, sc. τὴν ἐμήν, *facile mihi obsecutus est.* Cf. supra v. 6. σπουδαιότερος—ὑμᾶς) *Imo tam liberali fuit animo, ut ultra ad vos proficisci vellet.* Ostendit se praevenisse mea desideria, et sua sponte iam id cupiisse. Σπουδαιότερος δὲ ὑπάρχων, *quum autem stu-*

diosior (vestri) *esset*, sc. quam ut exhortatione mea opus esset. Αὐθαίρετος, i. e. ἑκουσιαζόμενος, *qui sponte et volens aliquid facit.* Ἐξῆλθε, *profectus est.*

18. Συνεπέμψαμεν—τῶν ἐκκλησιῶν) Quis fuerit hic itineris socius, non constat. Non pauci intelligunt Lucam; alii Silam, alii Barnabam, alii Marcum, alii alium, sed certi nihil definiri potest, nec magni refert, quisquis is fuerit. *Marcum* fuisse *Storrius* (p. 84. not. 166.) putat, quod nomen eius tum per itinera Evangelii caussa suscepta, tum multo magis per *expositionem vitae Iesu* latissime per ecclesias manavisset. Sed valde dubium est, an Marcus tum temporis Evangelium suum iam ediderit. Probabilior est *Emmerlingii* sententia, fuisse *Lucam.* „Ut enim Hieronymi et Ambrosii testimonium omittamus, nostra sententia haud parum ex Ignatii epist. ad Ephes. confirmatur, qui Lucam iisdem paene verbis, tanquam *hominem, qui apud omnes ecclesias bene audiat,* inducit.“ Οὗ ὁ ἔπαινος—ἐκκλησιῶν) *Qui magnam sibi laudem in tradenda doctrina christiana apud omnes ecclesias comparavit.* Ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, i. e. propter studium in tradendo Evangelio.

19. Οὐ μόνον δὲ) Sc. τοῦτο. *Sed non hoc tantum* ad eius laudem pertinet, quod Evangelio proferendo dedit iam apud multas ecclesias operam. ἀλλὰ καὶ—χάριτι ταύτῃ) *Sed et solenni ritu designatus est ab ecclesiis, ut sit comes nostrae peregrinationis et colligendae huius eleemosynae.* Χειροτονηθείς, sc. ἐστιν, *suffragiis electus est,* ordinatus, initiatus,

muneri huic rite admotus est. Vel Anacoluthon in his verbis est, ut χειροτ. pendeat ab ἔπαινος v. 18. Potuit enim sententia v. 18. expressa sic animo scriptoris obversari: ὃς ἐστιν ἐπαινούμενος ἐ. τ. ἐ. δ. π. τ. ἐ., ut v. 19. hanc ferme habeat rationem: οὐ μόνον (scil. ἔστιν ἐπαινούμενος κ. τ. λ.) ἀλλὰ καὶ χειροτονηθεὶς, *misimus cum eo illum, quem nostis fratrem, qui est vir celebratus in omnibus coetibus chr., neque solum celebratus, sed etiam electus* etc. Cf. *Fritzschium*, l. c. p. 50. Χειροτονεῖν (ex χείρ, *manus* et τείνειν, *extendere*) proprie est: *manum extendere* et *attollere*. Iam quia consuetudo fuit veterum, ut coetus hominum, paulo maiores, suffragia ferrent per manuum extensionem, et electio manibus, vel etiam digitis sublatis indicaretur, factum est, ut χειροτονεῖν non solum significaret: per suffragia aliquem creare, et muneri alicui praeficere, sed etiam absque suffragiis aliquem eligere, ordinare, designare. Συνέκδημος, *peregrinationis socius*. Ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, a pluribus, succedente tempore eandem auctoritatem accepit, ut prae aliis esset comes Pauli atque adiutor huius negotii. *Storrius* tamen (p. 83. not. 165.) non eundem hoc commate ac v. 18. intelligit, sed hoc sibi velle putat Apostolum, non modo Titum cum antiquiore comite reverti Corinthum, sed ab ecclesiis (Macedonicis v. 1.) hortatu Apostoli, qui recentes Pseudapostolorum suspiciones ex Tito cognovisset (c. XII, 16—18.), ac materiam calumniae subtrahere vellet, nuper designatum fuisse certum hominem, qui argentum in Macedonia collectum nunc quidem in Achaiam, unde Paulus mox subsecuturus Hierosolyma cogitaverat, deinde vero in comitatu Pauli Hierosolyma deportaret, quor-

sum etiam Corinthii suam stipem per suos legatos, ipsum comitaturos, mittere possent. Metonymice χάρις vocatur id, quod ex liberalitate datur. τῇ διακονουμένῃ — προθυμίαν ὑμῶν) *Quae procurata est a me ad gloriam Domini amplificandam, et prolixam vestram voluntatem comprobandam.* Vel: Εἰς προθυμίαν ὑμῶν, pro: εἰς δόξαν προθυμίας ὑμῶν, in laudem vestrae prolixae voluntatis. Pro ὑμῶν nonnulli codd. et verss. habent ἡμῶν, quod esset: ad meam prolixam voluntatem excitandam. Τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν, *quam procuravi*, in Macedonia scilicet. Verbum διακονεῖσθαι hic sumitur, ut supra v. 4. vox διακονίας, et significat: *procurare.*

20. Στελλόμενοι τοῦτο) *Dum hoc caveo.* Cohaeret hoc participium (ut et προνοούμενοι v. 21.) cum verbo συνεπέμψαμεν, v. 18. Στέλλεσθαι est *mitti, dimitti*, et in media voce, *se avocare, se subducere, devitare. Polyb.* hist. V, 17. οὐ δυναμένων καθόλου τὴν ἐκ τῆς συνηθείας καταξίωσιν στέλλεσθαι, *quum non possent omnino declinare reverentiam consuetam.* μή τις — ὑφ' ἡμῶν) *Ne quis me vituperet propter copiosam hanc pecuniam, quae a me colligitur.* Ἁδρότης, *magnitudo, robur*, h. l. est *copiosa pecunia*, a Corinthiis, ut certo sperat, conferenda. *Hesych.* ἁδρὸς, πλούσιος, ἁδρὸν, μέγα, δαψιλές, παχύ. Pergit Apostolus in declarando suo consilio, quod pertinet ad integerrimam procurationem eleemosynarum. Ne, inquit, ulla suspicio aut obtrectatio hominum malignorum locum habeat, nisi tales viros, qui illud negotium apud vos ita procurent, ut nihil vituperationis in me cadere possit.

21. Προνοούμενοι — ἀνθρώπων) *Quia studeo honestati et virtuti, ita ut non solum Deo eam probem, sed etiam hominibus.* Προνοοῦμαι, medium, *studeo, operam do.* Ἐνώπιον κυρίου, h. l. ut saepius est, *iudice Deo*, quo indicatur, aliquid revera et manifesto tale esse, quale esse dicitur, ita, ut ab ipso Deo probari possit. Hoc vult Apostolus: Prospicere mihi volui, ne quis me possit carpere, et dicere, fraudem a me esse admissam.

22. Συνεπέμψαμεν δὲ αὐτοῖς τὸν ἀδ. ἡμῶν) Alium praeter istum, de quo v. 18. dixerat. Si is, de quo v. 19. sermo erat, diversus erat ab illo, v. 18. *plures* fuerunt, qui Tito adiungi, et ab eo discerni poterant. Ὃν — σπουδαῖον ὄντα) *Quem experti sumus in multis rebus saepe officiosum et industrium.* Σπευδαῖος, *diligens, sedulus, officiosus.* νυνὶ δὲ — εἰς ὑμᾶς) *Nunc autem* (in hac caussa) *multo studiosiorem se praestabit, ideo quod de vobis omnia sperat optima*, vos nempe fore liberales.

23. Εἴτε ὑπὲρ Τίτου) Sc. quaestio est. *Si de Tito agitur.* Vel: Demonstrate igitur eximiam beneficentiam, εἴτε ὑπὲρ Τίτου, s. propter Titum, qui est κοινωνὸς ἐμὸς, socius laboris in Evangelio praedicando, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργὸς, et apud vos adiutor mihi fuit; qui est quasi meo ipsius loco, atque *gentibus* solet maxime studere. Nam referenda sunt haec, quae hoc commate scribuntur, ad rationem, qua moveri vult Paulus Corinthios, ad copiosam collectam praestandam, ut ex v. 24. patet. εἴτε ἀδελφοὶ — ἐκκλησιῶν) *sive alii fratres nostri* ad vos veniant, *omnes sunt legati ec-*

clesiarum, nempe e gentibus, ut additur Rom. XVI, 4. δόξα Χριστοῦ) Metonym. Instrumenta sunt gloriae Christi. His igitur potestis fidem habere.

24. Τὴν οὖν — ἐνδείξασθε) Est Hebraismus: nam ἐνδείξασθε ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης καὶ καυχήσεως ponitur pro: ἐνδείξασθε ἀγάπην καὶ καύχησιν, *ostendite ipsis amorem vestrum erga eos, et ostendite, vera esse, quae de vestro in me et meos affectu praedico.* εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν) Εἰς πρόσωπον, pro ἐν προσώπῳ. *Ut omnes ecclesiae hoc audiant et intelligant.* Titus nempe ab uno coetu ad alterum faciens iter, ubicunque venerit, laudabit vestram liberalitatem.

CAP. IX.

1. Περὶ μὲν—γράφειν ὑμῖν) *Ego vero, quod attinet ad negotium colligendae stipis, supervacaneum duco, copiosius vobis scribere.* Cf. cap. VIII, 24. Haec connectenda fuerant cum superioribus. Ostendit enim Apostolus, se nullis ultra hortatibus uti velle super isto negotio pauperum, quum de ipsis omnia maxima multis de caussis expectet.

2. Ἣν ὑπὲρ—ἀπὸ πέρυσι) *De qua apud Macedones glorior, Achaiam nempe iam anno superiori paratam esse*, et largiter in commune contulisse. Cf. cap. VIII, 10. Ne Macedonibus plus tribuere videretur, quod plus dedissent, solatur Archivos, quorum praecipui Corinthii, hoc honore, quod priores incepis-

sent. καὶ ὁ ἐξ—πλείονας) *Et vestrum* (in hac re) *studium provocavit quam plurimos.* Ἐξ ante ὑμῶν redundat. Sic per Corinthios excitat Macedonas, et per hos excitat illos.

3. Ἔπεμψα δὲ ἀδελφοὺς) Sc. τούτους, qui vobis has litteras tradunt. ἵνα μὴ — μέρει τούτῳ) *Ne, quod vos fecisse iactavi, vanum reperiretur hac in re.* Τὸ κάυχημα ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, *gloriatio, laus mea de vobis.* Κενοῦν, *evacuare, rem aliquam virtute sua privare*, h. l. est *facere, ut aliquid vanum, fictum appareat.* Ἐν τῷ μέρει τούτῳ, *in hac parte*, quod attinet ad laudes, quae vobis tribuere soleo, ratione promtitudinis vestrae pecunias colligendi in usum Christianorum Palaestinensium. Volui per eos tempestive vos admonere. Iam enim Pauli et Corinthiorum multum intererat, ut tam copiosa pecunia omnino in Achaia colligeretur, quam solebat largiter promittere.

4. Μήπως — λέγωμεν ὑμεῖς) *Ne, si mecum venissent Macedones, et imparatos vos deprehendissent, erubescendum sit mihi, ne dicam vobis.* Fieri posse dicit, ut quidam ex Macedonia secum proficiscantur; non dicit certo sic eventurum esse. ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως) *Ob confidentem illam gloriationem*, i. e. quod inde a tanto iam tempore confidentissime gloriatus sim de vestra liberalitate; *wegen dieses dreisten Rühmens (eurer Freigebigkeit).* Nam ὑπόστασις est *fiducia*, Hebr. XI, 1. Polyb. IV, 40. οἱ δὲ Ῥόδιοι, θεωροῦντες τὴν τῶν Βυζαντίων ὑπόστασιν. VI, 53. de Coclite: οὐχ οὕτω τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ καὶ τὴν τόλμαν καταπεπλεγμένων τῶν ἐναντίων.

5. Καὶ προκαταρίσωσι τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν) *Et interea procurent munus vestrum, de quo iam multum dixi.* Εὐλογία more hebraico, *donum, beneficium,* quia pro beneficiis Deo aliisque agimus gratias et bona omnia precamur. Προκατηγγελμένην, i. e. προειρημένην, praedictam, de qua iam multum dixi: vel, beneficium, iam antea Macedonibus nunciatum, v. 2—4. Nonnulli codices vetusti, quibuscum consentiunt versio copt. Vulg. et Itala et Patres nonnulli pro recepta lectione habent προεπηγγελμένην, beneficium *promissum.* ταύτην—πλεονεξίαν) Ante ταύτην supple ὥστε, ut plena sit oratio: ὥστε ταύτην ἑτοίμην εἶναι etc. *Ita ut paratum sit tanquam munus satis copiosum, haud parcum.* Εὐλογία adiunctam habet notionem doni satis copiosi, πλεονεξία, donum parcum et exiguum.

6. Τοῦτο δὲ) Sc. φημί, vel ut Graeci interpretes explent: τοῦτο δὲ τῆς ἐλεημοσύνης τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. Quod statim sequitur, est proverbium, ut apud Ciceron. de Orat. II, 65. Ut sementem feceris, ita metes. Σπείρειν h. l. metaphorice est: *distribuere, erogare,* et inprimis de eleemosynis et beneficiis usurpatur, θερίζειν, *mercedem reportare,* et pertinet ad retributionem Dei. Ἐπ' εὐλογίαις, *liberaliter.* Si donum vestrum fuerit parcum, non magnos vobis fructus afferet.

7. Ἕκαστος καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ) *Unusquisque* det *quemadmodum* s. *quantum vult.* Nam praepositionis πρὸ in voce προαιρεῖσθαι nulla est vis et emphasis; et sicut προαίρεσις saepe est *voluntas,*

sic προαιρεῖσθαι denotat *velle*. Sic apud Iosephum A. IV, 6. 2. Balamus negat, se posse Israëlitis mala imprecari; nam τὸν Θεὸν ἀντιλέγειν αὐτοῦ τῇ προαιρέσει, *Deum resistere eius voluntati*. Hoc sensu etiam verbum προαιρεῖσθαι apud Philonem occurrit. De Sacr. Ab. et Ca. p. 135. A. Legat. ad Cai. p. 1005. D. ἱλαρὸν — Θεὸς) Videtur fuisse sententia trita apud Hebraeos: nam occurrit huic similis Prov. XXII, 8. et in Siracide. *Is demum Deo placet, qui hilari et lubenti animo dat.*

8. Δυνατὸς — εἰς ὑμᾶς) *Potest autem Deus omnis generis dona largissime in vos conferre.* Περισσεύειν, ut hebr. Hiphil. *facere ut quis abundet*, quemadmodum βασιλεύειν, *facere ut quis regnet*. Πᾶσαν χάριν appellat *Dei dona*, ut rei domesticae augmentum, opportunitatem commodam acquirendi huius vitae bona etc. ἵνα ἐν παντὶ — ἀγαθὸν) *Ut ipsi in omnibus rebus semper habeatis, quod sufficiat, et largiter collocare possitis beneficia in alios.* Deus non concedet, ut unquam ob egestatem vel inopiam huius liberalitatis vos poeniteat.

9. Καθὼς — αἰῶνα) Supple: *Ut etiam vobis eveniat.* Verba desumta sunt ex Psalmo, qui Hebraeis CXII, 9. *Sparsit*, i. e. *liberaliter dat pauperibus*; *haec eius liberalitas non desinit per omnem vitam.* Quamdiu vivit, tam diu liberalis esse potest, quia nunquam eget, Deo eius liberalitatem remunerante. Δικαιοσύνη, hebr. צְדָקָה, *benignitas*, inprimis erga egenos, liberalitas. Aliis δικαιοσύνη h. l. est benignitatis et li-

beralitatis praemium, ut sensus sit: *Liberalitatis suae praemia certa ei manent.*

10. Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν — βρῶσιν) *Deus vero, qui suppeditat semen serenti, et panem ad escam.* Ies. LV, 10. Sensus est: Deus, cui datori omnia debemus. χορηγήσαι—σπόρον ὑμῶν) *Suppeditet et multiplicet sementem* quasi *vestram.* Per *sementem* autem Corinthiorum intelligit beneficia, quae collocare in egenos Christianos Palaestinenses decreverant. Χορηγήσαι καὶ πληθύναι sumuntur in Optativo. Vulgata et quidam alii interpretes minus commode verba: καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι coniunxerunt. καὶ αὐξήσαι — ὑμῶν) *Et augeat fructus liberalitatis vestrae*, ut nempe fructus copiosissimi ex illa vestra liberalitate ad vos et ad Palaestinenses redeant. Γενήματα, de proventibus agrorum dicta, transferuntur ad ea, quae consequuntur ex aliqua re.

11. Ἐν παντὶ—ἁπλότητα) *Ut omni modo sitis divites ad omnem ingenuam liberalitatem*, i. e. ut satis divites sitis ad exercendam liberalitatem. Post πλουτιζόμενοι, structura negligentior, in nectendis periodis Paulo valde usitata; nec opus est, ut ἔστε, s. ἔσεσθε subaudiatur. Ἁπλότης vero hic est *ingenua liberalitas*, ut supra VIII, 2. ἥ τις — Θεῷ) *Quae caussa est, cur nos Deo gratias agamus;* vel: ita distribuemus illa beneficia, ut Deo maximae gratiae agantur. Ita εὐχαριστία traheretur ad alios Christianos, praecipue ad Palaestinenses, qui laudaturi essent Deum, si per Pauli hoc ministerium se tantopere adiutos experirentur. Possunt etiam ita verti haec verba: *Quae*

(liberalitas vestra ingenua) *efficiet, ut multi, nobis monentibus* (δι' ἡμῶν) *gratias agant Deo.*

12. Ὅτι ἡ διακονία—τῷ Θεῷ) *Nam hoc officiosum publicum beneficium non tantum sublevat egenos Christianos, sed et multorum hominum animos impellit ad gratias agendas Deo.* Ἡ διακονία, *ministerium quodvis,* sive *officium, Dienst, Gefälligkeit.* Λειτουργία, omnes sumtus publici, veluti si quis suo sumtu domum publicam aut navem exstruat. H. l. est *publicum beneficium* a coetibus Christianorum collatum. Ἡ διακονία τῆς λειτουργίας, *officiosum publicum beneficium.* Alii τὴν διακονίαν referunt ad Paulum, qui hoc beneficium procurabat suis monitis et precibus, ut sensus sit: *Nam illud ministerium, quo publice fungor in colligendis eleemosynis, non modo eo pertinet, ut suppleatur aliorum Christianorum inopia.* Nolite existimare, nihil aliud vos sic agere, quam pauperes adiuvare; quod et ipsum non est exiguum, et Christiano maxime dignum. ἀλλὰ — Θεῷ) *Sed et multorum hominum animos impellit ad agendas Deo gratias;* exuberat, se exserit per multas gratias, efficit gratiarum actionem. Dativus Θεῷ regitur ab εὐχαριστεῖν, idque fit more cultissimorum scriptorum, quibus mos est, ut Nomina Verbalia, cognatamque Verborum suorum significationem sortita, eandem constructionem admittant, quam Verba ipsa. Iam quemadmodum dicitur εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ, ita quoque εὐχαριστίαι τῷ Θεῷ. Tale illud Iosephi Ant. V, 1. 3. τὰ πρὸς ὑπηρεσίαν ταῖς θυσίαις σκεύη, pro: τὰ πρὸς ὑπηρεσίαν τῶν θυσιῶν σκεύη, *vasa ministerio sacrificiorum destinata.*

13. Διὰ τῆς — τὸν Θεὸν) *Laudabunt enim Deum propter hoc munus, quo ingenuitatem vestram* (vos genuinos Christianos esse) *declaratis.* Δοξάζοντες, pro δοξαζόντων, ut voci πολλῶν vel ἁγίων responderet; cuiusmodi Anacoluthon apud optimos Scriptores occurrit. Ἡ διακονία, pro ipso munere, quod supra v. 10. τὴν δικαιοσύνην vocaverat Apostolus. Ἡ δοκιμὴ h. l. est *id, quod experientia facta cognoscitur, probata et spectata indoles.* ἐπὶ τῇ — Χριστοῦ) *Quod* nempe (hac vestra liberalitate) *obedientiam erga religionem publice declaraveritis.* Τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας pro: τῇ ὑποταγῇ ὁμολογουμένῃ. Qui enim liberales erant in alios Christianos, eo ipso publice quasi profitebantur, se consentire cum illis in fide. Hunc esse verum horum verborum sensum, ex sequentibus mihi patere videtur, ubi idem fere repetitur. καὶ ἁπλότητι — πάντας) *Et quod sincere consentiatis* (in religionis professione) *cum iis* (in quos liberales estis) *et cum omnibus* (aliis Christianis). Ἐπὶ τῇ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας, pro τῇ κοινωνίᾳ ἁπλῇ. Alii κοινωνίαν *de liberalitate* explicant ut Hebr. XIII, 16.

14. Καὶ αὐτῶν — ἐφ' ὑμῖν) Ante haec verba repete ex v. 12. ἡ διακ. — — περισσεύουσα. Sensus est: Liberalitas vestra etiam sic in Deum redundat, *quoniam pro vobis preces faciunt: amant enim vos propter immensam Dei erga vos gratiam;* quia Deus vos non solum divitiis, sed et animo bono et liberali ornavit. Ἐπιποθεῖν, proprie: *valde desiderare, vehementer cupere*, h. l. per metonymiam significat *impense amare.*

15. Ἐπὶ τῇ—δωρεᾷ) *Pro ineffabili ipsius beneficio*, in vos et omnes gentes collato. Ἀνεκδιήγητον, id, quod tantum est, ut explicari nequeat; quod sat dici et laudari nequit. Paulus se adiungit illis, qui gratias agebant Deo pro tanto beneficio.

CAP. X.

1. Αὐτὸς—Χριστοῦ) *Ego ipse vero Paulus rogo vos ea lenitate atque humanitate, qua Christus esse consuevit.* Etymol. Ἐπιεικὴς παρὰ τὸ εἴκειν καὶ ὑποχωρεῖν, καὶ γὰρ οἱ πρᾷοι ὑποχωροῦσι καὶ οὐκ ἀντιτείνουσι. *Hesychius*, ἐπιεικῶς, πάνυ λίαν πράως. Incipit iam *tertia* pars huius epistolae. Quae iam sequuntur, non convenire videntur cum istis laudibus, quae supra c. VII, 6. 16. et c. VIII. IX. commemorantur. Videtur itaque Paulus haec alio tempore scripsisse. Vid. not. ad c. XII, 20. Defendit suam agendi rationem et auctoritatem adversus adversarios aliquos, qui ipsi adhuc obtrectabant, epistolas eius quidem severas esse concedentes, sed praesentem eum nihil valiturum, nec minis suis re ipsa satisfacturum, v. 10. Primo igitur Paulus mansuetudinem suam defendit *exemplo Christi;* deinde ipsis illis amore et modestia plenis precibus confirmat, non modo absentem verbis, sed praesentem quoque re ipsa castigaturum se esse immorigeros, si salus ecclesiae aliter non possit restitui, v. 8. Πραότης καὶ ἐπιείκεια τοῦ Χριστοῦ est *clementia similis clementiae Christi.* Διὰ τῆς πραότητος, *cum lenitate, leniter.* Nam ב Hebraeorum interdum voce διὰ exprimitur, ut 1 Cor. XIV, 19. Ceterum

de obtrectationibus adversariorum forte Titus aliquid resciverat, et Paulo exposuerat. ὃς κατὰ — εἰς ὑμᾶς) *Qui praesens apud vos timidus* multis videor, *absens vero videor esse severus in vos.* Ταπεινὸς ἐν ὑμῖν, sc. εἰμί. Ταπεινὸς est, qui demisse se gerit, modeste et timidius inter alios versatur, nec sibi quicquam arrogat. Θαρρῶ εἰς ὑμᾶς h. l. ex oppositione est: *asperius vos et durius castigo atque reprehendo.* Sic Paulus se ipsum describit ipsis adversariorum verbis, ut e v. 10. apparet, ubi adversarii loquentes introducuntur. Κατὰ πρόσωπον, *coram*, hebr. לִפְנֵי. Dicebant obtrectatores, eum praesentem multo lenius agere, quod offensas metueret, aut gratias captaret.

2. Δέομαι — περιπατοῦντας) *Hoc autem rogo*, ut ita vos geratis, *ne opus mihi sit, quum advenero, uti ea severitate, qua usus esse existimor erga quosdam, qui putant me agere, ut infirmi solent homines.* Δέομαι δὲ. Per epanalepsin repetit verbum synonymum, quia interiecerat nonnulla post παρακαλῶ in priori commate. Τὸ μὴ θαρρῆσαι, *ne cogar uti mea auctoritate*, ᾗ λογίζομαι τολμῆσαι ἐπί τινας, *qua audacius contra alios uti existimor;* nam τολμῆσαι ἐπί τινα est *audacius se gerere; pro auctoritate agere contra aliquem.* Σάρξ h. l. ut saepius significat *ipsum hominem*, adiuncta infirmitatis notione. Κατὰ σάρκα περιπατεῖν igitur est: agere, ut homines vulgo agere solent, qui praesentes quidem timidi tacent, sed absentes acrius increpant, adeoque sui dissimiles sunt; vel consilia ad hominum mores adaptare; minari timi-

dis, cedere audacibus; quod est hominum humilium, qui carent interna virtute. Cf. supra I, 12. 17.

3. Ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατοῦντες) *Quanquam enim homo sum,* sicut sunt alii. Ἐν σαρκὶ εἶναι, in conditione esse humana, infirma, et multis malis obnoxia. οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμεθα) *Tamen non milito ut homines infirmi* et timidi *solent*, nempe cum adversariis meis et cum impedimentis quae tollere studeo. Saepius utitur Paulus tropo *militiae* in describenda ministrorum religionis fortitudine, 1 Tim. I, 18. 2 Tim. II, 3. 4. 5.

4. Τα γὰρ — σαρκικὰ) *Nam arma quibus utor non sunt invalida*, e. g. verborum lenocinia, rerum externarum nova omina et vota, fraudes et fallaciae. ἀλλὰ — ὀχυρωμάτων) *Sed valida Deoque probata, ad destruendas munitiones* adversariorum. Δυνατὰ Θεῷ, quae Deo probantur, vel ἐν, σὺν Θεῷ, quibus Deus vim addit, vel etiam *iudice Deo.* Καθαιρεῖν dicuntur, *qui hostium ferociam contundunt, viresque frangunt.* Ὀχυρώματα *munitiones, loca munita, arces, castella.* Hoc loco intelliguntur impedimenta religionis Christianae, et nominatim sinistra adversariorum de Paulo iudicia, quae sane impedire poterant progressum muneris eius. Alii intelligunt omne id, cui hostes Evangelii confidunt, et contra veritatem doctrinae coelestis se muniunt efferuntque, qualia sunt humana sapientia, eruditio, eloquentia etc. Est vero hoc comma 4. in parenthesi seiungendum a sequenti, ut pergat constructio: στρατευόμεθα — λογισμοὺς καθαιροῦντες.

5. Λογισμοὺς — τοῦ Θεοῦ) *Destruens* (vincens) *omnes temerarias opiniones se extollentes adversus cognitionem Dei*, removens quaevis impedimenta propagandae doctrinae christianae. Est hic primum traiectio, pro καθαιροῦντες λογισμούς, καὶ πᾶν ὕψωμα. Deinde ἓν διὰ δυοῖν, nam λογισμοὺς κ. π. ὑψ. dictum est pro πᾶν ὕψωμα τῶν λογισμῶν. *Destruens omnes temerarias opiniones*, quas nempe adversarii de me habent. Λογισμοὶ h. l. non sunt *ratiocinationes*, sed *opiniones*. Respicit enim Apostolus ad eos, de quibus supra v. 2. dixerat: τοὺς λογιζομένους ὑμᾶς ὡς κ. σ. περιπ. Ὕψωμα, *altitudo*, et ex Hebr. *locus editus in monte, arx, castellum*, idem ὀχύρωμα. Hoc castellum quasi falsarum de me opinionum (inquit Apostolus) *extollit se* κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, *adversus cognitionem Dei*, i. e. impedimentum est propagandae cognitionis Dei. Nam illae adversariorum opiniones impediebant successum muneris Apostolici, atque adeo ipsius doctrinae Christi. Non multum abest a ratione poëtica scriptoris dictio h. l. Sicuti castellum *extollit se*, h. e. oppositum est hostibus; ita etiam castellum opinionum pravarum dicitur oppositum esse cognitioni Dei. καὶ αἰχμαλωτίζοντες — — Χριστοῦ) *Et in captivitatem redigo*, i. e. irritas reddo, *omnes machinationes, ut Christo se subiiciant.* Pergit Ap. in metaphora a bello desumta. Νόημα, *consilium hominum et machinatio*, ut supra c. II, 11. Intelliguntur h. l. ipsae illae artes et machinationes adversariorum Pauli, de quibus hactenus dixerat.

6. Καὶ ἐν ἑτοίμῳ—ὑπακοὴ) *Et paratus sum ulcisci omnem inobedientiam* (eorum qui doctrinae parere

nolunt), *ubi vos ad perfectam obedientiam adduxerim.* Postquam in *coetu* vestro omnia fuerint Christo subiecta, tum etiam membra se mihi opponentia in ordinem redigam. Hi opponentes se, fuisse videntur doctores, Pauli adversarii.

7. Τὸ κατὰ πρόσωπον βλέπετε;) *Adeone illa tantum, quae apud homines valent, respicitis?* Cf. supra V, 12. Πρόσωπον, *quod in homine spectatur, species et conditio externa.* Hic iterum nobis deest lux historiae. Respicit Paulus ad res quasdam nobis ignotas. De externis quibusdam ornamentis adversarii videntur fuisse gloriati, quae Paulo deerant, ut facundia sermonis, usus ac consuetudo Iesu ipsius in terra viventis, et quae sunt similia. Sed hac de re definiri nihil potest. εἴ τις—εἶναι) *Si quis gloriatur, se esse ministrum Christi.* Πέποιθεν ἑαυτῷ. Hebraismus, לו, *apud se ipsum.* Includit exprobrationem superbiae et negligentiae. εἶναί τινος de quavis arctiore coniunctione dicitur, discipulum, ministrum esse alicui. τοῦτο λογιζέσθω — ἡμεῖς Χριστοῦ) *is vicissim sua sponte agnoscat sicut ipse Christi minister est, ita me etiam Christi esse ministrum.* Si quis secum constituerit, christianum esse, vice versa perpendeat, quemadmodum ipse christianus est, me quoque eodem modo Christi doctrinam sequi. ἀφ' ἑαυτοῦ) *Ex sese*, i. e. etiam a me non admonitus.

8. Ἐάν τε—ἐξουσίας ἡμῶν) *Nam si amplius etiam quid glorier* (quam alii possent gloriari) *de potestate mea.* ἐξουσία, potestas, facultas docendi cum omnibus iuribus adnexis huic muneri. εἰς οἰκοδομὴν—ὑμῶν) *Ad*

commodum, non ad damnum vestrum. Tacite reprehendit immorigeros illos doctores, qui magis nocebant quam proderant. Οὐκ αἰσχυνθήσομαι, *non deprehendar vanus, vel mendax;* nam erubescit, qui mendax deprehenditur. Possem plus quam ullus alius doctor de munere meo gloriari.

9. Ἵνα μὴ — ἐπιστολῶν) *Ne videar vobis per epistolas modo terrorem incutere velle.* Ante haec verba supple: *Non facio hoc,* vel simile quid. Non addam plura ea de re, ne putetis, me tantum vanis minis ad terrorem abuti velle per impotentes epistolas.

10. Φησί) Certum quempiam istius sermonis auctorem designat, vel quemvis istorum exempli caussa sibi deligit Apostolus; sequitur enim ὁ τοιοῦτος, qui eiusmodi est. Ceterum ii, qui hic loquentes introducuntur, sunt ii, quos descripserat supra v. 2. οἱ λογιζόμενοι ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας. βαρεῖαι καὶ ἰσχυραὶ) *Graves et fortes, vehementes.* Non virtutes rhetoricae cogitandae, non de gravitate orationis in epistolis, sed de duritate, acerbitate et severitate cogitandum. Absentis illius epistolae sunt admodum durae et severae. ἡ δὲ παρ. — ἀσθενὴς) Ipse praesens satis timidus est. Praesens nihil valet, nihil efficit apud auditores suos; ideoque nec coram cum ipsis congredi audet. καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος) *Et sermo eius est contemnendus, humilis, abiectus,* propter tenuem pronuntiationem seu actionem, quae in idiota, voce etiam et lateribus destituto, neque natura neque arte adiuvatur.

11. Λόγῳ, ἔργῳ) Haec duo sibi respondent. Verbis minatur Paulus; sed, si opus sit, etiam rebus ipsis efficiendis non deerit.

12. 13. Οὐ γὰρ — συνιστανόντων) *Non enim possum a me impetrare, ut me nonnullis accenseam admisceamve, qui de se multa praedicare solent.* Ita eleganter vertit *Morus*, qui locum comm. 12 — 17. solide pro more interpretatus est in Progr. 1781. scripto, inserto dissertat. theol. et philolog. p. 99. sqq. Ἐγκρίνειν ἑαυτὸν τοῖς ἄλλοις, *aliis accenseri.* Συγκρίνειν saepe quidem significat *comparare* (παραβάλλειν), sed per seriem orationis, ipsamque rem, nunc non potest ita explicari. Negat enim Paulus, se aut esse, aut esse velle immodestorum hominum similem; proinde in eodem illo loco, quo se cum iis confert, non potuit scribere: *Nolo me cum iis comparare.* Est potius συγκρίνειν h. l. *commiscere.* In physicis συγκρίνεσθαι dicuntur res, quae coagmentantur et concrescunt; tropice igitur συγκρίνων ἑαυτὸν τοῖς ἄλλοις erit, *immiscens se aliis, coetui aliorum se immiscens, mores eorum imitatus.* Sic in vita communi dicimus: *Sich nicht unter die Grossprecher mischen oder mengen.* Paulus igitur non vult se admiscere iis, qui de se multa praedicare solebant. Nimirum dicere solebant Pauli adversarii, ab se omnem terrarum orbem docendo peragratum esse, etiamsi in multa loca non venissent, quo se iactabant venisse; aut ab se pluribus in locis multa praestita, ubi vix tantillum fecerant, sed alii et inchoaverant rem, et propemodum absolverant. ἀλλὰ αὐτοὶ — οὐ συνιοῦσιν) Haec est recepta lectio. Sed in confiniis v. 12. et 13. verba quatuor, οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς

δὲ; aut omnino spuria sunt, aut saltem admodum suspecta. Legendum igitur videtur: ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα. Ita hoc intelligendum esset de Paulo, quod et convenit adversativae ἀλλὰ αὐτοὶ etc. Tunc esset hic sensus: *Ego vero meo me modulo ac pede metiri soleo, et mecum habito, non extra terminos meos gloriolam quaero.* Quanquam καυχησόμεθα etiam *Moro* suspectum est, ex rationibus non contemnendis, infra tamen ubi scriptor in viam redit, sequitur: *gloriolam quaero;* quod hic recte posset suppleri. Verbis μετρεῖν ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ is describitur, qui, ut *Horatius* (Epistol. I, 7, 98.) dixit, suo se modulo ac pede metitur, adeoque nec inflate iactat ab se praestitum, nec temere suscipit praestandum, quod nec praestitit, nec praestare aut per vires, aut per tempora sua omnemque vitae rationem, poterit. Est ergo haec modestiae descriptio, a qua quidem virtute Paulus hoc loco unice commendari cupit. καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, *et comparans me mecum ipse.* Verbum συγκρίνειν nunc non potest esse *admiscere*; sed, ut respondeat illi alteri in priori membro μετρεῖν, quo *iudicium* exprimitur, erit *comparare*, in quo *iudicium* inest. Comparat autem se et componit aliquis secum ipse, qui iudicium fert de se ad normam suarum virium, factorum, meritorum, qui, quid ipse possit feceritque quaerit, qui tantum sibi tribuit, quantum ipsi convenit, non eo respicit utrum aequiparet aut superet alios, an ab iis longo intervallo relinquatur, uno verbo, qui pretium suis factis viribusque congruum sibi statuit. Quum autem haec duo membra proverbiorum quandam similitudinem ha-

beant, commode possunt verti: suo pede se metiri, secum habitare. Τὰ ἄμετρα, *immensa*, quae sunt absque mensura, h. l. id, quod iacet *ultra fines constitutos*, regionum scilicet et provinciarum, in quibus Paulus doctrinam christianam tradiderat. Εἰς τὰ ἄμετρα, *extra terminos* meos, i. e. extra meam dioecesin. Hoc ex statim dicendis lucem accipiet. Ceterum plerisque interpretibus verba, ἀλλ' αὐτοὶ — οὐ συνιοῦσι videntur sic intelligenda: *Sed illi* (iactatores) *qui se invicem* (cum sui similibus, non cum maioribus) *comparant, non intelligunt*, aut *non sapiunt. Lamb. Bos* (exercitt. philol. p. 178. sqq.) transfert: *Sed nosmet nobis ipsis metimur, nosque ipsos comparamus nobis ipsis, non sapientibus;* ut συνιοῦσιν sit Dat. plur. Participii, cuius singul. est συνιῶν, Rom. III, 11. Sed vide quae contra monuit *Morus* Progr. cit. *Fritzschius* quoque (cuius eruditissima de h. l. disputatio legitur l. c. Diss. II. p. 35. sqq.), deletis vocc. οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δὲ, sic vertit: *sed me ex meo modulo metiens mihique me conferens non praeter modum* (εἰς τὰ ἄμετρα), *sed ad modum ita mihi praefiniti a Deo spatii*, ut ad vos usque *prevenirem, gloriabor.* ἀλλὰ κατὰ — ἄχρι καὶ ὑμῶν) *Sed intra certos terminos, a Deo ita mihi praefinitos*, (sc. gloriolam quaero,) *ut adeo ad vos usque progrederer.* Κανὼν h. l. est certum, finitumque doctori spatium, uno verbo *dioecesis*; et is κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος καυχᾶσθαι dicitur, qui in tantum gloriatur, in quantum sua dioecesis patet, sive intra fines suae dioeceseos. Τὸ μέτρον autem τοῦ κανόνος est modus seu mensura, quae constat definito ambitu, quae nunc est definitum spatium, ut si scriptor μεμετρημένον κανόνα dixisset. Est ergo

μέτρον genus, κανὼν species, qua specie nominanda genus accuratius definitur, quale nominatim μέτρον nunc intelligendum sit. Quare sive dicat μέτρον solum, sive κανόνα solum, sive μέτρον τοῦ κανόνος coniungat: ubivis eadem res exprimitur. Quod autem Paulus a Deo sibi hoc μέτρον assignatum dicit, hoc est a latinae linguae consuetudine, provincia sibi, doctori, a Deo assignata. Scilicet placuerat divinae providentiae, itinera Pauli sic moderari, ut in haec potissimum loca, hoc potissimum tempore veniret: quae quidem rerum Paulinarum gubernatio divina nunc est μέτρησις Θεοῦ, et cum Paulus prae se fert, se tantum terrae spatium lustrasse, quantum ab eo lustrari divina providentia voluit permisitque, tum καυχᾶται κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ὁ Θεὸς, in tantum gloriatur, in quantum sua dioecesis patet, sive intra fines suae dioeceseos, nec gloriam quaerit in alio spatio, ubi non est materia gloriae illi debitae. Gloriari autem non est necessario vanitatis, sed honesta etiam professio eius, qui se illius loci illorumque hominum doctorem fuisse dicit, cuius loci et quorum hominum doctor revera fuit. Vid. Rom. XV, 19. Cum autem addit Paulus: ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν, indicat, Corinthum etiam fuisse in sua dioecesi.

14. Οὐ γὰρ — ὑπερεκτείνομεν ἑαυτούς) *Neque enim (quasi non ad vos usque progressus sim,) terminos transilio.* Bene monuit *Morus* commodiorem fore sensum, si aut Paulus ipse scripsisset, aut nobis scribere liceret, ὡς οἱ μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς, *ut ii, qui non ventitant ad vos,* et tamen apud vos se fuisse iactant. Ὑπερεκτείνειν ἑαυτὸν est Graecorum ὑπερπηδᾶν τὸν ὅρον,

ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, et respondet illi εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι, v. 13. quod statim v. 15. exprimitur ἐν ἀλλοτρίοις κόποις καυχᾶσθαι, quae verba significant eum, qui se id fecisse iactat, quod alius fecit; sibi laudem tribuit meriti alieni. Igitur sensus verborum, οὐχ ὑπερεκτείνομεν ἑαυτοὺς, est: Non enim nimis mihi tribuo, nec me id fecisse iacto quod alius fecit, dum in vestra urbe me fuisse prae me fero. ἄχρι — τοῦ Χριστοῦ) *Iam enim usque ad vos perveni in annunciatione Evangelii.* Prius nempe veni ad vos quam alii; anteverti alios, qui nunc demum, quia praesens esse non possum, sese ingerunt.

15. 16. Οὐκ εἰς — κόποις) *Non extra terminos meos gloriolam quaero ex aliena opera.* Ἐν ἀλλοτρίοις κόποις καυχώμενος, est is, qui se id fecisse iactat, quod alius fecit, adeoque ex aliena opera gloriolam quaerit. Hoc loco, qui de religionis christianae doctoribus agit, ea magniloquentia descripta intelligitur, qua quis Christianos ab se edoctos gloriatur, qui tamen alio praeceptore usi sunt, aut ab se provectos ulterius, qui iam alio duce et doctore magnos progressus fecerant. Tales iactatores erant falsi doctores apud Corinthios; talem autem se esse negat Paulus. ἐλπίδα — εὐαγγελίσασθαι) *Quippe qui sperem, ubi vos iusta religionis incrementa ceperitis, fore, ut, propter vos abunde intra terminos meos celebratus, etiam ultra Corinthium agrum doctrinam christianam proferam.* Μεγαλύνεσθαι per hebraismum est *laudari.* Sperat Paulus, si sua de Corinthiis merita innotuerint, fore, ut faciliorem ad alios aditum habeat, atque adeo ab iis expetatur sponte. Κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν, *intra ter-*

minos meos, ut v. 13. Εἰς περισσείαν, *ad abundantiam usque;* ut porro non possint isti gloriari, et Apostolatus mei fructus contemnere. Quia Corinthii magni erant navigatores et mercatores, sperabat, per eos aliquam famam Evangelii ad oras exteras perventuram, quae ipsi Paulo aditum ad praedicandum daret, ut olim factum erat Antiochiae. Εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν, *in locis ultra vos positis*, ultra vestrum agrum. οὐκ ἐν — καυχήσασθαι) *Nullo autem modo intra terminos alterius, ubi omnia iam praestita sint, mihi gloriola sit quaerenda.* Phrasis, ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι καυχᾶσθαι rem exprimit eandem, quam ἐν κόποις ἀλλοτ. καυχᾶσθαι. Εἰς τὰ ἕτοιμα, i. e. ἐν τοῖς ἑτοίμοις, *in iis locis, ubi omnia iam praestita sint.*

17. Ὁ δὲ — καυχάσθω) *Qui autem iactare se velit, non nisi de Domino se iactet*, i. e. ei unice haec beneficia et felicem successum laborum tribuat. Cf. 1 Cor. I, 31.

18. Οὐ γὰρ — συνίστησιν) *Nec enim, qui seipsum laudat, probus est et laude dignus, sed ipse quem Dominus commendat.* Ὃν ὁ κύριος συνίστησιν, sive nunc, per rerum prosperos successus, sive olim illo die iudicii.

CAP. XI.

1. Ὄφελον — τῇ ἀφροσύνῃ) *Utinam ferre possitis paullulum meam insipientiam.* Ironia. Τῇ ἀφροσύνῃ, *ob stultitiam*, vel, ut alii vertunt: *circa meam*

temeritatem, h. e.: Utinam aliquamdiu me feratis circa meam temeritatem. Sed componitur ἀνέχεσθαι interdum etiam cum Dativo (2 Thess. I, 4. ἐν ταῖς θλίψεσιν, αἷς ἀνέχεσθε, Eurip. Androm. 981. συμφοραῖς ἠνείχομεν), quod neminem mirum habebit (inquit *Fritzschius* p. 54.), qui diffusum illum per universam linguam græcam dicendi morem, cum in construendis verbis universalem eorum notionem, quam ea ipsa tenere malunt, hic quoque secutos esse scriptores reputaverit. Iam quum in *ferendo* notio contineatur *molestiae*, apertum est et recte dici ἀνέχεσθαι θλίψεσιν, συμφοραῖς, quasi *sustinendo premi calamitatibus, adversa fortuna*, h. e. perferre mala, et tralate ἀνέχεσθαι τῇ ἀφροσύνῃ τινός, i. e. premi alicuius temeritate, h. e. ferre eius temeritatem, quod est denique vanitatem alicui condonare. Alii legunt τῆς ἀφροσύνης, sc. ἕνεκα, vel est traiectio pro μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης μου. Insipientiam vocat extortam sibi apologiam, ideo quod speciem quandam insipientiae habeat apud eos, qui rem non penitus inspiciunt cum suis circumstantiis. Reprehendit simul stoliditatem adversariorum apud lectores, qui scirent immoderate istos novos doctores gloriari. ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου) *Sed fertis me.*

2. Ζηλῶ — ζήλῳ) *Nam aemulor vos* (vehementer *amo vos*) *aemulatione Dei*, non propter me aut pecunias vestras, sed Dei caussa. Ζῆλος Θεοῦ, *amor vere divinus*, ardentissimus. Nexum horum verborum cum antecedentibus ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου *Fritzschius* recte constituit sic: *Vos meam temerariam laudem aliquamdiu toleraturos esse spem mihi affert magnus meus, quo communicanda vobiscum doctrina di-*

vina bene de vobis promeritus sum, amor. ἡρμοσάμην — τῷ Χριστῷ) *Despondi enim vos tanquam virginem castam uni viro, Christo, ut nempe vos ad eum adducerem.* Infinitivus παραστῆσαι est qui dici solet ἐπεξεγητικός. Sensus est: Studui mea opera vos efficere Christi sectatores; ergo nolo vos mihi et Christo per doctores falsos abduci. Subest Pauli verbis similitudo *pronubi.* Ἁρμόζειν, *componere, aptare,* ἁρμόζεσθαι *despondere,* matrimonio *iungere,* quod verbum *Krebsius* h. l. mavult reddere: *praeparare, aptare.* Eius opinione sunt omnia verba ab amantibus sumta, et videtur Apostolus respexisse ad quendam Veterum morem, ex quo sponsae, hominum inprimis lautiorum, non solum bene casteque educabantur, sed diligentissime etiam curabantur, ut formae pulchritudinisque gratia sponsi animum capere et tenere possent. Esth. II, 12. Ioseph. Ant. XI, 6, 2. Ecclesia itaque esset sponsa, Christus sponsus, Paulus autem, ut quilibet verbi divini minister esset quasi curator huius virginis, ἐπιμελητὴς τῆς παρθένου, qui postquam hanc virginem satis curavit et praeparavit (ἡρμόσατο), eam Christo sponso παρίστησι, *adducit.* Sed simplicius est de *pronubi* officio cogitare. Cf. Io. III, 29. ibique not. Ἁγνὴν, *integram, puram,* quae nollet per aliorum societatem vel doctrinam pollui.

3. Ὡς — πανουργίᾳ αὐτοῦ) *Quemadmodum serpens ille Evam calliditate sua olim decepit.* Quanquam in Genesi de serpente, non autem de diabolo sermo est, Paulus tamen cum posterioris aetatis Iudaeis fecisse, et sub nomine serpentis Satanam in serpentem conversum sibi cogitasse videtur. Sapient. II, 24. Io.

VIII, 44. Apoc. XII, 9. 1 Io. III, 8. Proponit Apostolus exemplum mulieris deceptae, quoniam ecclesiam modo cum virgine comparaverat. οὕτω — εἰς τὸν Χριστὸν) *Ita mentes vestrae corrumpantur*, atque abducantur *ab illa* amoris *erga Christum simplicitate* s. *sinceritate*, vel *a simplicissima* s. *sincerrima illa doctrina Christi, quam vobis tradidi.* Φθαρῇ vobis nihil huiusmodi cogitantibus; sicut Eva non dedito studio transgressa est praeceptum Dei, sed calliditate seductoris in errorem delapsa est. Ἀπὸ τῆς ἁπλότητος, contracta locutio: *ut abiiciatis* illam sinceram doctrinam de Christo, quam a me hausistis. Demta similitudine hoc dicit v. 2. et 3. Apostolus: Bene vos erudivi, sed magnopere vereor, ne mea praecepta migretis.

4. Εἰ μὲν — καλῶς ἀνείχεσθε) Varie potest explicari hic locus, ut tamen sensus sit commodus. 1) Si quis istorum, qui ad vos veniunt, alium Iesum vel Salvatorem *(verum)* aliudque Evangelium *(verum)* commendat, (quod tamen fieri non potest,) recte sane eum toleraretis. Rectius tamen 2) *Si falsus aliquis doctor doceat alium* (falsum) *Iesum, quem ego non docui; si novam* (et falsam) *scientiam, qualem a me non accepistis, vobiscum communicet; si novum* (et falsum) *a meo diversum tradat evangelium; egregie tuleritis eum.* Cum ironia haec dicta sunt. Πνεῦμα h. l. est *cognitio a Spiritu accepta*, et quidem, respectu falsorum doctorum, *cognitio quam quis mentitur accepisse a Spiritu.* Ceterum *Fritzschius* (l. c. p. 64. sqq.) observat, hunc versum, nisi quid in scriptura aliter constituatur, explicari omnino non posse.

Non enim dicere potuisse Ap. *εἰ κηρύσσει — καλῶς ἀνείχεσθε.* Cum enim verbis *εἰ κηρύσσει* significasset, se *in ambiguo relinquere*, an eiusmodi doctores aliquando Corinthum perveniant, vocc. *καλῶς ἀνείχεσθε* hoc indicarent, recte eiusmodi doctores, si quando grassarentur, a Corinthiis admissum iri. Neque *κηρύσσει* et *λαμβάνετε* pro Praesenti historico haberi posse. Non enim falsos doctores Corinthum adiise narrat, sed *si eo venerint*, eos a Corinthiis exceptum iri contendit. Quare vel pro *κηρύσσει* scribendum esse *ἐκήρυσσεν*, vel pro *ἀνείχεσθε* (s. attico *ἠνείχεσθε*) reponendum *ἀνέχεσθε.* Ipse *Fritzschius* praefert lectionem: *εἰ κηρύσσει — καλῶς ἀνέχεσθε*, et *ἀνείχεσθε* s. *ἠνείχεσθε* vel a librariis satis mature e v. 1. huc traductum, vel e variis huius versus explicationibus, quae in ecclesia christiana iactarentur, enatum putat.

5. *Λογίζομαι — ἀποστόλων*) *Sed nulla in re inferiorem me esse eximiis illis Apostolis existimo.* *Ὑστερεῖν*, *posteriorem esse tempore*, deinde vero etiam *inferiorem esse.* Plutarch. de fort. Rom. *ἀλλ' ὁρᾷς πόσον ὑστερεῖς μου*; *sed videsne tamen quanto me sis inferior?* *Ὑπερλίαν*, *plusquam valde*, adverbium est compositum, ut *ὑπερεῦ*, *plusquam bene.* *Οἱ ὑπερλίαν ἀπόστολοι* sunt *eximii Apostoli*, vel *doctores*, i. e. qui se eximios esse praedicant, ut *ironice* designentur isti thrasones, qui Paulo detrahebant. *Vanos doctores* istos ipse nominat v. 13. Ceterum hunc versum *Fritzschius* per hanc intermediam sententiam cum praecedentibus cohaerere existimat: *Id perperam facitis*, quod scil. aures falsis doctoribus benigne datis. Etenim non sum deterior illis, qui sibi permagni videntur Apostoli.

6. Εἰ δὲ καὶ — γνώσει) *Si vero vel maxime imperitus sum loquendi*, (minus eloquens,) *at talis non sum cognitione et intelligentia rerum sacrarum.* Ἰδιώτης τῷ λόγῳ est, cui λόγοι et πειθὼ desunt, *qui non pollet eloquentia et vi dicendi.* Ioseph. A. II, 12. 2. Potest tamen ἰδιώτης τῷ λόγῳ etiam esse *graeci sermonis minus peritus;* qualem fuisse Paulum, ex scriptis eius patet, quum contra Graeci, Athenienses, Stoici stili facultate excelluerint. ἀλλ' ἐν — εἰς ὑμᾶς) *Sed potius omni tempore ac loco me vobis satis probavi*, conspicuum me reddidi (tanquam verum Apostolum atque doctorem). Ἐν παντὶ, scil. χρόνῳ. Quasi dicat: Quid attinet haec pluribus a me referri? Vos ipsi, sicut alii multi, me estis experti, et noscitis qualis sim.

7. Ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα) Ironice. Nisi quidem hoc est meum peccatum. Si eximii illi doctores hoc putant peccatum esse quasi, et dignitati muneris Apostolici non conveniens, quod mihi his manibus victum paravi, facile patior. ἐμαυτὸν — ὑψωθῆτε) *Quod me depressi*, manibus meis victum parando, *ut vos iam quasi in sublimi sitis loco.* Ταπεινοῦν ἑαυτὸν, *se deprimere* modeste se gerere, miserae conditioni se subiicere, et hoc quidem loco *suscipere paupertatem voluntariam.* Ergo oppositionis lege *exaltare* erit, *reddere aliquem felicem.*

8. Ἄλλας — διακονίαν) Ἐσύλησα, spoliavi *quasi;* accepi ab illis mercedem. Πρὸς τ. ὑ. διακονίαν, sive, ut possem tantum per tempus apud vos Evangelium praedicare; sive ad vos misi, ut nascenti apud

vos ecclesiae stipendio subvenirem. *οὐ κατενάρκησα οὐδενὸς*) *Nemini vestrum oneri fui.* Νάρκη, *torpor;* hinc verbum *καταναρκᾶν, obtorpere cum damno alterius, oneri esse alicui;* nam torpida membra sunt etiam graviora suoque onere pressa, immota.

9. Τὸ γὰρ ὑστέρημά μου) *Quicquid enim mihi deerat.* Illud, inquit, non a vobis exegi aut petii, sed qui e Macedonia venerunt fratres *προσανεπλήρωσαν, suppleverunt,* inopiam sublevarunt, si quid deesset ad meum victum, quod manuum labore non poteram parare (f. Phil. IV, 15.). *ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα*) *Cavi, ne vobis molestus essem.* Ἀβαρεῖς apud Graecos vulgo dicuntur, qui aliis non graves sunt, eosque non premunt, iniuriaque non afficiunt; sed h. l. *ἀβαρὴς* est, *qui alteri non molestus, onerosus est, quum non caussam praebet impensarum sumtuumque faciendorum,* sicuti contra *βαρὺς* est, *qui aliis molestus et onerosus est,* Ioseph. Ant. I, 16, 2. VI, 13, 10.

10. Ἔστιν ἀληθ. Χρ. ἐν ἐμοὶ) *Vobis ego per Christum vere affirmo,* ut Rom. IX, 1. Est formula iurandi. Quae iam dico, ea vere dico, uti decet Christianum. *ὅτι ἡ καύχησις — τῆς* Ἀχαΐας) *Hanc meam laudem,* (me gratis docere, me nemini molestum esse) *nunquam impediam in provincia Achaica;* nunquam flagitabo mercedem. *Φράσσειν, sepire, coercere, impedire,* vel, ut alii volunt: *eripere. οὐ φραγήσεται, non impedietur,* quod nempe ad me attinet, vel eripietur. Hanc laudem semper tuebor. Ἐν *τοῖς κλίμασι τῆς* Ἀχαΐας, *in regionibus Achaicis,* in universa Achaiae provincia.

11. Διατί;) Sc. nunquam ab Achaeis mercedem postulabo. Si caussam rogatis, haud sane illa est, quam adversarii afferunt, quasi ego vos spernerem. ὁ Θεὸς οἶδεν, scil. quantopere vos diligam. Cf. VII, 3.

12. Ὃ δὲ ποιῶ — ἀφορμήν) *Quod autem facio, id etiam porro faciam, ut praescindam occasionem*, gloriandi nempe, vel reprehendendi et calumniandi, *iis qui occasionem quaerunt*, se laudandi. Θέλειν, *optare, quaerere.* ἵνα — ἡμεῖς) *Ut, dum se laudare volunt, mei similes esse debeant*, sine lucri studio et mercedis appetentia. Efficiam, porro gratis docendo, ut isti non amplius possint se ipsos laudare, nisi meum exemplum imitentur, et lucri studium deponant.

13. Ἐργάται δόλιοι) Sc. εἰσιν. Operam dant Evangelio, sed non bona fide: nam gloriam tantum et commoda sua quaerunt. μετασχηματιζόμενοι — Χριστοῦ) *personam induunt Apostolorum Christi*, quum ab eorum virtutibus longe absint, eorumque doctrinam varie corrumpant.

14. Αὐτὸς γὰρ — εἰς ἄγγελον φωτὸς) *Ipse enim Satanas simulat angelum bonum*, i. e. operatur omnis generis flagitia inter homines, specie boni et honesti. τὸ φῶς, *lux*, quae est res purissima, transfertur ad *virtutem* et animi sanctitatem, cui puritas convenit. Ἄγγελος φωτὸς igitur erit angelus naturae bonae atque indolis probae. Huius specie *Satanas* mortales decipere et in fraudes inducere dicitur. Nempe omnis generis flagitia sunt opus Satanae. Si ad certum aliquod factum respicit Apostolus, poterit deceptio Evae per

serpentem specie intelligentiae maioris acquirendae intelligi, Gen. III. Cf. Repertorium *für bibl. und morgenländische Litteratur*, Parte V. nr. IV. Sed ad singulare aliquod factum non videtur Paulus respicere.

15. Οἱ διάκονοι αὐτοῦ) Sic vocantur falsi doctores, quia hominibus damnum inferebant, suique commodi caussa eos a vera Christi doctrina avertebant. διάκονοι δικαιοσύνης) i. e. *sinceri, integri*, quia Pseudapostolis opponuntur, vel ministri *Evangelii*, quod est *veritas κατ' ἐξοχήν*. ὧν ὁ τέλος — ἔργα αὐτῶν) *Qui poenas dignas factis suis ferent.* Exitus, sors eorum factis erit conveniens. Τὸ τέλος, exitus, praemium vel poena. Rom. VI, 21.

16. Πάλιν — εἶναι) *Iterum admoneo, ne putetis me insipere.* Sic viam sternit ad eam orationem, qua videtur suas laudes ipse nimium praedicare. εἰ δὲ — καυχήσωμαι) *Sin autem hoc a vobis impetrare nequeam, certe, ut desipientem, tantisper me feratis, ut ego gloriari paululum possim.* Εἰ δὲ μήγε, alioquin, i. e. si mihi hoc non datis. Δέχεσθαι, h. l. est *ferre, tolerare.*

17. Οὐ λαλῶ κατὰ κύριον) *Non secundum Dominum*, i. e. non ita ut cultorem Christi deceret, si res in se consideretur; Christus enim non vult, ut nos laudemus, sed ut simus animo demisso. Non negat Paulus se optimo consilio haec scribere, sed modum hunc defendendi suum honorem, sibi non placere, fatetur. Alio modo honorem suum defendisset, si per rerum circumstantias potuisset fieri. ἀλλ' ὡς ἐν ἀφροσύνῃ)

Sed (dico haec), ut si ego etiam essem homo stolidus et vanus. Ἐν ταύτῃ — καυχήσεως, *quoniam nunc cum tanta confidentia incipio me laudare.* Cf. supra c. IX, 4.

18. Κατὰ τὴν σάρκα) *De rebus externis*, quod sint Hebraei, eloquentes, etc. Vide supra c. V, 16.

19. Ἡδέως — ἀφρόνων) Ferre soletis iactabundos. Est iusta reprehensio, quod tales tam insipientes et stolidos homines, quales erant falsi Apostoli, non aegre sustinuerint. φρόνιμοι ὄντες) Ironia: Quia vobis sapientes videmini. Vel est iterum reprehensio: Quos decebat multo peritiores iam esse.

20. Εἴ τις ὑμᾶς καταδουλοῖ) *Si quis vos in servitutem redigat*, si falsus doctor vos servili modo tractet, omnia pro imperio et auctoritate agat, nihil docendo, hortando, rogando. κατεσθίει) *Devoret quasi totos*, i. e. bonis vestris vos exuat. Nam isti homines, de quibus Paulus loquitur, tantum sua commoda quaerebant. εἴ τις λαμβάνει, sc. δόλῳ, XII, 16., *si quis vos circumvenit*, vos fallit. εἴ τις ἐπαίρεται) *si quis extollit sese* supra vos. εἰς πρόσωπον δέρει) i. e. si contumeliose, insolenter vos tractet. Est metonymia speciei pro genere; nam *colaphis caedere* est ignominiosum.

21. Κατὰ — ἠσθενήκαμεν) *In dedecus* (vestrum, vel, ut alii volunt, falsorum Apostolorum,) *hoc dico, me nimis fuisse timidum*, i. e. me nunquam huiusmodi aliquid esse ausum; ut ὡς redundet. Obiecerant

adversarii Paulo ταπεινοτητα, et ἀσθένειαν, cap. X, 1. 10. Is igitur h. l. eleganter suam ἀσθένειαν opponit τῇ δυνάμει falsorum Apostolorum. Illi poterant καταδουλοῦν, κατεσθίειν etc. De his autem rebus dicit, *fateri sese, se in illis infirmum fuisse*, se tamen id dicere in *dedecus* falsorum Apostolorum, quippe qui de sua cum Apostolo similitudine praecipue gloriabantur, v. 12. *Storrius* (p. 75. not. 153.) vertit: *Cum dedecore fatear, quod ego*, si ista (v. 20.) sunt virtutes, *imbecillus fuerim*, eamque, si placet, δύναμιν assequi inter vos non potuerim. Sic subest *ironia*. Nam ex adversariorum opinione illa modestia (ἀσθένεια) Pauli illi fuit opprobrio; sed Apostolus regerit, si Pseudapostolorum moribus induendis mereri debeat, ne ἀσθενῆσαι posthac dicatur, cum *suo* dedecore fateri se malle, quod opprobrio sit dignissimus. ἐν ᾧ — κἀγώ) *In iis vero rebus, quibus illi audacter confidunt, et gloriantur, et ego gloriari possem, si vanus essem.* Τολμᾷν ἔν τινι, *audere in aliqua re*, i. e. superbire aliqua re.

22. Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ) Ἑβραῖος, *ex familia Heberi oriundus*, ab Ἔβερ, עֵבֶר, Deut. XV, 12. Primus hoc nomine appellatus est Abrahamus. Gen. XIV, 13., deinde *Abrahami posteri*. H. l. et Phil. III, 5. Hebraei ab Israelitis et Iudaeis distinguuntur, ex quo recte colligi posse iudicavit *Carpzovius* in Prolegg. ad Exercitatt. in Epist. ad Hebr. p. 3. sq. Hebraeorum nomen religionem magis designasse, Israelitarum vero et Iudaeorum generis magis et gentis fuisse. Ἰσραηλῖται, *nati* Israelitae, non proselyti demum. Σπέρμα Ἀβραάμ, qui originem altissime a maioribus

hebraeis, quin ab ipso *Abrahamo* repetebant; quod summum decus habebatur. Iudaei quavis data occasione originem suam, et genus ab Abrahamo iactabant.

23. Παραφρονῶν λαλῶ) *Ut desipiens*, i. e. *iactabunde loquor;* nam iactantia, quam etiam Latini *stultitiam* vocant, est insipientiae signum. Ὑπὲρ ἐγώ, *Ego multo magis* (sum Christi minister). Ponitur h. l. ὑπὲρ adverbialiter pro πλέον, s. μᾶλλον, quod et sequentia ostendunt, ubi nonnisi adverbia, uti περισσοτέρως etc. τῷ ὑπὲρ respondent. Ἐν κόποις — πολλάκις) *Plures quippe labores, plura verbera, plura vincula, plura mortis pericula subii.* Εἶναι ἔν τινι, h. l. significat *subire aliquid, obnoxium esse alicui rei*, ut Luc. XXIII, 40. ἐν θανάτοις) *In mortis periculis.* Supra I, 9. 10. et aliis locis.

24. Ὑπὸ — ἔλαβον) *A Iudaeis quinquies undequadragenas plagas accepi.* Τεσσαράκοντα sc. πληγὰς, quod *Iosephus*, de eadem re exponens, diserte addit, A. IV, 8, 21. πληγὰς μιᾶς λιπούσης τεσσαράκοντα — λαβὼν. Παρὰ μίαν, sc. πληγήν. Secundum legem Mosaicam, Deut. XXV, 3. quadraginta plagis haec castigatio constare debuit. Sed Iudaei eam 39. tantum plagis cohibuerunt; quem numerum et hodie in hoc poenae genere observant, ne, si forte minister falso numerasset, ei, qui pulsaretur, iniuria fieret. Targum *Ionathan* in Deut. XXV, 3. „Quadraginta plagas intentabit, sed una minus percutiat eum, non implebit numerum, ne ultra 39. istas verberet ipsum percussione redundanti.“

25. Ἐῤῥαβδίσθην) *Virgis caesus sum*, more Romano, per lictorem. Semel haec poena Paulo inflicta legitur Philippis, Act. XVI, 22, ἐλιθάσθην Act. XIV, 19. νυχθήμερον — πεποίηκα) *Integram diem et noctem in alto mari transegi.* Νυχθήμερον, *noctis dieique spatium*, iustus dies viginti et quatuor horarum. Ἐν τῷ βυθῷ, *in profundo maris*, iactatus ab undis, insidens forte tabulae navis. Βυθὸς, h. l. est omnino *mare*, ut Ps. CVII, 24. vers. Alex. ubi usurpatur de mercatoribus, qui mare transeunt. Alii intelligunt carcerem subterraneum; alii *puteum* aqua plenum, in quo latendum fuerit Apostolo totum per diem, ut insidias effugeret. Ποιεῖν, *versari.*

26. (Ἐν) ὁδοιπορίαις πολλάκις) Supple: ἐγενόμην. *Itinera feci multa*, religionis propagandae caussa suscepta. Κινδύνοις ποταμῶν, *pericula plurima subii in fluminibus.* Ἐκ γένους) Sc. ἐμοῦ. A mea gente, a Iudaeis, intentata mihi sunt pericula. πόλει) oppositum ἐρεμίᾳ. Non est una quaedam urbs, sed Sing. pro Plur. positus.

27. Ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, *in laboribus et molestiis.* Μόχθος significat *molestias et aerumnas, calamitates*, cum quibus Paulo conflictandum erat. Νηστείαι, h. l. non sunt ieiunia spontanea, sed coacta, ob inopiam victus. Γυμνότητι comparate dicitur, de vestitu tam levi, qui corpus non satis defenderet.

28. Χωρὶς τῶν παρεκτὸς) Sc. γενομένων. *Praeter ea, quae extrinsecus* (aliunde, ex locis aliis) *eveniunt;* ut cetera omittam. ἡ ἐπισύστασις — ἡμέραν) *Quotidiana*

interpellatio, täglicher Ueberlauf. Supple: οἷον, e. g. multitudo hominum, qui me quotidie adeunt et interpellant. Nam ad virum magnae auctoritatis quotidie magna multitudo hominum confluere solet. ἡ μέριμνα — ἐκκλησιῶν) *Cura omnium* (i. e. plurimarum) *ecclesiarum*, earum nempe, quas Paulus condiderat, aut quibus coniunctior erat. Scripsit tamen Apostolus etiam coetibus, apud quos nondum fuerat (Col. II, 1.), et curavit ut omnes edocerentur.

29. Τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ;) *Quis* (quae ecclesia) *affligitur, ut ego non affligar;* Semlerus: *Quis enim usquam est quasi infirmus* (in fide) *quin et ego me ei submittam?* Esse dicit illam oeconomiam Pauli, qua lac tantum dat aliis, aliis cibum solidum, 1 Cor. III, 2. τίς — πυροῦμαι;) *Quis est, cui offensa obiicitur in via pietatis, ut non ego urar?* i. e. *gravissime commovear;* Σκανδαλίζεται ex hominum aliorum imprudenter aut temere factis, e. c. per esum idolothytorum, neglectumque ciborum discrimen. Πυροῦμαι, quasi igne incensus, omni ardore do operam, ut scandalum amoveam. Dicit igitur Apostolus, se non modo ipsum se demittere ad imbecillos, sed indignari et excandescere etiam, si alii idem recusent facere, sicque infirmos ad peccandum inducant. 1 Cor. VIII, 9. sq.

30. Τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι) *De afflictionibus meis gloriabor*, quod nempe tot mala Christi caussa pertulerim. Nam ἀσθένεια, *afflictio*, 1 Cor. II, 3. Rom. VIII, 26. aliisque locis.

31. Ὁ Θεὸς — οὐ ψεύδομαι) Est et hic traiectio. Nam οἶδεν naturali ordine poni debuit ante illa: ὅτι

οὐ ψεύδομαι. Et hic iterum iurat Paulus; sed in re gravissima, et ad Deum pertinente. Rom. IX, 5.

32. Ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως) Tres huius nominis reges Arabes habuerunt, probe a se invicem discernendos. *Aretae primi* mentio fit 2 Macc. V, 8. *secundi* apud Ioseph. Ant. XIII, 15, 2. XVI, 1, 4. *Aretas* III. Herodis Antipae socer, est is, de quo h. l. sermo. Indixerat is bellum Herodi Antipae, genero suo, ob repudiatam ab illo uxorem filiam suam, eiusque copias fuderat. Hinc factum est, ut a Tiberio, cui soceri insolentiam per litteras Herodes significaverat, Vitellius mitteretur qui Arabem coerceret, eumque aut vivum abduceret, aut occisi caput Romam mitteret. Vitellius aliquamdiu in itinere haeret; Tiberius moritur; Aretas vero ab imminenti periculo praeter spem liberatum se videt. Ioseph. Ant. XVIII, c. 5. Quid tum Aretas gesserit, quaeve ceperit consilia, veteres scriptores quidem haud referunt; haud improbabile tamen est, eum de Tiberii morte certiorem factum, ne opportunam hanc occasionem dimitteret, ex improviso in Syriam impetum fecisse, urbemque Damascum occupasse. Quis huius Aretae *ethnarcha* fuerit, Damascenorum civium, an solummodo Iudaeorum, Damasci habitantium, praefectus? de eo non contentiunt eruditi. Videtur autem intelligi ἐθνάρχης Iudaeorum; nam vocabulum hoc plurimam partem, ut patet ex Iosepho Ant. XIII, 6, 6. XIV, 7, 2. aliisque testimoniis, de Iudaeorum praefectis adhibitum est; habuerunt porro Iudaei eo tempore in nobilioribus extra Palaestinam sitis civitatibus suos Ethnarchas; neque ullo testimonio probari potest, eos, qui ab Imperatoribus, aut tum Ara-

bum regibus Syriae, inprimis Damascenae regundae impositi fuere, *Ethnarcharum* gessisse nomen. Nominat autem Paulus *Regis Aretae* Ethnarcham, quia, ut coniicere licet, a Rege Areta Iudaeis, dimisso priore, praepositus fuit, et a Romano, sive potius a Romanis constituto, erat secernendus. Vid. *Io. Ern. Imman. Walchii* diss. *de Ethnarcha Iudaeorum Damascenorum Paulo insidiantium.* Historia narratur Act. IX, 22. sqq., sed sine nomine Regis Aretae.

33. Διὰ θυρίδος) per fenestram, muro iniunctam. ἐν σαργάνῃ) *In corbe. Suidas:* σαργάνη, οἱ μὲν σχοινίον τι, οἱ δὲ πλέγμα τι ἐκ σχοινίου. Etym. σαργάνη, ἀπὸ σχοινίου πλεγμάτιον εἰς ὑποδοχὴν ἰχθύων.

CAP. XII.

1. Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι) *Gloriari sane non expedit mihi.* Vulgata, quacum consentiunt nonnulli Codices, Versiones et Patres, legit: καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει, quam lectionem *Semlero* etiam et *Storrio* probatam eae auctoritates confirmant, quae, quod abruptum loquendi genus videretur, utramque enunciationem per coniunctionem εἰ aut ἀλλ' copularunt. Utcunque autem legas, sensus est, se non sui commodi caussa, sed ad defendendam suam auctoritatem apostolicam laudes suas commemorare. ἐλεύσομαι — κυρίου) *Progrediar tamen nunc ad visiones (seu apparitiones) et revelationes Domini.* Supple ante haec verba: Hoc praemonendum existimavi, ne quis putet me ex vanitate quadam et gloriae cupiditate haec

commemorare. Sensus non est obscurus. Pergendum mihi est, quia ad laudes meas delapsus sum, quamvis parum proficiam hac via in meo proposito. Gloriandum est nempe, ut habeatis, quod istis opponatis. Ὀπτασία, quomodo apud Danielem saepe vertitur מַרְאֶה, sive ὅρασις, est species visibilis, obiecta vigilanti aut somnianti. Ἀποκάλυψις est quidem generale *manifestatio rei antea incognitae;* sed hic ponitur pro afflatu, sive luce, qua mens perfunditur.

2. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ) Sc. ὄντα, γενόμενον, *Novi Christianum;* nam ἐν Χριστῷ εἶναι est: Christianum esse. Sic Paulus de se loquitur, modestiae caussa; sicut contra, ubi aliquid dicendum est, quod odiosum est, pro secunda persona primum assumit. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ἁρπ. τ. τοι. ἕ. τρ. οὐρ.) *Qui ante annos XVI. abreptus fuit usque ad tertium coelum.* Iudaei septem coelos, intervallis rerum, quae insunt, distinguere solent. Nomina horum coelorum *Wetstenius* ex scriptis Rabbinicis recenset. Sunt nempe 1) velum. 2) expansum. 3) nubes. 4) habitaculum. 5) habitatio. 6) sedes fixa. 7) Araboth. In sacris litteris tres memorantur coeli. Primum est *aëreum,* cuius tres regiones, suprema, media, infima. Secundum est *coelum siderium,* in quo sol, luna et stellae. Tertium est *sedes beatorum spirituum,* quod coelum coeli appellat David, quia sublimissimum est et excellentissimum, Paradisus, v. 4. Alii existimant, tertium coelum differre a Paradiso, cuius statim v. 4. fit mentio, ita quidem, ut tertium coelum sit *summum coelum,* in quo Deus solus sit; Paradisus autem locus beatorum. Sed in hac re multa sunt obscura. Certe

illud: *in coelis esse*, magis indicat statum conditionemque hominis, quam locum certum. Nam Deus etiam, quum in coelo esse dicitur, non tam dicitur ibi esse, ut in suo quodam loco, quam potius *superior omnibus*, omnium summus. Ps. CXV, 8. Proprie enim רוּם, τὸ ὕψος significat *altum*, *excelsum*. εἴτε — οὐκ οἶδα) *Nescio utrum animus in eius corpore fuerit, an discesserit.* Homo nempe spectatur quoad animum. Putant quidam Iudaei, animam hominis interdum e corpore duci, et rapi in coelum; alii vero totum hominem rapi putabant, ut ex apocrypho narrat Clemens Al. L. V. Strom. de Sophoniae raptu in coelum *quintum*. Dicit autem Paulus, nescire se, utro modo ei id, de quo agit, evenerit. Ἐν σώματι est corpore translato; ἐκτὸς τοῦ σώματος est *animo*, sine ulla corporis motione. Dicit igitur Apostolus, se nescire, utrum tum fuerit animus eius in corpore, an minus. Ergo non fuit sibi conscius rerum externarum; fuit in exstasi, ut Petrus, Act. X, 9. Vocula εἴτε, εἴτε, *utrum, an*, vertenda est, quemadmodum interdum etiam apud Profanos occurrit. Ceterum ἔκστασις Pauli, quam hic refert, diversa fuisse videtur a specie in itinere Damasceno ei oblata. Qua de re cf. *Fritzsche*, l. c. Diss. I. p. 58. sqq.

4. Ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον) *Moeris: ἡρπάσθην, Ἀττικῶς. ἡρπάγην, Ἑλληνικῶς. Raptus est* sive ablatus (nempe mente et cogitatione) *in Paradisum.* Est vero Paradisus status beatorum mortuorum, in quo beate vivunt. Luc. XXIII, 43. Cf. supra v, 2. ἄρρητα ῥήματα) *Res non dicendas*, i. e. quae dici nequeunt, effariye non possunt, aut eloqui fas non

est. Ἄρρητα, non dicenda. Sic ἄρρητον ὄνομα, non dicendum nomen. Ita vocant Tetragrammaton, quod est *ineffabile*, i. e. ἀνεκλάλητον; quomodo Hermeti Deus dicitur ἀνεκλάλητος, ἄρρητος, σιωπῇ Φωνοῦμενος, *ineffabilis, non dicendus, silentio exprimendus.* Ῥῆμα, דָּבָר, *res, negotium.* Intelligendum est igitur de *rebus ipsis*, quas nemo hominum nunc potest intelligere, vel exprimere verbis. Quanquam modus, quo Paulo haec contigerint, nobis ignotus est, minime tamen ad opinionem tantum referri possunt. Laudat enim Paulus tanquam singulare Dei beneficium, quod gustaverit felicitatem, quae est in paradiso.

5. Ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι) *De eiusmodi re gloriari possem.* Futurum pro potentiali, more hebraeo; et ὑπὲρ pro περὶ, ut saepius. Alii accipiunt τοῦ τοιούτου masculino genere, et vertunt: *de eiusmodi homine.* Sed haec interpretatio pugnat cum immediate sequentibus verbis: ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ etc. ex quibus patet, mentem Pauli hanc esse: *Se gloriari* quidem posse, et recte gloriari, de raptu suo in coelum, tanquam de re, cuius laus tota ad eum pertineat, a quo res illa dimanaverit, de se ipso autem, vel de eo, quod sibi insit, se gloriari nolle. Ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, *de calamitatibus meis* gloriabor.

6. Ἐὰν — ἄφρων) *Licet, si de factis meis loqui vellem, non essem vanus,* i. e. non opus esset mihi vaniloquentia; satis rerum mihi suppeteret. Ἀλήθειαν γὰρ ἐρῶ, *dicerem enim vera.* Φείδομαι δὲ) Sc. τοῦ εἰπεῖν, μεγαλαυχεῖν. Consulto ab illarum rerum commemoratione abstineo. μή τις—ἐξ ἐμοῦ) Εἰς ἐμέ,

pro: περὶ ἐμοῦ. Ne quis in eam partem haec accipiat, quasi ostentem ea, quae neque verbis, neque re appareant; ne quis maiorem de me opinionem habeat, quam dicta et facta mea merentur.

7. Καὶ τῇ — ὑπεραίρωμαι) *Ne vel propter excellentes has revelationes me efferrem.* καὶ, rei graviori hic praepositum, significat *vel.* ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ) *Data*, infixa, *meo corpori sudes est, Satanae nempe legatus, quae me tunderet.* τῇ σαρκὶ pertinet ad μοί, datus est palus *mihi* et quidem *corpori;* q. d. ne ego *mente* intumescerem, datus mihi est *corpus urgens* palus (cf. *Fritzsche* l. c. p. 136.). ἄγγελος Σατᾶν, appositio, qua σκόλοψ accuratius constituitur. Satanas enim pro rei cuiusque vel ingratae, vel calamitosae auctore habitus est. Σκόλοψ igitur ἄγγ. Σατ. dicitur *Satanae legatus*, i. e. a Satana immissus, ut Paulum *colaphis caederet*, i. e. acriter eum pungeret. Extrema huius vs. verba, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, non sine consilio sunt repetita. Nam quum hanc sententiam eminere Paulus voluisset, *propter id unum, ut superbia reprimeretur*, immissam sibi calamitatem esse, eandem sententiam iisdem repetiit verbis. Iam vero σκόλοψ corpori Pauli infixus, quid nempe significet, mirum in modum exercuit interpretes. Dolorem auriculae vel capitis significari, ait *Tertullianus* de pudicitia; κεφαλαλγίαν *Hieronymus;* carnis et corporis multa ac gravia tormenta *Cyprianus* de mortalitate; graves et continuas animi tentationes alii. *Tellerus (Wörterbuch des N. T.* sub voce: *Engel des Satans,)* intelligit morbum illum, qui *Kopfgicht, Migraine* appellari so-

let. Olim plerique nostratium *spirituales et sublimiores tentationes* (hohe geistliche Anfechtungen) a Satana profectas indicari, arbitrati sunt. Contra vanam hanc opinionem multa egregie monuit *Michaelis* in annotatianibus ad h. l. Gravem animi dolorem intelligi, patet ex sequentibus; cum hac vero animi aegritudine coniunctam fuisse corporis quandam infirmitatem exinde patet, quod τῇ σαρκὶ, *corpori*, hunc surculum inditum esse dicit. Alii totum hunc locum de adversariis et calumniatoribus Pauli explicant. Nam *colaphis caedere* per metonymiam saepe est *ignominia afficere*, ut supra c. XI, 20. et ἄγγελος σατᾶν indicare potest aliquem a Satana missum. Quare nonnulli intelligunt hominem malum, qui spectetur ut instrumentum diaboli, e. g. falsus quidam Apostolus, vel adversarius Pauli, qui eum dolore et ignominia ubique afficeret. Sed, missis his aliisque multis vanis opinionibus, iam dicendum est, quid tandem sub *palo* illo sit intelligendum. Id perspicue, et ut nulla relinquatur dubitatio, docet *Fritzschius* (p. 152. sqq.), veteres nonnullos, quibus haec res haud fuit obscura, secutus. Cuius ipsa verba appono. „Quippe ex iis, quae sequuntur, maxime e Vss. 9. 10. certum est, *quascumque in munere apostolico perferendas calamitates* σκόλοπι declarari, a qua sententia illi prope abfuerunt, qui falsos doctores Paulo adversarios innui putaverunt (v. c. *Semler, Iaspis*). Sed praeter hostiles falsorum doctorum impetus omnia in munere apostolico exhaurienda mala σκόλοπι comprehendi, apparet e v. 10., qui argumenti perpetuitate cum v. 7. cohaeret. Premor σκόλοπι, inquit v. 7., mihi a Satane immisso; quo ut liberarer, ter dominum adii v. 8. Hic tamen voluntati

meae non respondit, *quod sit magna ἀσθενείας utilitas* (ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται), e qua voce manifestum est, hic ἀσθένειαν dici, qui supra appellatus fuerat σκόλοψ et ἄγγελος σατᾶν. Propter hoc Domini responsum, inquit P., et laudi mihi duco (v. 9.) et laeto animo perfero ἀσθενείας, ὕβρεις, ἀνάγκας, δεωγμοὺς, στενοχωρίας, ὑπὲρ Χριστοῦ (v. 10.). Hic vero apparet, ante dictam ἀσθένειαν dissertius appellari ὕβρεις, ἀνάγκας, quae ἀσθένεια, quum eadem sit cum σκόλοπι, ne hunc quidem diversum esse ab ἀσθενείαις, ἀνάγκαις — ὑπὲρ Χριστοῦ in promtu est. Huic explicationi singula quoque bene conveniunt. Primum enim recte esse Praesens κολαφίζῃ positum liquet, ut in calamitatibus, quae essent diuturnae, quemadmodum ipsum apostoli munus a quo nexae fuerunt, non fuit unius temporis momenti, sed totius vitae. Quam Praesentis vim si omnes perpendissent, non eiusmodi morbis, qui cito transeunt, Paulum laborare existimassent, quam perversitatem eo, quod non κολάφισῃ, sed κολαφίζῃ P. scripsit, iam explosit Chrysostomus. Deinde etiam hoc manifestum est, et quam fuerint recte hae in administrando munere calamitates dictae ἄγγελος σατᾶν, et cur per dominum eas remotas voluerit. Nam quae P. tanquam apostolum urgebant mala, ea e sententia nostrorum scriptorum vix poterant ab alio nata esse, nisi a Satana, capitali rei christianae inimico, qui, quotquot essent eius impedimenta, ea obiecisset omnia, neque ab ullo commodius removeri, nisi a Iesu Messia, et suas res nunquam non tuente, et Satanam omni tempore facile subigente, aliquando autem omni vi spoliaturo. Tum fuit profecto, quod praesentibus malis levari se cupiens, *ter*, h. e. saepius adeo ad dominum mitteret preces.

Nam vehementia fuerunt, et, quominus causa christiana magna caperet incrementa, impedire videbantur. Denique, ut alia, ut in perspicua re, praeteream, hoc unum addam, nostra probata sententia bene ad rem propositam quadrare responsum domini, qui Paulum, ut novam doctrinam sine molestiis annunciare ipsi liceret, petentem, hac reiecit voce: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται v. 9., quae sic explica: *sit tibi satis, te esse Apostolum; calamitate vacuum munus noli expetere*, quod per illam mea vis optime elucescit."

8. Τρὶς τὸν κύριον παρεκάλεσα) Τρὶς, *saepius*, veteri loquendi usu; vel etiam *ter*, diverso tempore, ob insignem tanti mali sensum. Τὸν κύριον, i. e. *Christum*, quod et Sociniani fatentur.

9. Εἴρηκέ μοι, non immediate. Apostolus suos animi sensus, et solatium in his afflictionibus Christo eiusque doctrinae tribuit. Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου) *Sufficere debet tibi, quod tibi bene volo.* Ἀρκεῖ, *sufficere debet.* Ἀρκεῖν denotat etiam *suppetias ferre.* Vid. Kypke. ἡ γὰρ — τελειοῦται) *Nam potentia mea in illis, qui malis obnoxii sunt, perfectius agnoscitur.* In te recipere debes malorum onus, nam in afflictis hominibus maxime, quid possim, emergit. Ἀσθένεια, pro hominibus qui adversis sunt obnoxii. Τελειοῦται hic est *perfectius agnoscitur*, sicut saepe verba hebraea Hiphil ad notitiae effectum referuntur. Manifesta est virtus Dei, ubi per homines humiles, qui ab aliis contemnuntur, res magnas efficit. Alioqui verum etiam hoc est, quod Plinius dicit VII. epist. 26.

optimos nos esse, dum infirmi sumus. ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου) Itaque *lubentissime* magis etiam (scil. quam cum nondum hoc responsum domini tulissem) *propter meas calamitates in posterum gloriabor*, ut Christi efficacia suam virtutem exserere in me possit; tantum abest, ut iis liberari velim, ut in maiori etiam, quam hucusque feci, illas laude lubentissime mihi ponam. Sic cum *Fritzschio* (Diss. I. p. 64.) voc. μᾶλλον arctissime cum verbo καυχήσομαι construendum, atque hoc comma interpretandum est. ἵνα — Χριστοῦ) *Ut efficacia Christi super me tabernaculum collocet*, i. e. ut eo magis vis illa Christi per me appareat. Nam σκηνοῦν, ἐπισκηνοῦν, ex Syriaco ܫܟܢ est *habitare*. *Habitare* autem h. l. est frequenter se ostendere; sicut homines saepius domi sunt, quam extra domum.

10. Διὸ εὐδοκῶ — ὑπὲρ Χριστοῦ) *Propterea laeto sum animo in calamitatibus, conviciis, inopia, vexationibus, periculis, propter Christi doctrinam suscipiendis.* Εὐδοκεῖν h. l. est *delectari aliqua re*, ut hebr. חָפֵץ. Cf. Matth. III, 17. Ὅταν γὰρ — εἰμι) *Quo magis enim adversis premor, eo fortior mihi videor*, tum demum me firmissimum experior.

11. Γέγονα ἄφρων καυχώμενος) Deest καυχώμενος in nonnullis, iisque vetustis Codd., in Verss. et Patribus quibusdam. *Parum abest, quin factus fuerim vanus et stolidus* gloriando. Vel sensus est: Si vobis videor nimium gloriatum esse, tum vos me coegistis (ὑμεῖς με ἠναγκάσατε). οὐδεν — ἀποστόλων) *Nulla in re inferior sum illis Apostolis, qui summo in loco*

ab aliis habentur. Ὑπερλίαν, i. e. ὑπερπάνυ. Ut praeposuit se aliis quibusdam, inter quos et ψευδαπόστολοι essent, ita nunc et praestantibus etiam Apostolis et eximiis, se esse inferiorem negat. Εἰ καὶ οὐδέν εἰμι, *quamvis ego ipse nullius pretii sim*, nullo ornamento conspicuus; etiamsi ab adversariis nullius pretii habear.

12. Τὰ μὲν — ἐν ὑμῖν) *Iudicia quidem Apostoli*, i. e. argumenta ex quibus liqueat me vere esse Apostolum Domini, *edita sunt apud vos*, nempe a me. ἐν πάσῃ ὑπομονῇ) *Per tolerantiam magnam.* Dicit Apostolus, se non tantum editis miraculis, sed et patientia in adversis ostendisse, se verum esse Apostolum: nam vere magnum est, plura quam ceteri adversa fortiter tolerare.

13 Τί γὰρ — ἐκκλησίας) *Nam quid est, in quo fueritis inferiores ceteris ecclesiis?* Ἡττᾶσθαι h. l. significat, *deterioris conditionis esse.* Cf. 1 Cor. I, 7. Sequentia dicta sunt ironice. Paulus hic ex contrario fecit figuram. Si apud vos iniustitia est, minus quam debetur, sumere, rogo, hanc culpam mihi condonetis. Cf. supra cap. XI, 8.

14. Ἰδοὺ—πρὸς ὑμᾶς) Non hoc dicit, tertio se venturum, sed iam tertium esse, quod se parat itineri ad ipsos, et impeditur. Ἑτοίμως ἔχω, *animo* nempe, et vox τρίτον non ad ἐλθεῖν, sed ad ἑτοίμως ἔχω referenda est. Apostolus enim, ex quo primum adierat Corinthum (Act. XVIII, 1. sq. 1 Cor. III, 6. 10. IV, 15.), interea non rediit; Act. XVIII, 18. — XX, 1. quumque e Macedonia in Achaiam proficisci nunc pa-

raret, *secundum*, non *tertium* iter suscepit. Act. XX, 2. 2 Cor. IX, 4. I, 15. plura vid. ad c. XIII, 1. 2. οὐ γὰρ — ὑμᾶς) τὰ ὑμῶν sc. ὑπάρχοντα. Non fortunas vestras expeto, sed vos mihi reddam; vos in aeternum salvos praestare cupio. οὐ γὰρ — τέκνοις) Comparatio non est absoluta, sed prima pars tantum indicata. Me doctorem vestrum non decet per vos locupletari, sed vos per me institui.

15. Ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω) *Ego vero lubentissime impendam* sc. sumtus et argentum, quicquid vel manuum labore acquiro. καὶ ἐκδαπανηθήσομαι — ὑμῶν) *Et memetipsum, vitam meam impendam pro vobis.* Passivum hic, ut saepe, est pro reciproco. Ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, *pro vobis,* vestrisque commodis.

16. Ἔστω — ὑμᾶς) Forte mihi concedent illi, me vobis palam molestum non fuisse. ἀλλ' ὑπάρχων — ἔλαβον) Forte dicent, me ut hominem versutum fecisse, per interpositas personas, quod per memetipsum facere nolueram. Recitat quasi ipsa verba accusatorum, ut statim obiectionem solvat.

17. Μή τινα — ὑμᾶς;) Hebraicus loquendi modus, pro: μὴ διά τινος ὤν, vel διά τινος ἐκείνων, οὓς ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς;

18. Παρεκάλεσα — τὸν ἀδελφὸν) Neminem nisi Titum et alium collegam misi. Cf. supra VIII, 6. 18. οὐ τῷ αὐτῷ — ἴχνεσι;) i. e. Nonne eodem erga vos animo affecti sunt illi ut ego? Illi me per omnia imitati sunt. Mentiti sunt igitur adversarii Pauli, Corinthios per Ti-

tum emunctos fuisse argento, quod sibi ipse muneri dari noluisset. Cur vero *Titum* proprie impeterent, caussa in eo posita videtur, quod is proprie de Pauli familiaribus, eoque nomine falsis Apostolis tanto invisior, et in eorum criminationibus atque consiliis repellendis pro sua rerum Apostoli accurata notitia tanto felicior esset, c. VIII, 23. VII, 7 — 15., quum contra inter Paulum et Titi comitem tam arcta certe societatis et amicitiae vincula non intercessissent. c. VIII, 23.

19. Πάλιν — ἀπολογούμεθα) Putatis forte, me hoc toties repetere, mei purgandi caussa, vel etiam domesticae utilitatis aut timiditatis caussa. κατενώπιον — λαλοῦμεν) Dico haec omnia, conscio Deo, et ea veracitate, quam Christus nos docuit. Ἐν Χριστῷ potest etiam verti: *tanquam Christi cultor*, ut Gal. II, 4. τὰ δὲ πάντα—οἰκοδομῆς) *Omnia autem* sc. a me fiunt, omnia haec vobis scripsi vestri profectus caussa; nempe, ne si ego vobis vilescam, vilescat vobis et Evangelium, quale id vobis praedicavi.

20. Φοβοῦμαι — οὐ θέλετε) Haec, et quae in immediate antecedentibus dicta sunt, non convenire videntur cum istis laudibus, quae supra c. VII, 6. 16. et cap. VIII. IX. commemorantur. Suspicatur *Semlerus* a cap. X. esse aliam *schedulam*, a Paulo postea ad Corinthios missam, quum didicisset ex novis Titi aut aliis litteris, quo in loco res iam *Corinthi* essent, quantumque auctoritatis quidam Iudaizantes sibi hic sumerent, qui sc. non crederent, tantum argenti a Paulo ad Palaestinenses allatum iri. Haud improbabilis est haec coniectura. Alia caussa, cur Paulus ita scripserit, iam

statim commemoratur. Μήπως ἔρεις—ἀκαταστασίαι) *Ne forte lites, aemulationes, irae, rixae, calumniae, susurri, iactationes, tumultus,* sc. etiamnum post tot remedia adhibita inter vos reperiantur. Ceterum iste catalogus horum vitiorum *non ad omnes* pertinet.

21. Μὴ πάλιν—πρὸς ὑμᾶς) Πάλιν vel ad ταπεινώσῃ potest trahi, ut prioris tristitiae, c. II, 4. commemoratae ratio habeatur, vel ad ἐλθόντα, ut sensus sit: *ne, iterum vos conveniens,* reversurus ad vos, *in tristitiam coniiciar.* Ταπεινοῦν hic est *moerore afficere. Deus moerore me afficiat,* i. e. Dei caussa moream. καὶ πενθήσω πολλούς τ. προ.) Et mihi lugendum sit de multis, qui iam diu peccaverunt graviter etc.

CAP. XIII.

1. Τρίτον — ὑμᾶς i. e. *Tertium iam ad vos venire decrevi;* est enim idem, quod dixerat supra XII, 14. Cod. Alex. cum quo Copt. et Syr. consentiunt, habet: ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν. Paulus enim tum, quum haec scriberet, non fuerat bis Corinthi, ut nunc tertium iter a se parari dicat, sed hoc his verbis significat Apostolus, se tertium decrevisse iterum ad Corinthios venire. Videtur Paulus in prima, quae intercidit, ad Corinthios epistola spem itineris ad eos fecisse. Nam in priori quae superest (c. IV, 18. sq.), non modo gloriati fuisse dicuntur adversarii de mora interposita, velut argumento, quod promissum iter ingredi et Corinthum repetere non auderet Apostolus, verum *superior* quoque itineris significatio quaedam 1 Cor. XVI, 7. s. hactenus re-

tractatur, ut non, quemadmodum prius cogitaverat, ex Asia in Achaiam, et hinc demum in Macedoniam proficisci, atque ex hoc itinere in Achaiam reverti vellet Apostolus, perrecturus tandem in Iudaeam, sed *praeteritis Corinthiis*, ex Asia iter ad Macedones intendere, h. e. Epheso in Troadem proficisci hincque in Macedoniam transvehi, et *illa demum peragrata* apud Archivos denique aliquamdiu commorari mallet. 1 Cor. XVI, 5. sq. 2 ep. IX, 4. Act. XX, 2. 3. Quum igitur alteram, quae extat, epistolam, e Macedonia scriberet, *tertio* constituerat redire Corinthum, hocque consilium suum *tertio* significat. Vid. *Storrius* p. 97. sq. *ἐπὶ στόματος—ῥῆμα*) Haec parenthesi includenda, et sensus esse videtur: *Quae bis ac ter repetuntur, de iis nemo facile dubitare solet. στόμα, sermo, testis, ipsum testimonium.* Πᾶν ῥῆμα, כל דבר, omnis res, vel caussa. *σταθήσεται*, יקום, *firma erit.* Respicit Deut. XIX, 15. Matth. XVIII, 16. Sive omnino vult Paulus, se testium duorum vel trium consensu, satis velociter sententiam laturum, si adveniat, vel quod verisimilius est, Mosis dictum transfert. Voluerat nempe bis ad eos venire, sed non fecerat; nunc tertia vice venturum se dicit; ergo tandem aliquando verum fore id, quod promiserat. Quemadmodum res, in iudiciis duplici aut triplici testimonio probata, est certa, sic etiam nunc id erit verum, quod bis atque adeo ter promisi.

2. Καὶ *προλέγω — ἀπὼν νῦν*) Quod in Editionibus post *νῦν* exhibetur, *γράφω*, deest in Codicibus satis vetustis; omittitur etiam in nonnullis Verss. et Patrum citatis. *Significavi et significo nunc tanquam se-*

cunda vice praesens apud vos essem, quamvis absens, iis qui antea sceleribus se contaminarunt, et ceteris omnibus, me, si iterum ad vos venero, severitate esse usurum. Προείρηκα, in superiori epistola c. IV, 21. Particula νῦν referenda esse videtur ad προλέγω, *significo nunc,* ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, *tanquam secunda vice praesens apud vos essem.* Καὶ ἀπὼν sc. τῷ σώματι. Καὶ, ut hebr. ו interdum esse *etiamsi, quamvis*, satis notum est. Aliam, sed, ut mihi quidem videtur, difficiliorem horum verborum interpretationem vid. apud *Storrium* pag. 498. not. 138.

3. Ἐπεὶ — Χριστοῦ) Cohaerent haec cum vs. anteced. h. s.: Denuntio, me si Corinthum prevenero haud facilem futurum, *quandoquidem legationis meae testimonium requiritis*, i. e. quandoquidem ut severitate meam auctoritatem confirmem, id ipsi agitis (cf. *Fritzsche* p. 140. sq.). *Per Christum* i. e. adiuvante Christo docens, est verus doctor, legatus Christi. Fovendis vitiis, quae notaverat Apostolus v. 2. (cf. 1 Cor. X, 6. sqq.) experiri voluerunt Corinthii, an Christus caussam Pauli adiuvare velit et possit. ὃς εἰς—δυνατεῖ ἐν ὑμῖν) *Qui* (Christus) *tamen erga vos non imbecillem se exhibet, sed satis potentem se demonstrat inter vos,* scil. χαρίσματα largiendo, miracula edendo, religionis impedimenta tollendo, ecclesiam moderando. Quid Christus, vel doctrina Christi valeat, et efficere possit, experti erant Corinthii. Qui enim doctrinae, quam Paulus tradiderat, obsequebantur, illi toti alii evaserant; quod argumentum erat clarissimum vis et efficaciae doctrinae Christi.

4. Non mirum, inquit, Christum potentem se vobis exhibere. Etenim ex morte, cui per suam infirmitatem succubuit, per Dei virtutem revixit. Καὶ γὰρ — ἀσθενείας) *Etsi enim per humilem illam conditionem cruci affixus est.* Aperta in formula ἐσταυρ. ἐξ ἀσθ. vis est praeverbii ἐξ. Nam *per ἀσθένειαν factum esse*, ut in crucem Christus ageretur, indicat. Ἀσθένεια hic est conditio caduca et infirma, quam Christus nostri caussa susceperat. Christus nempe, provocatus ad auctoritatem suam miraculis firmandam, Matth. XXVII, 40. sqq. Luc. XXIII, 8., ad salutem hominum infirmus videri, et contemtus mori non dubitavit. Huius exemplum imitari se, Apostolus dicit. Se libenter velle opprobria pati, si modo saluti Corinthiorum inserviatur. ἀλλὰ — Θεοῦ) *Iam tamen vivit, per omnipotentiam divinam.* Ἐκ δυνάμεως, idem ac διὰ δυνάμεως, et ἐν δυνάμει. Vid. *Storrium* p. 21. not. 43. Καὶ — γὰρ εἰς ὑμᾶς) *Sic et ego, eius exemplo adhuc inbecillem me gessi erga vos* (seu: imbecillis vobis videor), *sed praestabo me vivum et vegetum eius exemplo, et Dei potentia utar apud vos.* Ἀσθενοῦμεν, sc. εἰς ὑμᾶς, *erga vos;* tantum per tempus abstineo a severitate; imbecillem me quasi et impotentem gero. Ἐν αὐτῷ, *eius exemplo;* sicut ille. Ζησόμεθα, praestabo me vivum et vegetum; contrarium τῆς ἀσθενείας exhibebo vobis, si opus sit, *adiuvante Deo*, utar mea auctoritate. Εἰς ὑμᾶς, *erga vos; si fuero apud vos.*

5. Ἑαυτοὺς—πίστει) *Vos ipsos pertentate, an in fide persistetis.* Vos ipsos experimini, non me aut Dominum meum; an nempe vigeatis fide, examinate vos.

Non quid Christus, per me praecipiens, inter vos possit (v. 3.) quidve ego, nunc Domini caussa leniter agens nec auctoritate mea utens, cum Christo adversus vos valiturus sim, sed vos ipsos experiri atque ita cavere debetis, ne validam Domini severitatem experiamini. ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε—ὑμῖν ἐστιν) *annon intelligitis, vos esse homines christianos* (quos nempe probatae fidei esse par sit); annon deprehenditis Iesum Christum et eius doctrinam inter vos efficacem esse? εἰ μή τι ἀδόκιμοί ἐστε;) *nisi fortasse reprobi, s. minus probati estis.* Ἀδόκιμοι, adulterini, nomine tantum, non re Christiani. His opponuntur δόκιμοι, *probati*, qui factis et re ipsa probant, se esse quod videri volunt.

6. Ἐλπίζω—ἀδόκιμοι) *Spero autem* et confido *vos persensuros esse, quod ego vere sim legatus Christi.* De se loquitur Paulus, ut solet, in Plurali. Paulus non tantum Christianus erat, sed etiam Apostolus, non ἀδόκιμος, sed δόκιμος; rebus et factis demonstraverat, se vere esse Apostolum, v. 5.

7. Μὴ ποιῆσαι—μηδέν) *Ne quid male et improbe interea faciatis.* Grotius: Ne cogar cuique poenam infligere; ut sit Accusativus ὑμᾶς, pro Dativo. οὐχ ἵνα—ὦμεν) Est hic transpositio: οὐχ ἵνα, pro ἵνα οὐχ. Sensus est: Preces illas facio, quod malo vos bonos esse, quam meam sinceritatem vestris poenis testatam fieri; maneam ego potius sine tali documento, ἀδόκιμος, quam vos in peccata talia incidatis.

8. Οὐ γὰρ—ὑπὲρ τῆς ἀληθείας) i. e. Non possum agere aliter quam verum et rectum est. Ergo, si quis

peccavit, non possum non durus esse. Οὐ δυνάμεθα, *non licet mihi*, nam hoc sensu ἀδύνατον saepe usurpatur.

9. Ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν) *Si appeream velut infirmus*, i. e. si mihi liceat abstinere a duris remediis, licet ab aliis ultro contemnar. ὑμεῖς — ἦτε) *Vos autem sitis potentes*, viribus ad recte agendum instructi, boni, egregii Christiani.

10. Διὰ τοῦτο — καθαίρεσιν) *Itaque absens haec scribo, ne praesens severe agere cogar pro ea potestate, quam mihi Dominus non nocendi, sed iuvandi gratia dedit.* Ideo, inquit, nunc minas adhibeo, ut vos interea emendetis mores vestros, ne eas exsequi cagar. Χρῆσθαι ἀποτόμως, est *severe agere*. Ἀποτομία, *severitas;* in Glossario: ἀπότομον, rigidum. Ἐξουσίαν hic intelligit potestatem illam divinitus datam, imprecationibus terrendi improbos et eiiciendi e coetu christiano, quae potestas data Apostolis non ad damnum, sed utilitatem et profectum ecclesiae.

11. Χαίρετε) *Hilari estote animo.* Rom. XII, 12. Καταρτίζεσθε, *firmate vos*, adversus errores et peccatorum pericula, et sic subinde ad maiorem perfectionem adspirate. *Chrysostomus:* τέλειοι γίνεσθε, καὶ ἀναπληροῦτε τὰ λειπόμενα. Παρακαλεῖσθε, *admonitionem suscipite*, grato animo ab omnibus admonitionem accipite, ut ad maiorem perfectionem perveniatis. Τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, cavete ne sint inter vos dissensiones, 1 Cor. I, 10. Εἰρηνεύετε, *pacem colite.* Si etiam

sint inter vos dissensiones, pacem tamen colite, alii alios tolerantes. Rom. XII, 18. καὶ ὁ Θεὸς—μεθ' ὑμῶν) Tum Deus, dilectionis et pacis auctor, vobis favebit, et auxilio erit.

12. Ἐν ἁγίῳ φιλήματι) Osculo Christianis solito Cf. Rom. XVI, 16.

13. Ἡ χάρις — πάντων ὑμῶν) *Beneficia Domini nostri Iesu Christi, et benevolentia Dei et participatio Spiritus sancti vobis omnibus adsint.* Ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ est universitas beneficiorum, quae nos Christo eiusque religioni debemus. Ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, benevolentia qua Deus suos complectitur, qua iis bene vult, et salutem eorum omnibus modis procurat. Πνεῦμα ἅγιον, *dona spiritus sancti*, s. beneficia religionis, sensus christianus, χαρίσματα. Vid. 1 Cor. I, 7. Rom. VIII, 1—4. Κοινωνία, *participatio*. Optat igitur Paulus Corinthiis, ut participes fiant omnium emolumentorum ex religionis christianae cognitione et usu ad Christianos redundantium. Alii totum hoc comma ita vertunt: *Faveat vobis porro Iesus Christus, Deus* (Pater) *vos amet, et Spiritus S. suorum beneficiorum vos reddat participes.*

SCHOLIA
IN
EPISTOLAM AD GALATAS.

Galatia fuit Phrygiae olim pars et vicinarum regionum, a Gallis s. Celtis sedem quaerentibus occupata; quae, quod Graeci coloni immisti erant, *Gallograecia* quoque appellatur, quemadmodum Galatae vocantur etiam *Gallograeci*. *Iustinus* XXIV, 4. XXV, 2. XXVII, 3. XXVIII, 3. Strabo XIV. Imperante Caesare Augusto A. V. C. 729. ante Ch. n. 26. in provinciae Romanae formam redacta, legibusque Romanis a Propraetore gubernata fuit. Mox plures eam in regionem deductae sunt coloniae, quas partim agri fertilitas, partim situs mercaturae opportunus alliceret; in his etiam Iudaeorum fuit sat magnus numerus (Ios. Ant. XVI, 6.). — Praecipua caussa, cur Paulus hanc epistolam scriberet, haec fere fuit, quod doctores falsi et iudaizantes turbarent coetus christianos in Galatia. Ipse Paulus ecclesias in Galatia plantaverat, ut patet ex huius epistolae c. I, 8. 11. c. III, 1. sqq. Videtur autem iam bis fuisse apud Galatas, quum hanc epistolam scriberet, c. IV, 12. sqq. (coll. Act. XVI, 10. XVIII, 23. XIX, 1. sqq.). Erant coetus christiani in his, ut in aliis regionibus, mixti ex Iudaeis et gentilibus, ita ta-

men, ut Christiani ex gentilibus ceteros numero superarent. Quum autem doctores iudaizantes circumcisionis et rituum Mosaicorum adeo tenaces essent, ut horum iugum etiam Christianis ex gentibus imponendum existimarent, auctoritatem Pauli, contrarium docentis, infringere anniterentur, et animos Christianorum plerorumque inducerent, ut ipsi circumcisionem sponte suscipere non detrectarent: Paulus omni studio id egit, ut auctoritatem suam contra falsos Apostolos defenderet, et libertatem a iugo legis Mosaicae Christianis e gentibus vindicaret. Pauli adversarios, qui Galatas turbarunt, eosdem fuisse cum iis, qui paullo post *Corinthios* avertere studuerunt, ex collatione harum Epistolarum facile colligitur. In *tempus*, quo scripta fuerit haec Epistola, *Semlerus* in Prolegomenis Paraphrasi suae praemissis, studiosissime inquirit. Testimonia historica, certa scilicet et clara, non supersunt. *Marcionis* tamen Ἀποστόλικον inter omnes Epistolas Paulinas primum locum dabat Epistolae huic ad Galatas, ut recenset *Epiphanius* Tom. I. oper. Haeres. 42. Scripta esse videtur haec epistola post alterum eius ad Galatas iter, Act. XVIII, 23. *Pearsonius* hoc alterum iter ponit a. 54. in finem Claudii; alii aliquot annis ante, a. 51. 52. Iam, quum Paulus queratur, Galatiae doctores οὕτω ταχέως discessisse ab illa sua doctrina, quam paullo ante ipse, in Galatia versatus, confirmarat, (Act. XVIII, 23. ἐπιστηρίζων τοὺς μαθητὰς,) vix integrum annum aut duos annos licet interiicere. Sic Epistola in annum 52. aut 53. pertineret. Nec de *loco* constat, ubi scripta sit Epistola. Codices graeci in subscriptionibus, *Romae* scriptam esse contendunt, quae coniectura omnium maxime est

improbabilis. Forte *Ephesi* scripta est, quam sententiam etiam *Oecumenius* ab antiquioribus traditam adhuc commemorat. In hac enim urbe, postquam e Galatia discesserat, biennium et quod excedit commoratus est Paulus (Act. XIX, 10. XX, 31.); magnum autem fuit Ephesi et reliquae Asiae commercium; ita ut haec, quae in Galatia accidissent, facile posset ibi rescire. Argumentum epistolae quod attinet, duo inprimis momenta consideranda sunt: I. defendit Paulus auctoritatem suam apostolicam, et docet, se suam doctrinam non accepisse ab hominibus, sed ab ipso Christo (cap. I. et II.). II. disputat adversus eos, qui circumcisionis et universae legis Mosaicae desiderio tenebantur, et docet A) Galatas ipsos et homines eos, qui diu ante Mosen vixerant, non propter obsequium erga leges Mosaicas, sed propter suam animi fiduciam in Deo positam, summis a Deo beneficiis ornatos esse, c. III, 1—18. Porro ostendit B) leges Mosaicas sapientissimo Dei consilio nonnisi ad populi inculti mores formandos, eiusque animos ad recipiendum Messiam praeparandos, datas esse, III, 19. sqq. Quum autem multi Christianorum vitiis variis dediti essent, Paulus eos ad emendandos mores graviter adhortatur, c. V, 14. — VI, 10. tandemque redit ad rem summam per omnem epistolam pertractatam, et Galatis doctrinae integritatem servandam diligenter commendat. Inter eos, qui recentiori aevo epistolam illustrarunt, eminet *G. B. Winer (Pauli ad Gal. ep. lat. vert. et perp. annot. illustr.* Ed. 3. Lips. 1829.), qui in Prolegg. p. 18. sqq. exhibet Catalogum.

CAP. I.

1. Ἀπόστολος — ἀνθρώπου) Sc. κλητὸς. *Non ab hominum quodam collegio, nec per unum aliquem* (ceterorum quasi caput,) *constitutus Apostolus.* Non in particularum ἀπὸ et διὰ varietate, sed in numeri vicissitudine (ἀνθρώπων et ἀνθρώπου) emphasis est quaerenda. Iam *Hieronymus* et alii statuerunt, δι' ἀνθρώπων pertinere ad illud quasi Collegium ceterorum Apostolorum, quorum auctoritas in Palaestina erat maxima. Δι' ἀνθρώπου ad *Petrum* potest referri, v. 18. Sensus igitur est, *se nec a Petro nec ab aliis Apostolis muneri suo praefectum esse.* Statim initio auctoritatem suam apostolicam defendit adversus eos, qui eum pro vero Apostolo agnoscere nollent, quod nempe nec Christum ipsum audivisset, nec ab ipso Christo vocatus esset, nec doctrina eius in omnibus consentiret cum doctrina Petri ceterorumque Apostolorum. Contra hos declarat, se ad munus apostolicum vocatum esse non ab hominibus, sed διὰ Ἰησοῦ — πατρὸς. Cf. infra v. 11. 12. τοῦ ἐγείραντος αὐτ. ἐκ νεκ.) *qui eum e mortuis revocavit*, atque ita filium suum declaravit. Etenim reditus Iesu e mortuis luculentissimum fuit divinitatis eius documentum.

2. Καὶ οἱ — ἀδελφοὶ) *Fratres* hic intelligendi sunt *muneris socii*, qui cum ipso tum in itineribus versabantur. Hos laudat Paulus, ad auctoritatem et fidem doctrinae suae afferendam, quippe secum in hac caussa et severitate consentientes. ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλα-

τίας) *Ancyranis, Tavianis, Pessinuntiis* etc. multae enim iam per Galatiam ecclesiae. Paulus facile indicare potuit tabellario, quibus ecclesiis perferenda esset epistola.

4. Τοῦ δόντος — ἡμῶν) *Qui tradidit se* (in mortem crucis) *pro peccatis nostris* i. e. pro nobis peccatoribus. ὅπως — πονηροῦ) *Ut nos a praesentis huius seculi malignitate liberaret*, i. e. ut nos a vitiis et noxiis voluptatibus, quibus haec hominum aetas obnoxia est, prorsus eximeret, vel efficeret, ut nos ne similes essemus hominibus pravis. Graeci interpretes fere exponunt: ἐκ τῶν κακῶν πράξεων, καὶ διεφθαρμένης διαγωγῆς. Αἰὼν, hebr. עוֹלָם, *homines huius aetatis*, Iudaei, qui Messiam eiusque religionem repudiabant, et Pagani, qui idololatriae et sceleribus dediti erant. Ἐνεστὼς, i. e. οὗτος, Syrus: מן עלמא הוא בישא, 1 Petr. I, 18. Cf. Rom. VIII, 33. Non probandus est *Koppe*, qui intelligit *improbitatem et calamitates mox affuturas*. Quanquam enim ἐνεστὼς saepe significat instans, *futurum*, futura tamen *miseria* nunquam dicitur αἰὼν πονηρὸς.

5. Κατὰ — πατρὸς ἡμῶν) Θέλημα, רָצוֹן, *benigna voluntas, consilium, decretum*. Omnia haec deberi, ait Paulus, gratuito Dei favori. ᾧ ἡ δόξα) Saepe Paulus utitur doxologia, ut ostendat, verum Dei honorem per hanc suam de Servatore doctrinam non minui, augeri potius.

6. Θαυμάζω — εὐαγγέλιον) *Miror, vos tam cito averti potuisse ab eo, qui vos vocavit beneficio*

Christi, ad aliam de Christo doctrinam. Ὁ καλέσας est Deus, Pater, cui fere semper tribuitur vocatio *gentium*, cuius hoc θέλημα Christus effecit. Vocat autem Deus homines, quum iis bona offert, sive eos invitat ad felicitatem. ἐν χάριτι, *beneficio Christi.* Videtur antiquissima lectio fuisse ἐν χάριτι, sine addito nomine alio, ut habent Tertull. Cypr. Lucifer Calar. Addunt θεοῦ Orig. et Theodoretus. Veteres Latini reddunt: *in gratiam.* Vulgo τοῦ καλέσαντος ad Χριστοῦ referunt, et ἐν χάριτι vertunt: *gratiose, benigne.* Quanquam *a Deo* non omnino defecerant hi Christiani, tamen a Dei novo hoc ordine discesserant. Coeperant nempe Iudaismum cum religione christiana commiscere, sicque transibant ad aliam religionem. Elegans verbum μετατίθημι, in *transponendi* notione, proprium est in ludo duodecim scriptorum, ubi μετατιθέναι dicitur, *qui calculum, quem male se dedisse intellexit, reducit, et alio loco ponit.* Inde translate *mutare, se transferre.* Sic Iosepho Ant. V, 5. 2. μεταθέμενοι sunt, *qui sententia mutata, resipiscunt.* Μετατίθεσθε h. l. est vox media, cuius vis est: *transitum fecistis.* Εὐαγγέλιον, πίστις, fides de Christo, religio christiana.

7. Ὁ οὐκ ἔστιν ἄλλο) *Quum tamen non sit ulla alia doctrina de Christo vera.* Ad verbum: *Quod non est aliud, nisi* etc. εἰ μὴ — τοῦ Χριστοῦ) *Nisi quod nonnulli vos perturbant, voluntque pervertere doctrinam Christi. Perturbant*, i. e. incertos vos reddunt, utrum lex Mosaica sit assumenda, an non. *Pervertere*, i. e. in deterius mutare volunt doctrinam, addita necessitate observandae legis Mosaicae. Εἰ μὴ,

satis commode (quoad sensum) *Beza* iam expressit: *sed, ἀλλὰ. Nur dass einige unter euch sind etc.* „Ne articulo voci ταράσσ. praefixo offendaris, reputa, duas inter se mixtas esse structuras: nam τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς dictum videtur pro: εἰσ. ταρ. ὑμ., καὶ οὗτοι (οἱ ταρ. ὑμ.) εἰσί τινες, *sunt, qui vos perturbent; ii vero aliquot* pauci *duntaxat* sunt." *Winerus.*

8. Ἀλλὰ καὶ — ἀνάθεμα ἔστω) *At si vel ego, aut angelus e coelo apparens doceret vos contra, quam ego iam docui, abhorrendus vobis esset;* tam certos vos esse oportet, et firmos in retinenda hac mea doctrina. Παρ' ὅ h. l. non tam *praeter id* (Evangelium) quam *contra id, contrarium* ei, h. l. significat, ut Rom. XII, 3. Animo vehementer commoto haec scripsit Apostolus. Ponit conditiones impossibiles. *Etiamsi ego vel adeo angelus e coelo docerem aliam Christi religionem;* quod tamen fieri non potest etc. Caussa, cur Paulus tam vehementer et serio protestetur, se non contra sentire ac inter Galatas docuerit, fuisse videtur haec, quod fortassis fama erat, auribus Galatarum eum serviisse, quum eos moris iudaici observantia liberaret, quem ipse aliis Christianis ex gentilibus imponere soleat. Ἀνάθεμα ἔστω, *diris devotus esto, excludatur e coetu vestro.* Theodoretus ad 1 Cor. XVI, 22. ἀλλότριος ἔστω τοῦ κοινοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας. Vid. *Suiceri* Thesaur. eccles. ad h. vocem. Fugite, abhorrete talem doctorem. Licet etiam vertere: *huic ego poenas graves imprecor.* Εὐαγγελίζεσθαι hic, ut in aliis locis, sine omni emphasi adhibetur simpliciter pro διδάσκειν.

9. Ὡς — λέγω) Ne arbitrarentur, ira correptum se hoc dixisse, idem repetit, indicans se firmiter ita apud se statuere, et dubitandi non esse caussam. καὶ ἄρτι πάλιν λέγω) *et nunc iterum dico.* ἄρτι h. l. de praesenti tempore, *nunc*, *nunc ipsum* (dum haec scribo), ut 1 Cor. XIII, 12. XVI, 7. παρ' ὃ παρελάβετε) *Contrarium ei quod didicistis*, a me nempe, Παρελάβετε, i. e. ἐδιδάχθητε παρ' ἐμοῦ.

10. Ἄρτι γὰρ — Θεὸν;) *Num iam homines*, *an Deum* mihi *conciliare* praedicando *studeo?* Loquendi ratio πείθειν τὸν Θεὸν, pro *flectere*, *placare*, *propitium reddere Deum*, non infrequens Graecis. Ioseph. A. IV, 6. 5. VI, 5. 6. Hanc interpretationem confirmant, quae sequuntur: ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; *an hominum capto benevolentiam?* quae nonnisi dilucidiorem interpretationem eorum continent, quae paullo ante obscurius sunt dicta. Sensus est: in iis, quae ago, non hominum (ut olim) sed Dei assensus mihi curae cordique est, longissime vero abhorreo ab ista temeritate, quae hominum gratia divinam doctrinam corrumpat. Tantum abest, ut hominum gratiam, depravanda veritate, ambitiose secter, ut nihil omnino hominum assensum respiciendum existimem. Cf. *Winer* ad h. l. Ceterum haec dicere videtur contra eos, qui eum calumniarentur, ceu alia apud alios praedicantem, quippe pro hominum conditione sese permutaret, et ad captandam gentilium benevolentiam, iis nimium indulgeret. Ἄρτι, *adhuc*, ut olim, quum Iudaeis placere vellem, et in eorum gratiam multa iniuste agerem. Si haec adhuc esset mens mea, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην, *non profecto Christi Apostolus fo-*

rem; non defecissem a ritibus Iudaicis, et accessissem Christo; nec contemtis amicis et cognatis, tantaque gloria, persecutiones, pericula et contumeliam elegissem.

11. Γνωρίζω — κατὰ ἄνθρωπον) *Volo autem vos tenere, fratres, doctrinam* (hactenus) *a me annunciatam, non esse humanae inventionis.* Γνωρίζω, h. l. non est: rem novam atque incognitam vobis propono; sed declaro vobis, monere vos volo. Nam res iis erat satis nota. Εὐαγγ. μου οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον statim explicatur v. 12. Non hominem habui praeceptorem. Refutat eos, qui Galatis persuaserant, Paulum non amplius convenire in tradenda religione cum Apostolis, penes quos tamen sit omnis auctoritas.

12. Οὐδὲ — Χριστοῦ) *Neque enim ego, s. nam ne ego quidem ab homine accepi illam, aut didici, sed Iesus Christus eam mihi revelavit.* Παρέλαβον et ἐδιδάχθην prorsus sunt Synonyma. Ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Sed per institutionem Iesu Christi.* Ex usu loquendi Iudaico etiam ea, quae Paulus a testibus oculatis aut senioribus Apostolis de Christo eiusque doctrina edoctus sit, vel quae ipse diligenti meditatione de eadem cognoverit, *per revelationem Christi* percepta dici possent. (Vid. *Gurlitti explicatio cap. XV. epistolae prioris ad Corinthios,* in Sylloge Commentatt. theolog. edita a *Dav. Iul. Pott,* Vol. V. p. 28.) Sed h. l. opponitur ἀποκάλυψις I. X. institutioni δι' ἀνθρώπου. Erit igitur singularis institutio intelligenda. *Flatt im Magazin für christliche Dogmatik und Moral,* fasc. 6. n. 6.

Theodoreti aliorumque opinionem probat, Paulum a Christo ipso, immediate quod dicunt, sua percepisse.

13. Ἠκούσατε — Ἰουδαϊσμῷ) *Audivistis enim ipsi, quousque ego olim in rituum Iudaicorum studio processerim.* Ἀναστροφὴ (i. e. ἡ πρότερα ἀναστροφὴ, vel ἡ ποτὲ ἀναστρ.), pro βίος, *vita, mores*, Tob. IV, 19. Eph. IV, 22. 1 Petr. I, 18. Ποτὲ ad ἀναστροφὴν, non ad ἠκούσατε pertinet. Ἰουδαϊσμὸς est studium Iudaicorum rituum, v. 14. a Ἰουδαΐζειν, h. l. ζῆν Ἰουδαϊκῶς. Ex priori vita sua, inquit, planum esse, se per divinam revelationem accepisse doctrinam suam. Quum enim talis tantusque fuisset persecutor religionis christianae, quomodo tam subito permutatus esset, nisi divina quaedam revelatio eum traxisset? ὅτι — ἐπόρθουν αὐτήν) *Adeo ut omni modo infensus fuerim ecclesiae Dei, eamque vastaverim.* Καθ' ὑπερβολήν, i. e. σφόδρα, μάλιστα. — Ἐκκλ. τ. Θ. dicit, ut summam criminis a se commissi atrocitatem declaret. ἐπόρθουν, quasi *vastavi*, scil. multis Christianis ad supplicia adducendis, cf. Act. IX, 21.

14. Καὶ προέκοπτον — γένει μου) *Antecellebam enim Iudaicae doctrinae studio multos coaevos meos in gente mea.* Προκόπτειν ὑπὲρ, thematis κόπτειν vi prorsus pereunte, simpliciter significat *ulterius procedere, antecellere* aliquem in re aliqua. περισσοτέρως — παραδόσεων) *Strenuus defensor traditionum a maioribus acceptarum.* Ζηλωτὴς *religionis* est studiosissimus religionis; nam ζῆλος, *aemulatio*, est acre studium, rei inpensum. Περισσοτέρως, *abundantius*, i. e. plus quam alii. Παραδόσεις πατρικαὶ, *traditiones*

patriae sunt partim ipsa doctrina, lex et Prophetae, partim doctrinae humanae, quae ore traduntur, et ad conservandam legis olim civilis auctoritatem perpetuam sensim a magistris inventae erant. Πατρικὸν, *a maioribus acceptum.*

15. Ὅτε δὲ — χάριτος αὐτοῦ) *Quando vero placuit Deo, qui pro suo in me favore iam inde a natalibus meis ad munus Apostoli me destinaverat.* Ἐκ κοιλίας μητρός, *inde a natalibus meis*, Luc. I, 15. Ἀφορίζειν *separare, sanctificare.* Sive igitur vertas: *separavit me*, sive: *me sibi consecravit, selegit*, sensus manet idem. Cf. Ier. I, 5.

16. Ἀποκαλύψαι — ἐν ἐμοὶ) *Revelare*, i. e. notum reddere *filium suum in me*, i. e. in mente mea. Ἀποκαλύψαι pendet ab εὐδόκησε ὁ Θεὸς, v. 15. Ἐν ἐμοὶ, non est positum pro μοι, ut hebr. גָּלָה cum עַל et אֶל, Ies. LIII, 1. Ier. XI, 20., quae est *Koppii* sententia; nam sequitur: ἵνα εὐαγγελίζωμαι κ. τ. λ. Respicit locus ad Act. IX. ἐν τοῖς ἔθνεσιν) Hoc praecipue attendendum est. Non potuit igitur gentibus legem Mosis commendare. εὐθέως — αἵματι) *Statim*, sc. ipse consensi, *nec hominem quendam in consilium adhibui.* Εὐθέως, ellipsis, magis sensu quam verbis. Hoc enim dicit, statim se paruisse vocationi divinae, neque quaesivisse tum aliquos, cum quibus de illa conferret, vel deliberaret, utrum deberet docere nec ne. Προσανατίθεσθαί τινι, h. l. est *in consilium adhibere*, infra II, 6. Diodor. Sic. XVII, 116. Alexander τοῖς μάντεσι προσαναθέμενος περὶ τοῦ σημείου. Σάρξ καὶ αἷμα, ex noto Hebraismo: *Homo, homines.* Hoc

repetit, ut appareat, se a nullo hominum doctrinam suam didicisse. Haec tamen interpretatio *Winero* paullo angustior esse videtur. Ipse vertit: „*non putavi naturalium studiorum et cupiditatum rationem habendam*, ich hörte nicht erst das Urtheil des sinnlich-natürlichen Menschen (neque meum neque aliorum)." Idem voc. *εὐθέως*, si sensum spectas, ad *ἀπῆλθον* v. 17. pertinere contendit; scil. Paulus, quae fuit eius alacritas, interponit negativam sententiam, quae ipsi in mentem venit.

17. Οὐδὲ *ἀνῆλθον — ἀποστόλους*) *Neque profectus sum Hierosolyma ad eos, qui iam ante meum Apostolatum ibi celebres erant.* Auget sententiam superiorem: *Ne Apostolos quidem consului.* Τοὺς *πρὸ ἐμοῦ, tempore priores.* Intelligit illos duodecim Apostolos. *ἀλλὰ — Ἀραβίαν*) De hoc itinere Lucas nihil commemorat Act. IX., sive quia Paulum parum ibi effecisse sciret, sive quia multa etiam alia, quae ad Pauli historiam pertinebant, omisit. *καὶ πάλιν — Δαμασκόν*) Damascus autem tum cum Arabia sub regis *Aretae* potestate erat. *Damasci* igitur Paulus munere suo publice fungi coepit.

18. Ἱστορῆσαι Πέτρον) *Ut viderem et cognoscerem Petrum.* Sic Iosephus in multis locis, e. g. Ant. VIII, 2. 5. *ἱστόρησα γὰρ τινὰ Ἐλεάζαρον τῶν ὁμοφύλων, oculis meis vidi quendam ex popularibus meis, Eleazarum.* Unde *ἱστορία videndi, cognoscendique studium*, apud eundem Ant. V, 12. De hac et altera verbi significatione, quae est *narrare*, consuli potest *Fischerus* in Ind. Palaephateo, verbo *ἱστο-*

ρεῖν. Celebritas nominis, quam Petrus inter Apostolos erat consecutus, impulit Paulum, ut operae pretium putaret, venire in aliquam eius consuetudinem. Μετὰ ἔτη τρία. Numerari possunt hi anni tres vel a discessu Pauli ab Hierosolymis, vel a reditu ex Arabia Damascum. Prius praeferendum esse videtur. καὶ ἐπέμεινα — δεκαπέντε) Intra hos quindecim dies non potuit Paulus edoceri a Petro. Nec venit Paulus Hierosolyma discendi caussa, sed ἱστορῆσαι Πέτρον. Ergo non fuit Petri discipulus.

19. Ἕτερον — τοῦ κυρίου) De hoc *Iacobo* divisae sunt veterum recentiorumque sententiae, an fuerit proprie *frater Domini*, an vero eiusdem *cognatus*, *consobrinus*. Distinguitur hoc cognomine a Iacobis duobus aliis, uno *Alphaei*, altero *Zebedaei* filio. Hos tres Iacobos e veteribus auctor Constit. Apostol. clarissime distinguit L. II, c. 55. L. VI, c. 12. 14. Cf. *Winerus* (ad h. l. p. 51. sq.), qui dubitat, an patres in hac causa fidem mereantur. „Quidni enim potuerit Iacobus ille Alphaei, cui propter eam, quae ipsi cum Iesu intercedebat, cognationem singularem Hierosolymitani auctoritatem tribuisse videntur, a suis honorifice *frater domini* appellari, etiamsi non esset frater germanus?“ Sane verisimillimum est, Iacobum, qui hic memoratur, eundem esse, cuius Act. XV, 13. sqq. XXI, 18. sqq. mentio fit. Hunc autem plurimi statuunt non diversum esse ab illo, qui Alphaei et Mariae filius dicitur.

20. Ἃ δὲ — τοῦ Θεοῦ) Sc. γράφω, λέγω. Harum rerum, quas iam vobis narro, testem Deum appello,

me non mentiri. Ad antecedentia hoc pertinet, neminem Apostolorum Hierosolymis se vidisse, praeter Petrum et Iacobum. Cf. Actor. IX, 27. Unde facile concludi poterat, se non ab ullo Apostolo didicisse doctrinam suam, sed potius verum esse, quod supra v. 11. 12. dixerat. Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, hebr. לִפְנֵי יְהוָה, graece esset: νὴ τὸν θεὸν, Deum facio testem. In ep. ad Rom. I, 9. hac utitur formula: μάρτυς μου ἐστὶν ὁ θεός. Cf. Rom. IX, 1. 1 Tim. II, 7. Cur tantopere urgeat, se ab aliis non didicisse, neque ullum Apostolorum Hierosolymis vidisse, exceptis Petro atque Iacobo, id intelligitur ex cap. II.

21. Εἰς τὰ κλίματα — Κιλικίας) *In regiones Syriae et Ciliciae.* Κλίμα, *regio*, ut Rom. XV, 23. Occasio huius itineris indicatur Act. IX, 29. 30.

22. Ἤμην — ἐν Χριστῷ) Ignotum se fuisse ecclesiis *Iudaeae* dicit, nempe exceptis Hierosolymis, ubi Hellenistas docuerat, Actor. IX, 28. Ergo verum esse non poterat, quod adversarii Pauli statuebant, eum ab ullo ecclesiae doctore suam doctrinam didicisse, vel hominum benevolentiam captasse. Ἐκκλησίαι αἱ ἐν Χριστῷ, sunt, ἐκκλησίαι αἱ τοῦ Χριστοῦ, *ecclesiae christianae.*

23. Ἀκούοντες ἦσαν) Pro ἤκουον, more hebr. ut saepius. Πίστις, *doctrina Evangelii.* Cf. supra v. 13.

24. Ἐν ἐμοὶ) vulgo explicant: *propter me*, quod audirent, me ad Christum esse conversum. Sed, bene

monente *Winero*, proprie est: *in me (an mir)* celebrant Deum, ut qui *in me* invenissent celebrationis materiem.

CAP. II.

1. Ἔπειτα — Τίτον) *Deinde interiectis fere quatuordecim annis*, i. e. quum 14. annis non fuissem Hierosolymis, iterum illuc profectus sum. Quaeritur, utrum verbis πάλιν ἀνέβην *tertium*, an vero *secundum* Pauli iter Hierosol. declaretur; nec non, utrum hi quatuordecim anni a primi itineris Pauli Hierosolymitani cap. I, 18. commemorati tempore, an vero ab eius ad religionem christianam conversione sint computandi? Dicit autem Apostolus, se elapsis fere quatuordecim annis rursus *adiisse Hierosolyma, assumto Barnaba et socio Tito.* Iam vero plurimi, quum antiquiores, tum recentiores interpretes hoc iter ad illud tempus referendum esse statuunt, quo secundum Lucae in Act. c. XV. narrationem ab ecclesia Antiochena ad sciscitandam Apostolorum de Mosaicae legis inter Christianos observatione sententiam, Hierosolyma fuerit una cum Barnaba et aliis quibusdam ablegatus. Fuit aut hoc tertium Pauli iter Hierosolymitanum (tria enim ad urbem Hieros. fecit itinera, cf. Act. IX, 26. coll. Gal. I, 18.; Act. XI, 27. 30.; Act. XV.). In eorundem sententiam, qui de *tertio* P. itinere agi rationemque a primo eius itinere Hierosolyma suscepto ducendam esse arbitrantur, discedit et *Winerus*, qui in Excursu (II.) ad h. l. largam dedit interpretum, qui vel ab una, vel ab altera parte starent, notitiam. Ipsum vero

hanc rem ad liquidum perduxisse, nos quidem nulli dubitamus.

2. Ἀνέβην δὲ κατ' ἀποκάλυψιν) *Profectus sum autem divino quodam monitu.* Igitur non meopte arbitrio nec aliquo discendi studio iter suscepi. *Winer* ad h. l.: „Paululum discrepat, quod Act. XV, 2. legitur, Apostolum *auctoribus Antiochenis* hoc iter suscepisse. Sed potest utrumque conciliari, si statuis, ad hanc Antiochenorum accessisse etiam divinam auctoritatem, eaque effectum esse, ut Paulus ecclesiae Antioch. precibus cederet." καὶ ἀνεθέμην — ἔθνεσι) *Et exposui ipsis, quam tradere soleo gentibus, doctrinam meam.* Αὐτοῖς, nempe Apostolis. κατ' ἰδίαν δὲ, τοῖς δοκοῦσι) *Privatim, auctoritate insignibus,* Petro, Iacobo, et Ioanni, ut patet ex v. 9. Οἱ δοκοῦντες, sc. ἐξέχειν. Ioseph. Ant. XIX, 9. 3. κατ' ἰδίαν, sc. χώραν, quod alii vertunt *inprimis,* potius (annotante *Kypkio)* est *privatim,* colloquio amice cum primariis Apostolis instituto, non in ecclesiae consessu. μήπως — ἔδραμον) *ne frustra operam impenderem, vel impendissem,* i. e. eo consilio, ne aliorum consiliis hi eo adducerentur, ut publicam suam auctoritatem mihi opponerent, atque sic praeteriti et praesentis laboris omnem fructum perderem. Τρέχειν, pro κοπιᾷν est locutio omnium linguarum communis. Εἰς κενὸν, לְרִיק, gr. μάτην.

3. Ἀλλ' οὐδὲ — περιτμηθῆναι) *Sed neque Titus, comes meus, quamquam Graecus* (Graecis parentibus natus), *circumcidi coactus est.* Quod Titus, qui gentilibus parentibus natus erat, non coactus est ad

suscipiendam circumcisionem, argumento erat, nec ceteris qui e gentibus accederent ad christianam religionem, circumcisionem esse imponendam. Quod autem nullus Apostolorum Titum circumcidi cogebat, id argumento erat, Apostolos in hac re cum Paulo consentire.

4. 5. Διὰ δὲ — πρὸς ὑμᾶς) *Propter falsos autem fratres irreptitios, qui irrepserunt ut explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigerent, quibus ne per horae quidem momentum cessimus obediendo, ut doctrinam Christi infucatam vobis servaremus.* Particula δὲ, recte monente *Winero*, tuetur suam significationem: ab Apostolis non coactus est; quod *autem* pertinet ad illos ψευδαδ. etc. Isti falsi fratres, de quibus Paulus loquitur, Hierosolymis versabantur, hicque Titum, quem Hierosolyma secum adduxerat, una cum aliis eiusdem conditionis hominibus ad circumcisionem cogere studebant. Ceterum ψευδαδελφοὶ non sunt Iudaei, sed *Iudaeo-christiani*, qui, perversa de iudaicae legis auctoritate opinione imbuti, circumcisionis aliorumque rituum Mosaicorum observationem omnibus Christianis volebant imponi. Tales ista aetate ubique fere fuisse constat; non igitur mirum, si etiam Hierosolymis fuerint, qui Paulo eandem litem moverent. Vocat eos παρεισάκτους, *irreptitios, qui irrepserunt, die sich neben her eingeschlichen haben.* Hoc idem intelligitur in verbo, quod additum est: παρεισῆλθον, *immiscuerunt se.* Κατασκοπῆσαι — ἡμῶν, *exploraturi, qua nos in profitenda religione uteremur libertate.* Κατασκοπῆσαι, *speculari* libertatem, h. l. est

belauschen, *insidiari*. Ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται, *ut nos redigerent in servitutem*, sc. legis Mosaicae. Οὐδὲ πρὸς ὥραν, ne ullo quidem *tempore*, vel momento temporis; *keinen Augenblick*. Εἴκειν τῇ ὑποταγῇ, pro ὑποτάσσεσθαι. Nonnulli interpretes, Codicis Claromontani, et Tertulliani auctoritate moti, οἷς οὐδὲ e textu omnino excludendum existimarunt, ut loci sensus sit: *permisisse Apostolum, ut Titus circumcideretur in gratiam Iudaeorum*. Alii certe voc. οὐδὲ omittunt. Sed duo haec verba: οἷς οὐδὲ (in quibus inest anacoluthon) extant in graecis Patribus et codicibus. Omittunt quidem multi Patres latini, et versiones latinae; sed Hieronymus et Ambrosiaster docent, Graecos hic aliter legere. Offendit Tertullianum et alios, quod Paulus *Timotheum* circumciderit propter Iudaeos, Act. XVI, 3. Sed ibi indulsit Iudaeis, nemine circumcisionem postulante ut ius, sponte, se accommodans imbecillitati Iudaeorum. Sed nostro in loco res ei erat cum illis, qui circumcisionem postulabant de iure. Paulus in talibus ritualibus egit, prouti περιστάσεις singulorum temporum et hominum suaderent. Cf. Act. XXI, 22. sqq. 1 Cor. IX, 20.

6. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων — προσανέθεντο) *Quod autem attinet ad illos auctoritate insignes, (quacunque tandem illi sint dignitate, nihil mea interest; Deus enim externam hominum conditionem non spectat) illi nihil novi me docuerunt*. Hic quoque est ἀνακόλουθον orationis, cuiusmodi plura in Epistolis Paulinis occurrunt. Voluit fortasse scribere: ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, οὐδέν μοι προσανετέθη, vel οὐδὲν προσελάβομεν, sed quum parenthesin paullo lon-

giorem interiecisset, oblitus formulae, qua periodum inceperat, constructione inchoata subito excidit. *Auctoritate insignes* h. l. sunt Petrus, Iacobus et Ioannes, comm. 2. 9. Illi autem, inquit, me non modo non correxerunt, sed ne addiderunt quidem institutioni meae quidquam novi.

7. Ἰδόντες—τῆς περιτομῆς) Ἰδόντες, *quum perspexissent*, ex narratione de rebus a me hac ratione gestis inter gentes. Ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, pro: ὅτι πεπίστευταί μοι τὸ εὐαγγελίζεσθαι ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, h. e. ἐν τοῖς ἔθνεσι. Cf. de hac constructione Rom. III, 2. Ἀκροβυστία, *praeputiatus*, non circumcisus, gentilis, ut saepe in Epist. ad Romanos. Περιτομή, *Iudaei*, περιτμηθέντες. Paulo autem creditum esse munus Apostolicum inter gentes, intelligebatur ex eventu, ut statim indicatur.

8. Ὁ γὰρ — εἰς τὰ ἔθνη) Ἐνεργήσας Πέτρῳ, *qui adiuvat Petrum.* Ostendit Paulus ex prosperis successibus sui muneris, se eiusdem cum Petro esse pretii et honoris. Dicitur autem Petrus *Iudaeorum* Apostolus, Paulus *Gentilium*, ἐπὶ τὸ πολύ, intelligendum est hoc de eo, quod in cuiusque munere erat praecipuum.

9. Καὶ γνόντες—μοι) *Quum cognovissent, quanta erga me fuerit benignitas divina;* quod nempe me suis donis exornavisset, ad praedicandam doctrinam Christi, quod ex successu cognoscebant. οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι) *Qui in maxima sunt auctoritate.* Ecclesiae quasi aedificium videbatur his columnis imponen-

dum esse. δεξιὰς — κοινωνίας) Dextras dederunt mihi et Barnabae ad declarandam amicitiam, et consensum in doctrina. Κοινωνία, amicorum inter se de re aliqua expedienda consensio. Ἵνα ὑμεῖς — περιτομήν, sc. πορεύωνται, *itinera facerent*, et Evangelium docerent. Sic igitur studiis coniuncti, inter diversos populos rem suam egerunt.

10. Μόνον — μνημονεύωμεν) Sc. Admonuerunt nos. Μνημονεύειν, *meminisse, sublevare.* Πτωχοὶ h. l. sunt pauperes in Iudaea. Ὃ καὶ — ποιῆσαι) *Id quod ipsum studui etiam facere.* Est hebraea dicendi ratio. Paulus collegit pecunias in usum Christianorum Palaestinensium in aliis coetibus. 1 Cor. XVI, 1—6.

11. Ὅτε—Αντιόχειαν) Aliquo tempore post res illas Hierosolymis gestas. Vani sunt, qui inde a *Clemente Al. Cepham* hic intelligunt, aliquem ex LXX. discipulis. Quomodo enim pertinuit ad rem istam, narrare de *ignoto* quodam Cepha? κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην) *Coram me ei opposui*, praesens praesenti restiti; in ea nempe re, de qua statim loquitur. ὅτι κατεγνωσμένος ἦν) *quod reprehensionem incurrerat*; quod offenderat in re statim commemoranda.

12. Πρὸ τοῦ γὰρ — συνήσθιεν) Ἀπὸ Ἰακώβου. Christianos dicit iudaicae disciplinae nimium deditos (Act. XXI, 20.), qui Iacobi auctoritate sive iure seu secus utebantur. Utrum hi missi fuerint a Iacobo, qui tum ecclesiae Hierosolymitanae praeerat, an ultro huc venerint, non constat. Hoc postremum plerique interpretes praeferunt. Winerus suspicatur, illos ex eodem

illo τῶν κατασκοπούντων τὴν ἐλευθερίαν (v. 4.) genere fuisse. Τὰ ἔθνη, *e gentibus Christiani.* Συνεσθίειν τινὶ Hebraeis saepissime omnem consuetudinis familiaritatem exprimit; hoc autem loco *praecipue* ad communia convivia refertur. Non dubitavit Petrus ab initio vesci cum Christianis ex gentibus, neglecta lege Mosaica *de discrimine ciborum*, quia ad gentes non pertinebat. ὅτε δὲ — ἑαυτὸν) *Quum* illi *autem advenissent, subtraxit se et seiunxit*, vel subduxit se et seiunxit se ab eorum (qui ex Paganis Christiani facti fuerant,) consuetudine et convictu. φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς) Metuens, ne Christianos ex Iudaeis offenderet, et ad prorsus deserendam religionem christianam sollicitaret. Erravit in hac re *Petrus*, sed tantum ex studio in Iudaizantes, ut ne hos offenderet et repelleret, sensim demum rectius informandos. Non erat controversia inter Petrum et Paulum de doctrina, sed de cura et sollicitudine ecclesiae.

13. Καὶ συνυπεκρίθησαν — Ἰουδαῖοι) *Et exemplum Petri in simulando secuti sunt etiam reliqui Christiani ex Iudaeis.* Recte nominatur *simulatio;* nec enim ex animi sententia ipsi sic statuebant, legem Mosaicam etiam ad gentes pertinere, sed nimium his paucis Iudaeis dabant: quo publico exemplo non mediocriter turbabant Christianos e gentibus. ὥστε—τῇ ὑποκρίσει) *ita ut ipse Barnabas ad eandem simulationem abriperetur.* De Barnaba hoc omnino mirandum, qui doctrina et animo alias tantopere cum Paulo consentiebat. ὥστε h. l., ut apud Graecos crebrius, iungitur Indicativo.

14. Ἀλλ' ὅτε—τοῦ εὐαγγελίου) *Sed quum animadverterem, eos non candide sequi praecepta religionis Christi.* Ὀρθοποδεῖν, i. e. ὀρθῶς περιπατεῖν, *recto tramite incedere, recte agere.* ἔμπροσθεν πάντων) Praesentibus etiam istis, qui a Iacobo venerant; ut horum superstitionem oppugnaret, et meliorem cognitionem adiuvaret. εἰ σὺ—Ἰουδαϊκῶς) *Quum tu, qui tamen Iudaeus fueras, vixeris (paullo ante) more gentium, ac non secundum Iudaicos ritus.* Ἐθνικῶς ζῆν non intelligendum est de vitiis Gentilium, sed de moribus, ritibusque externis. τί τὰ—Ἰουδαΐζειν;) *quid paganos cogis iudaice vivere?* Pro τί ex optimis libris scribendum est πῶς. Ἀναγκάζεις, non omni modo et proprie, sed tuo exemplo, quo impellentur isti Christiani, ut legem Mosis admittant et ipsi, ne impuro more vivere videantur.

15. Ἡμεῖς—ἁμαρτωλοί) *Nos nativitate sumus Iudaei, non Ethnici.* Itaque per ipsos natales habemus legem Mosaicam. Sed ipsimet nos, iudicantes, hanc non sufficere ad vitam aeternam consequendam, Christo nomen dedimus, abiecta, cui *ipsis natalibus* obstricti eramus, lege; quid igitur gentilibus hanc imperamus, unde nosmet ipsi nullum exspectabamus fructum? Ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, i. e. ἔθνικοι. Hoc nomen, *peccatores*, solebant Iudaei inde a longo tempore tribuere *gentibus* ceteris. Nempe ἁμαρτωλοί sunt idololatrae. Ἁμαρτία, *idololatria*, si de Ethnicis usurpatur. Continuatur Pauli ad Petrum oratio, usque ad comm. 21. quia orationis mutatae, et ab alio ad alios conversae, nullum vestigium apparet. Alii putant, Paulum iam alloqui Galatas, aut Galatarum doctores.

16. Εἰδότες δὲ ὅτι—Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Quum autem cognovissemus nullum hominem favorem Dei consequi* et felicem reddi *propter observationem legis Mosaicae, sed tantum per religionem christianam.* Δὲ post *εἰδότες* addunt antiqui et recentiores Codd. haud pauci, Patres etiam nonnulli Graeci et Latini. De verbo *δικαιοῦν* cf. annotata ad Rom. III, 20. *Ἔργα νόμου*, facta legi Mosaicae, et quidem caeremoniali, accommodata. Omnis enim haec disputatio orta erat a neglecto cibo et potu, aliisque externis ritibus. *Οὐκ ἄνθρωπος*, *nullus hominum*, sive sit Iudaeus, sive Gentilis. *Ἐὰν μή*, pro *ἀλλὰ*, ut Rom. XIV, 14. 1 Cor. VII, 17. De phrasi: *διὰ πίστεως Χριστοῦ* cf. annotata ad Rom. III, 22. *καὶ ἡμεῖς εἰς Χρ. Ἰ. ἐπιστεύσαμεν*) *Nos etiam*, licet non simus e gentibus, sed Iudaei inde a pueritia, legis patriae studiosi amatores, *amplexi sumus hanc de Christo doctrinam.* Locus sequens est ex Ps. CXLIII, 2. *Ἐξ ἔργων νόμου* in Psalmo non extat; sed Paulus per legitimam consequentiam haec verba addit.

17. Εἰ δὲ ζητοῦντες—ἁμαρτωλοί) *Iam vero, si nos, propterea quod volumus per Christum consequi favorem Dei, ipsi etiam peccatores deprehensi sumus:* Bene *Theodoretus: εἰ παράβασις τούτου νενόμισται*, quod *τὸν νόμον* sc. *τὸν παρεισακτον καταλείποντες*, Christum sequimur, et *διὰ τοὺς ἐπ' αὐτὸν πίστεως* speramus Dei favorem nancisci. *Εὑρίσκεσθαι*, hebr. נִמְצָא, significat: aliquem talem, qualis est, ab aliis (s. Deo, s. hominibus) cognosci. *ἁμαρτωλοί* scil. reiecta lege iudaica, nihil amplius curantes legem, atque ita aequales gentilium, v. 15. *ἆρα Χρ. ἁμαρτίας διάκονος*;) *Non-*

ne Christus peccatorum minister? hoc necessario sequetur. Lectio ἆρα praeferenda est; nam formulae *μὴ γένοιτο (quod absit!)* ap. Paulum semper praemittitur interrogatio, Rom. III, 3. 6. 31. VI, 1. 15. VII, 7. 13. XI, 1. 11. 1 Cor. VI, 15. infra III, 21. Sensus tamen idem est, si ἄρα scribitur: *itaque Christus peccati minister est.* Hoc autem vult Paulus: Qui nos reprehendit ob neglectam legem Mosaicam, is ipsum Christum reprehendit, qui ipse hanc legem antiquavit. Eodem modo vocc. ἁμαρτίας διάκονος, de Christo adhibita, explicat *Winerus* ad h. l.: „Scilicet abrogatae legis auctor fuit Christus, utpote propter solam πίστιν hominibus salutem impertiturus; iam si legem deseruisse peccatum est, ipse Christus in peccati societatem venit.“ Posset hoc comma etiam sic reddi: Si autem nos, qui per christianam religionem (solam, repudiata lege Mos.) felicitatem consequi studemus, paganis similes reputandi essemus, (quod volunt ii, qui necessitatem legis Mos. commendant,) sequeretur inde, Christum esse doctorem Paganismi; quod absit; absit ut hoc statuamus.

18. Εἰ γὰρ — συνίστημι) Sensus est: *Enimvero, si quis id, quod ipse destruxerat, rursus aedificat, ipse fatetur, se pecasse,* atque temere egisse. Paulus in prima persona, leniendi vituperii caussa loquitur; sed reprehendit adversaries. Bene hic observat Theodoretus, pulchre Paulum ἀντιστρέφειν, invertere accusationem; quum dicerent Iudaizantes, esse παράβασιν τοῦ νόμου, si negligatur; ille contra dicit, esse παράβασιν, si quis Christianus legis Masaicae auctoritatem instauraret religionis caussa. In καταλύειν et οἰκοδο-

μεῖν est metaphora; illud enim h. l. est: *legibus Mosaicis vim et auctoritatem detrahere*, abrogatam declarare; hoc vero: *eandem iterum stabilire*, hominibus christianis iniungere. Hoc Petrus facere videbatur. Παραβάτην—συνίστημι) *Gero me trangressorem*, i. e. qui non observet officium doctoris, nam officium doctoris religionis christianae est, non ore tantum, sed etiam exemplo declarare id, nos esse solutos lege Mosaica. Συνίστημι, vel ut alii legunt συνιστάνω h. l. est *facio testatum*, *exhibeo me hominibus spectandum*, *gero me*, ut 2 Cor. VI, 4.

19. Ἐγὼ — ζήσω) *Ego enim per legem legi mortuus sum*, *ut Deo vivam*. Simpliciter vertere licet: *per unam legem* (vel doctrinam) *alteri mortuus sum*, i. e. per christianam doctrinam effectum est, ut Mosaicam illam religionem abiicerem. Ea lex, cui mortuus est, sine dubio est lex Mosaica. *Legi mori*, eius respectu veluti mortuum esse, indicat, ei non amplius operam dare. *Alia lex* per quam liberatus est lege Mosaica est *lex christiana*, *doctrina* christiana; nam νόμος saepe est *doctrina in universum*, nominatim doctrina christiana, cf. Rom. VIII, 2. Rom. III, 27. Sed gravior adhuc existit sententia, si cum interpp. multis, et antiq. et recent., νόμον utroque loco de lege Mos. interpretamur: *lex legem sustulit*, ipsa lex, quum non posset mihi salutem impertire (v. 16.), mei me iuris fecit atque a suo imperio liberavit. ἵνα θεῷ ζήσω) i. e. Ut ad Dei honorem s. ad praescripta doctrinae christianae *vivam*. Cf. Rom. VI, 11. Θεῷ ζῆν idem esse videtur ac v. 20. ἐν πίστει ζῆν τοῦ υἱοῦ

τοῦ θεοῦ. Iudaeus, qui ex observatione caeremoniarum laudem et praemium quaerit, sibi ipsi vivit.

20. Χριστῷ συνεσταύρωμαι) *Similis sum Christo, in cruce mortuo*, sc. quod attinet legem Mosaicam. In composito τὸ σὺν ad Χριστῷ referendum est, pro ὡς Χριστὸς. *In crucem actus sum ut ille* est: mortuus ut ille; quae est idea adiuncta, nec hic species mortis urgenda. Repetit, se mortuum esse legi, sed alio verbo utitur, quia per omnia Christo, in cruce mortuo, similis esse cupit. Homo tropice moritur, quando desinit esse talis, qualis antea fuerat. Ergo Paulus dicere vult: Non sum amplius Iudaeus, et contemtor religionis christianae. Mea pristina vitae ratio desiit. Possunt etiam sic explicari haec verba: Facile patior ut alii me contemnant et affligant propter repudiatam a me legem Mosaicam, ad exemplum Christi, qui tanquam violator legis cruci est affixus. ζῶ δὲ — ἐμοὶ Χριστὸς) *Non enim amplius ipse vivo sed Christus in me vivit.* Post ζῶ δὲ delendum est comma *Vivit in nobis*, quem impense amamus et colimus. quemadmodum sibi vivit, qui suis commodis unice studet. Sensus igitur est: Non studeo amplius honori meo et commodis meis, sed Christum unice colo, eique placere studeo. Non amplius vivo pristino meo Iudaico more, sed vitam et mores plane ad praecepta religionis christianae conformare studeo. Hoc statim aliis verbis repetitur. ὃ δὲ νῦν—τοῦ θεοῦ) *Nempe tota mea reliqua vita in hoc corpore consumitur in religione Messiae excolenda et propaganda.* Ἐν σαρκί, i. e. ἐν σώματι. σὰρξ, *vivum corpus* significat. Ὃ δὲ νῦν ζῶ, i. e. ἡ νῦν ζωή μου ἐστι ζωὴ

ἐν πίστει τ. υἱ. τ. θεοῦ. Πίστις, *religio* eiusque cultus et propagatio. τοῦ ἀγαπήσαντος — ὑπὲρ ἐμοῦ) *Qui me sic dilexit, ut etiam seipsum pro me traderet in mortem.* καὶ, more hebr. verba verbis per ו nectendi. Christo, qui pro me et omnibus hominibus mortuus est, salutem meam totam debeo.

21. Οὐκ ἀθετῶ — τοῦ θεοῦ) *Non contemno tantum Dei beneficium.* Hoc beneficium Dei h. l. est nominatim libertas christiana, hanc religionem suscipientibus concessa, et liberatio ab illo Iudaismo. Ἀθετῶ, ἀτιμάζω, ὑβρίζω. Vel μάταιον κρίνω, vanum et inutile reputo. Supple: Quod facerem, si legis Mosaicae observatione favorem Dei consequi vellem; nam hoc sequentia verba postulant. εἰ γὰρ — ἀπέθανεν) *Si enim propter legis observationem immunitas a peccatorum poenis et benevolentia divina nobis contingeret, Christus frustra esset mortuus.* Δωρεὰν, *temere, sine caussa.* Si alio modo favorem divinum et vitam aeternam consequi poteramus, certe non opus erat, ut Christus pro nobis oppeteret mortem.

CAP. III.

1. Τίς ὑμᾶς — πείθεσθαι) *Quis vos praestigiis* quasi *induxit, ut fidem denegaretis verae Evangelii doctrinae?* Verba τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι desunt in codicibus optimis, quibuscum consentiunt versiones antiquae, et multi Patres graeci et latini. Videntur ex margine irrepsisse in textum. Βασκαίνειν, *fascinare, praestigiis, vel malis artibus in errorem in-*

ducere. Proprie βάσκειν et βασκαίνειν idem est quod φάσκειν, *dicere.* Deinde sensu malo est pro κακολογεῖν, *calumniari,* unde βάσκανος et συκοφάντης Synonyma; hinc simpliciter dicitur pro ἐξαπατᾷν. Est vero etiam *fascinare aliquem,* nocere alicui aspectu, verbo, modo quodam superstitioso. *Quis oculos vestros praestrinxit, ut nihil videri possitis?* Πείθεσθαι, h. l. *fidem habere;* interdum etiam *obedire.* οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς — ἐσταυρωμένος) *Quibus de crucifixo Christo doctrina ante oculos quasi depicta fuit.* Οἷς ἐν ὑμῖν, pro ἐν οἷς. Προγράφειν h. l. est *in tabula quasi proponere,* clare et perspicue *edocere,* ut προκηρύττειν, *palam denunciare.* Ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, *inter vos in crucem actus,* i. e. adeo planissime didicistis, ac si inter vos Christus ipse pependisset de cruce. *Es ist euch so deutlich vorgemahlt worden, als ob ihr es mit Augen gesehen hättet. Winerus* verba ἐν ὑμῖν, si genuina sunt (etenim non leguntur in quibusdam Codd. et Verss.), addita putat ad οἷς, ut magis appareret, quomodo *iis* depictus fuerit Christus, nimirum *in ipsorum animis.* Quare vertit: *quibus quippe Christus cruci affixus ante oculos propositus* (depictus) *sit, nempe in animis.* ἐσταυρωμένος in fine positum est, ut quod maximam sententiae vim contineat.

2. Τοῦτο — ἀφ' ὑμῶν) Omissis aliis, hoc tantum a vobis iam quaero. ἐξ ἔργων—πίστεως;) *An per observationem legis Mosaicae hanc meliorem sentiendi agendique consuetudinem adepti estis, an vero per institutionem in doctrina Christiana?* Πνεῦμα significat omnem (*Wineri* utor verbis) illarum virium,

facultatum, virtutum, quae hominibus per fidem christ. divinitus contingunt eorumque animos in melius convertunt, ambitum vel, ut rectius dicam, fontem et principium, *die neue aus dem Glauben geborne Grundkraft des christichen Gemüths.* Illud πνεῦμα, inquit, non accepistis per observationem legis Mosaicae, sed per institutionem in religione christiana. Ἀκοή, hebr. שְׁמוּעָה, *institutio* quae fit ore, proprie *auditus.* Πίστις, opposita τῷ νόμῳ, doctrina christiana. Experientia ipsa edocti erant Galatae, se accepisse illam meliorem mentem per auditam doctrinam de Christo; non autem observatione legis Mosaicae.

3. Ἐναρξάμενοι — ἐπιτελεῖσθε;) *Post illa primordia spiritualia iam recidetis ad humiles caerimoniarum ritus?* i. e. qui coepistis esse Christiani, nunc vultis deflectere ad Iudaismum? Quum πνεῦμα h. l. sit perfectior sentiendi agendique ratio, quae est effectus doctrinae christianae (v. 2.), vi oppositionis σάρξ erit humilis sentiendi ratio, effectus τοῦ νόμου, niedrige iüdische Denkungsart. Voci πνεύματος subiectam esse *excellentiae*, voci σαρκὸς autem *tenuitatis* vim, notissimum est.

4. Τοσαῦτα — καὶ εἰκῇ) *Tanta igitur beneficia frustra vobis contigerunt? Dummodo sufficit dixisse frustra!* Πάσχειν in utramque partem dicitur apud Graecos, ut apud Theocrit. Id. XV, 138. οὐκ ἔπαθε τοῦτο, *non haec gloria ei contigit.* Εἰκῇ, *nullo frutu.* Alii: *An tot mala frustra tolerastis?* An vero Galatae calamitates sustinuerint propter religionis christianae professionem, id confirmari non po-

test, quia lux historiae nobis deest. εἴγε εἰκῇ, per aposiopesin: dummodo sufficiat dixisse *frustra*. Si enim maneatis in illa perversitate, amittetis omnem illam facultatem πνευματικὴν. Alii: *quandoquidem*, *siquidem frustra*, i. e. puto equidem, ista omnia vobis frustra contigisse.

5. Ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν — πίστεως;) *Num*, *inquam*, *Deus*, *qui largitus est vobis hanc mentem*, *et tot miracula patravit inter vos*, hoc fecit *propter opera legis a vobis praestita*, *an vero per doctrinam Evangelii?* i. e. accepistisne haec tanta dona, quia legem observatis (quia Iudaei estis), an quia edidicistis religionem christianam? οὖν, *inquam*, mera particula transeundi; nam est confirmatio eiusdem argumenti, quod v. 2. 3. proposuerat. Ὁ ἐπιχορηγῶν, sc. θεὸς. Δυνάμεις, *miracula*, ut saepius. Ἡ ἐξ ἀκοῆς πίστεως, supple: *Utique per auditam doctrinam*, sine ullis talibus caerimoniis, quas lex Mosis imperat civibus suis, ut sic cum v. 6. cohaereat sermo.

6. Καθὼς — εἰς δικαιοσύνην) *Sicut de Abrahamo dicitur:* (Alienus ab omnibus istis cerimoniis Mosaicae legis) *credidit Deo* (promittenti) *et hoc fuit ipsi laudi*, vel divino favore ornatus est. Quid et quo sensu Abrahamus crediderit Deo, discimus ex Genes. XV, 6. Cf. Rom. IV, 17. sqq. Πίστις λογίζεται εἰς δικαιοσύνην, i. e. *habetur pro animi qualitate tali*, *qualis esse debet* (gehörige Gemüthsbeschaffenheit); *ideoque probatur a Deo*. Cf. Rom. IV, 3. Propter fidem Deus Abrahamum in hominum δικαίων numero habuit; δίκαιοι vero sunt illi, quibus, quin Deo, summo integri-

tatis existimatori, probentur, nihil deest. Novum argumentum. Cur illi, qui vobis commendare solent legem Mosaicam, tacent de antiquissima historia et religione Abrahami, quem solent suae gentis auctorem iactare?

7. Γινώσκετε — Ἀβραάμ) *Cognoscitis inde, Dei promissionibus confisos, genuinos esse Abrahami filios.* Γινώσκετε, in Indicat. et Imperat. potest efferri. Οἱ ἐκ πίστεως, sc. ὄντες, i. e. οἱ πιστεύοντες. *Filii genuini Abrahami,* sunt Abrahamo similes, digni ut pro eius posteris habeantur, sive Iudaei sint ortu, sive Gentiles, qui eadem fruuntur sorte et felicitate; qui divino ornantur favore, quemadmodum Abrahamus divino favore est ornatus. Inest etiam hoc: *accipiunt, quod est promissum;* quanquam enim non est grammatice in verbo, tamen sic est explicandum ex Pauli loquendi more, ut patet ex Rom. IV. aliisque locis.

8. Προϊδοῦσα — ὁ θεὸς) *Quum igitur praevidisset Scriptura, Deum approbaturum esse gentes propter fidem eius promissis habitam.* Ἡ γραφὴ pro: πνεῦμα ἅγιον ἐν τῇ γραφῇ. Disputat Apostolus ex vocabulo בָּרַךְ, Gen. XVIII, 18. quo nomine vero tum Iudaei invidiose appellare solebant ceteras gentes. ὅτι — ἔθνη) *felicitate fruentur tecum omnes gentes.* Ἐν σοὶ, *tecum,* ut explicatur v. 9.

9. Ὥστε — Ἀβραάμ) *Quapropter credentes* (licet non circumcisi, vel Mosaica lege utentes,) *felicitate fruentur sicut Abraham.* Σὺν τῷ Ἀβραάμ, *cum Abrahamo.*

10. Ὅσοι — κατάραν εἰσί) *Quicunque contra Mosaicae legi sunt obstricti, ii poenis sunt obnoxii.* Ἐξ ἔργων νόμου ὄντες, i. e. οἱ ἐργαζόμενοι τὰ τοῦ νόμου, legi Mosaicae penitus addicti, ita ut nihil aliud quam hoc cupiant et urgeant, ut haec lex observetur, existimantes, per eius observationem satis iam sibi reconciliatum esse favorem Dei. Tales homines ὑπὸ κατάραν εἶναι dicuntur. Κατάρα, קְלָלָה *comminatio poenarum*; interdum etiam *poena ipsa*. Nemo Iudaeus satisfacere singulis Mosaicae legis praeceptis potest; semper est in periculo, ne quid delinquat; ideo omnes Iudaei, quippe alieni a fide in Christum, poenis obnoxii sunt. γέγραπται — ποιῆσαι αὐτά) Deut. XXVII, 26. Ἐπικατάρατος, אָרוּר, infelix, *miser*. Ὃς οὐκ ἐμμένει etc. *quisquis non constantissime perfecerit etc.* Ὁ νόμος hic et in sequentibus universam significat legem Mosaicam. In notione τῆς κατάρας tenendum est, eas intelligi poenas, quae in illo libro Mosis dictatae sint, corporeae, civiles, publicae, privatae etc. De *damnatione*, s. poena aeterna hic non est cogitandum.

11. Ὅτι δὲ — δῆλον) *Neminem vero propter legis studium Deo probari, apparet*, inde patet, quod etc. Aliam rationem addit Paulus priori. Scil. ex loco Deut. XXVII, 26. hoc duntaxat sequitur, poenas divinas incurrere, quicunque non *totam* legem observet; sed neminem eiusmodi religiosa observatione vitam consequi, id declarat Paulus Habacuci verbis. Ἐν νόμῳ *per observationem legis Mosaicae*. Παρὰ τῷ θεῷ, *iudicio Dei*. Hominibus Iudaeus, legis Mosaicae studiosus, facile se probare potest, non autem Deo, qui

non his externis studiis atque exercitiis delectatur. De loco Habac. II, 3. mox citato, cf. Rom. I, 17.

12. Ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως) *Lex vero non suadet* vel commendat *fidem*, fiduciam in Deo reponendam; lex non est res fidei, nihil pertinet ad fidem. In lege non quaeritur, an credas, sed an tu agas. ἀλλ') Sc. λέγει, sive: in legem cadit, quod scriptum est. Sequens locus est Levit. XVIII, 5. Αὐτὰ, sc. προστάγματα. Ζήσεται ἐν αὐτοῖς, *felicitatem consequetur per ea*, sicut contra, qui non fecerit, lapidatur, eiicitur e populo etc.

13. Χριστὸς—τοῦ νόμου) *Christus liberavit nos a poenis in lege constitutis.* Ἡμᾶς, *nos Iudaeos*, quibus haec lex, quam tamen servare non possumus, data est, et *paganos*, ad quos et ipsos pertineret, si perpetuam vim haberet, si a Christo non esset sublata. Ἐξαγοράζειν, *redimere pretio.* Non est autem hic sermo de poenis aeternis, sed de poenis legis Mosaicae, respicit enim Paulus ad Deut. XXI, 22. 23. Non obruimur lapidibus propter violatam legem de Sabbato; non excludimur e populo Dei, ob intermissam circumcisionem etc. γενόμενος ὑπὲρ ὑμῶν κατάρα) *Dum poenas pro nobis expertus est.* Alias dicitur Christus παραδοθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν, sed h. l. Paulus utitur voce κατάρας, quia supra v. 10. eadem usus fuerat, et statim locum V. T. adducit, ubi eadem vox occurrit. Christus tanquam violator legis Mosaicae a Iudaeis cruci affixus est, et hac sua morte effecit, ut nos nunc liberi essemus ab ista lege, et a poenis in ea constitutis. γέγραπται—ξύλου) i. e. Valet de Christo quod

scriptum est Deut. XXI, 23. In Hebraeo est: קִלְלַת אֱלֹהִים *maledictio Dei*, et sensus loci est: *Qui ex trabe pendet, spectatur ut poenam luens.* Praegresso supplicio interemtum cadaver hominis, qui magnum flagitium commiserat, suspendebatur insuper e ligno in exemplum, ut homo summa ignominia notatus omnibus incurreret in oculos. Illo ipso die sepeliendum erat cadaver, et caussa additur: *Non pollues terram tuam, quam Deus tibi possidendam dedit.* Spectabatur itaque ut piaculum, quod pollueret provinciam totam, si cadaver per plures dies suspensum maneret, ducebaturque supplicium ignominiosissimum. Omnis res e sensu Iudaeorum spectatur, notato etiam hanc in rem loco e V. T., ut appareret, Christi mortem fuisse longe ignominiosissimam. Quoniam vero Christus innocens fuit, spectandus est tanquam is, qui pro nobis poenas luit. Ergo hunc mortis Christi fructum h. l. laudat Apostolus, quod finem fecerit poenis Mosaica lege constitutis, et declaraverit solutos esse homines necessitate tot legum observandarum. Sic pandere debuit ac voluit Christus viam communi omnium nationum religioni, eidemque perfectiori, ut statim v. 14. dicitur.

14. Ἵνα εἰς — Ἰησοῦ) *Ut felicitas illa Abrahamo promissa, gentibus etiam tribueretur per Christum Iesum*, eiusque doctrinam. Ἵνα, *eo consilio, ut.* Εὐλογία, בְּרָכָה, *felicitas, beneficium*, est oppositum τῆς κατάρας, קְלָלָה. Γίνεται εἰς, (hebr. הָיָה cum לְ) i. e. συμβαίνει τοῖς ἔθνεσι. Ἐν X. I. pro διά. Per Christum Iesum, per eius religionem et meritum

universum. Omnibus Iudaeis gentes sunt execrabiles et Deo exosae, quia legem Mosaicam non habeant et servent. Quum igitur Christus illam legem ipse e medio sustulerit, sequitur sane, gentes eadem fide atque religione Deo placere posse, qua Abrahamus Deo olim placuit. ἵνα τὴν — πίστεως) *Ut promissum spiritum acciperemus per fidem* (doctrinae Christi habitam). Illud ἐν σοὶ v. 8. explicatur his verbis. Omnibus nempe nationibus felicitas contingere debet per Abrahamum. Ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος pro τὸ πνεῦμα ἐπηγγελμένον, *dona spiritus sancti*, omnibus Christianis communia. Πίστις, assensus doctrinae christianae praestitus commendatur loco legis; ut postea v. 25. Nam Christi doctrina sola spirituales motus, ζωὴν et πνεῦμα homini impertit.

15. Iam Paulus occurrit obiectioni: talia quidem de Abrahamo valere; sed successisse publicam legislationem, quae omnino praeferenda sit, et respondet, per serius datam legem Mosaicam non tolli, sed firmam ratamque manere promissionem Abrahamo factam. κατὰ ἄνθρωπον λέγω) *Exemplo e vita communi desumto utar* ad hanc rem illustrandam. Sic *Philo* de Somn. καὶ τί δεῖ τ' ἀνθρώπινα λέγεσθαι; *quid attinet exemplis uti e vita humana petitis?* Cf. etiam dicta ad Rom. VI, 19. ὅμως — ἐπιδιατάσσεται) *Dispositionem* quamvis *ab homine* profectam, *tamen nemo* (alius) *irritum declarat, vel aliquid ei contrarium instituit.* ὅμως, nude positum, significat *tamen*, et h. l. construendum est cum ἀθετεῖ, quae vocis ὅμως traiectio saepissime obvia est apud Graecos. Διαθήκη, בְּרִית, est vocabulum origine sua foederibus potissimum ex-

primendis proprium. Quum autem in quovis pacto duo sint attendenda *promissio*, et *lex*, sive conditio, sub qua aliquid promittitur, hinc mox de *promissione* tantum, mox de *legibus* est interpretandum. Haud raro denotat *religionem*, quia in religione duo praecipue sunt consideranda, promissio divina et obsequium ex parte hominum divinis mandatis praestandum. Cf. diss. nostram *de vocabuli διαθήκη in libris N. T. vario usu*, a. 1778. scriptam. H. l. διαθήκη late patere videtur, quemadmodum lat. *dispositio* (cf. *Winer* ad h. l.), ita ut sit (a διατίθεσθαι): voluntas rite declarata, in tabulis perscripta *(iede menschliche Feststellung, Willensverfügung)*. Itaque complectitur etiam *testamentum* (Hebr. IX, 16. 17.), neque tamen hoc solum. Διαθήκη κεκυρωμένη, *dispositio rata, et variis caerimoniis confirmata*, nam κῦρος Graecis est, quidquid alicui rei auctoritatem addit, eamque plane certam reddit, et κυροῦσθαι saepe usurpatur de legibus, quae habentur ratae a senatu et populo. Ἀθετεῖν, *irritum declarare*. Ἐπιδιατάσσεσθαι, *rem promissioni contrariam instituere*, vel novas conditiones addere. Si pactum est legitime sancitum, non possumus novas addere conditiones.

16. Τῷ δὲ — Χριστός) *Iam vero* (a Deo mentiri nescio) *Abrahamo et proli eius datae sunt promissiones: non dicit prolibus tanquam de pluribus, sed tanquam de uno: proli tuae, qui est Christus.* „Τὸ σπέρμα h. l. non est Messias, ut plerique „opinantur, sed intelliguntur *liberi* Abrahami. In hoc „enim omnis est Pauli disputatio, ut planum faciat a „versu 6. quemadmodum propitium se Deus dixerit

„Abrahamo propter fidem, sic huius caussa pariter ean-
„dem sortem consecuturos eos, qui eius fidem imiten-
„tur. Cf. v. 7. et 8. Denique in peroratione univer-
„sae orationis, aut commemoratione eius, quod omni-
„bus e dictis a se consequeretur v. 29. clarissimis ver-
„bis enunciat, non Christum a se semen Abrahami ap-
„pellatum esse, sed qui *Christi* sint, s. Christianos esse
„τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμους.
„Vid. *Noesselti ad locum Paulli Gal. III*, 20. dispu-
„tatio, qui totum hunc locum interpretatus est. Οὐ
„λέγει — ὅς ἐστι Χριστὸς) *Non loquitur*, s. promittit
„haec (quod beata futura sit proles Abrahami,) ora-
„culum divinum *seminibus, tanquam pluralí in nu-*
„*mero* h. e. liberis Abrahami cuiuscunque generis, ut
„hoc nomen complectatur eos quoque, qui proprio
„sensu dicantur, aut origine et circumcisione sola cum
„Abrahamo coniunctos, *sed quasi in singulari: se-*
„*mini tuo*, (uni tantum horum liberorum generi,)
„*id est Christianis*, videlicet iis, qui propter fidei si-
„militudinem nomine filiorum Abrahami vere digni re-
„periantur. Sic sensum constituendum esse, recte iu-
„dicat *Noesseltus* l. c. Plerique interpretes haec, quae
„modo attulimus verba, ita plane putant de Christo
„dicta esse, ut nullus dubitationi locus relinquatur;
„nam expressis verbis dicitur de *semine*, de quo in
„praecedentibus sermo fuerat: ὅς ἐστι Χριστὸς. Sed
„quaeritur tamen, propriene sit an tropice nomen τοῦ
„Χριστοῦ h. l. intelligendum? Satis enim constat, non
„semper de Christi persona, sed de aliis etiam cum
„Christo coniunctis, veluti de doctrina et moribus
„Christi, itemque, ut *Israelis* nomen de Israelitis, sic
„*Christi* de eius discipulis, s. de Ecclesia frequenta-

„tum a Paulo esse, ut 1 Cor. XII, 12. Ac vere *Chri-*
„*stum* hic esse pro *Societate Christiania*, eandemque
„nomine *seminis Abrahami* comprehendi, Paulus ipse
„significat v. 29. Contextus et res ipsa docent, ratio-
„nem, cur Paulus hoc loco distinguat singularem nu-
„merum σπέρμα, et pluralem, σπέρματα, esse hanc:
„Duplex nempe est σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ; *unum*, quod
„complectitur liberos Abrahami *proprios*, sive eius de
„sanguine ortos; *alterum*, hos, qui *tropice*, h. e.
„propter fidei similitudinem, *liberorum* eius nomine
„ornantur, s. Christianos. Iam dicit, sibi nunc non
„esse sermonem de *duplici hoc semine*, s. de σπέρ-
„μασι in plurali, sc. de Iudaeis, qui Abrahami de stirpe
„sint, et de Christianis, qui Abrahami sint similes, si-
„mul; sed de uno tantummodo semine, hoc est de
„Christianis, inprimis illis, qui erant de gentibus. Cf.
„supra v. 6. 7. 8. et Rom. IV, 11. 12. Porro bene
„notandum est, Apostolum non velle argumentando
„colligere aliquid e locis istis, quae Abrahamo pro-
„missa continerent. Paulus enim formula: λέγει, sc.
„ἡ γραφή, alias etiam tum utitur, quum verba qui-
„dem V. Testamenti affert, sed ea ad suam sententiam
„accommodat, nec proprie vetus oraculum interpreta-
„tur, sed suam magis mentem verbis e Scriptura trans-
„latis exprimit. Simile exemplum habemus Rom. X,
„6. sq.“ Sic beatus Scholiorum Auctor de h. l. sta-
tuit. Alteram contra sententiam, τὸ σπέρμα esse Mes-
siam, haud pauci et vett. et recentt. interpp. defen-
dunt, quibus accessit etiam *Winerus*. Is, postquam
monuisset, hanc Pauli argumentationem hominum iu-
daicorum, quibuscum ageret, ingeniis magis, quam
linguae hebraicae rationibus accommodatam esse (זֶרַע

enim non est *nomen unitatis*, quod dicunt, sed significat sensu collectivo *prolem*, *sobolem* omnen, sive uno, sive pluribus hominibus constat; hino זְרָעִים Hebraeis nunquam dicitur nisi de plantis, *Saamenkörner)*, haec habet: „Verbis ὅς ἐστι Χρ. Christi personam potissimum dicit P. (ille enim unus fuit auctor τῆς πίστεως atque adeo κληρονομίας), non *ecclesiam christianam;* etenim si vel significaret ὁ Χριστὸς coetum christ. (ex allegorica disputatione 2 Cor. XII, 12. id probari nequit), tamen h. l., ubi toties Christus appellatur, valde ambiguum esset istud voc. Praeterea pl. σπέρματα, si Iudaeos Christianis oppositos indicaret, et ipse satis esset impeditus, si vero *duplex* filiorum Abr. genus, non recte haberet πολλῶν. Denique v. 19., ubi haec sententia iteratur, vix tibi licebit christ. ecclesiam intelligere, cf. v. 24."

17. Τοῦτο δὲ λέγω — οὐκ ἀκυροῖ) *Hoc autem volo: Lex, quae quadringentis demum et triginta annis post lata est, irritam reddere non potest promissionem illam a Deo datam in Christum.* De numero annorum a promissione usque ad legislationem praeterlapsorum cf. annotata ad Actor. VII, 16. Εἰς Χριστὸν, *in Christum*, auf Christus, *in Christum spectans*, tanquam qui praestiturus esset illa a Deo promissa. Respondet Paulus ad obiectionem, quae facile opponi poterat ab adversariis. Poterat nempe aliquis dicere: Deus idem, qui promissionem illam dedit, sanxit nobis legem; ergo lex etiam a novis Christianis e gentibus est servanda. Negat Paulus consequentiam; atque primum ad temporis illud intervallum attendere iubet, deinde aliis etiam utitur argumentis. εἰς τὸ κα-

καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν) *Sicque tollere promissa, semel data.* Ἐπαγγελία, *res promissa,* quae statim vocatur κληρονομία.

18. Εἰ γὰρ — ἐξ ἐπαγγελίας) *Si enim propter legem* (Mosaicam servandam) *felicitas illa contingeret nobis, iam non daretur vi promissionis.* Κληρονομία, נַחֲלָה, plerumque usurpatur de occupatione Palaestinae, et felicitate, qua Iudaei in hac terra fruebantur; deinde vero transfertur ad omnis generis felicitatem, maxime eam, quam Iudaei in regno Messiae exspectabant. Ἐκ νόμου, *propter legem Mosaicam observandam.* τῷ δὲ — ὁ θεὸς) *Quum tamen Abrahamo gratis promiserit Deus* hanc felicitatem. Nam post κεχάρισται supplendum est τὴν κληρονομίαν. Δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται, pro ἐν χάριτι ἐπήγγειλε, *gratis,* sine adiectis duris conditionibus, *promisit.*

19. Τί οὖν ὁ νόμος;) *Quo igitur consilio lata est lex Mosis?* Poterant adversarii obiicere, ex hactenus disputatis sequi, legem Mosaicam temere, nulloque usu latam esse. Ad hanc obiectionem Paulus respondet, legem utilitate quidem sua haud caruisse, sed hunc usum alio respexisse, et fuisse tantum temporarium. τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη) *Addita est delictorum gratia,* h. e. ut manifestam redderet atque ita argueret illam, quam Iudaei peccando sibi contrahebant, culpam; non eo fine, ut pacto, quod Deus cum Abrahamo inierat, aliquid contrarium institueretur, sed ut Israelitae, ad idololatriam, et omnem vitae improbitatem proni, coërcerentur. Παράβασις, ἁμαρτία, ἁμάρτημα, hebr. פֶּשַׁע. Pro προσετέθη in Codd. et

Verss. quibusdam legitur verbum simplex ἐτέθη, quod praeferendum videtur. ἄχρις — ἐπήγγελται) Tam diu duratura, *donec appareret illa Abrahami proles* (τὸ σπέρμα ἕν v. 16.), *cui data erat promissio*, in quam facta erat, quam spectabat promissio. Addit Apostolus: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων) *Lata* est, inquam, *illa lex ministerio angelorum*. Sic Iudaeis erat persuasum iam longo tempore ante Apostolos, ut patet ex versione Alexandrina Deut. XXXIII, 2. Inde haec opinio, ut nonnullis videtur, ad *Iosephum*, *Philonem*, et Scriptores talmudicos transiit. *Ioseph.* Ant. XV, 5. 3. *Carpz.* ad Hebr. II, 2. Cf. a nobis annotata ad Act. VII, 53. *Angelorum* in lege ferenda commemoratio hanc habet vim, ut intelligatur id, quod est universa oratione Pauli tractatum, parum auctoritatis habere Mosaicam legem, si comparetur cum Evangelio, quod ab ipso Dei filio hominibus propositum sit. Cf. Hebr. II, 2. seq. Nec alia de caussa addita sunt sequentia: Ἐν χειρὶ μεσίτου, *per internuntium*. Ἐν χειρὶ, בְּיַד, *per*. Μεσίτης, *internuntius*, *interpres oraculorum Dei ad populum*. Illum vero μεσίτην esse Mosen, ne dubitari quidem potest, nam hunc unum veteris Testamenti libri tradunt a Deo adhibitum, ut leges Sinaiticas referret ad populum. Quo haec pertineant, facile ex v. 15. perspicitur: *nemo alterius, vel hominis pactum, irritum declarare potest.* Cum Abrahamo locutus est Deus ipse, non usus ministerio angelorum, vel hominis cuiusdam; at vero in legislatione ministri fuerunt angeli, internuncius Moses, quibus non data erat a Deo potestas, illud pactum cum Abrahamo initum mutandi, vel addendi aliquid.

20. Perobscuri huius loci infinitae extant interpretum disputationes. Cf. *C. F. Bonitz: Plurimorum de loco Pauli Gal. III, 20. sententiae examinatae, novaque eius interpretatio tentata.* Lips. 1800. Eodem anno *C. Th. Anton* edidit *explicationem huius loci criticam, historicam et exegeticam.* Edit. 2da, 1803. reperitur in *Potti Syll.* Vol. V. p. 141. sqq. *Spicilegium observationum ad hunc locum* edidit *C. F. Bonitz*, Lips. 1802. *Noesselti* Prolus. repetita est in eius *exercitationibus ad sacrarum Scripturarum interpretationem.* Halae 1803. p. 143. sqq. Adde *C. A. G. Keilii* Progr. *proponitur exemplum iudicii de diversis singulorum S. S. locor. interpretationibus ferendi, examinandis variis interpretum de loco* Gal. III, 20. *sententiis.* Lips. 1800—13. P. I—VII. 4. repet. in *Keilii* Opuscc. ed. *Goldhorn* P. I. p. 221. sqq. Nostratium, quae post *Keilium* prolatae sunt, sententias, collegit atque diiudicavit *Winerus* in Excursu (III.) ad h. l. „Mihi quidem *Noesselti* interpretatio „loci, quem tractamus, omnibus reliquis praeferenda „esse videtur. Verborum igitur: Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς „οὐκ ἔστιν sensus est: *Ille autem* (Moses nempe) *me-* „*diator illius unius* (prolis Abrahamicae) *non est.* „Ἑνὸς nempe respicit ad τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελ- „ται v. 19., de quo dixerat v. 16. ὡς ἐφ' ἑνός. Si „enim Paulus scripsisset: ὁ δὲ μεσίτης τοῦ ἑνὸς „ἐκείνου οὐκ ἔστι, nemo dubitaret, post ἑνὸς sup- „plendum esse σπέρματος ex commate 19. Simili „modo Paulus ἑνὸς utitur Rom. V, 17. 18. Ὁ δὲ *ille* „*autem*, ὁ pro οὗτος, ut Matth. XII, 3. 11. 39. ὁ δὲ „εἶπεν, *ille autem dixit.* Dicit igitur Apostolus, mu- „nus illud Mosis, internuncii et mediatoris in legisla-

„tione, ad prolem illam unicam Abrahamicam, ᾧ ἐπήγ-
„γελται, sine adiecta legis durae conditione, haud per-
„tinuisse. Cf. Progr. nostrum Fer. Natal. Dom. 1799.
„scriptum. Istud autem ἑνὸς οὐκ ἔστιν (ut monuit
„*Noesseltus)* haud dubie est: *ad unum semen*, h. e.
„ad unum genus liberorum Abrahami, (Christianos,)
„*non pertinet Moses;* Iudaeos quidem, tanquam legi
„Mosaicae addictos, conciliavit Deo, conventaque hunc
„inter et Israelitarum populum paravit: sed quoad gen-
„tes nihil suscepit negotii, nec iis edidit legem, qua
„populi Dei dignitatem et iura consequerentur, ex quo
„fit, ut gentes, quibus tamen Abrahamo promissa pa-
„riter sunt destinata, Mosis et legis ab eo latae inter-
„ventu gratiosae esse Deo non possint. Formulae:
„οὐκ εἶναί τινος eadem est fere ratio, quae illius v. 12.
„ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, *lex non insistit fidei*,
„sed factis, fidei nullam rationem habet. Nec dubitet
„isto de sensu, qui cogitet, v. 7. 8. 9. 15. et 29. veri
„*seminis Abrahami* nomine ornari *gentes*, omnino-
„que *fide conspicuos*, uno verbo *Christianos*. In
„verbis ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν, *Noesselt* recte, ut mihi
„videtur, supplendum esse censet Θεὸς, post εἷς ἐστι,
„ut sensus sit: *Deus autem est unus* (communis om-
„nium) *Deus;* omnium est, non modo propriorum
„Abrahami liberorum, sed etiam impropriorum, non
„unius Iudaicae gentis, sed gentium omnium Deus.
„Ἑνα Θεὸν esse pro communi pluribus Deo, aeque
„constat ex similibus Pauli locis 1 Tim. II, 5. Eph.
„IV, 5. 6. ac: formulam *Deum alicuius esse*, signi-
„ficationem habere Dei, qui sit alicui propitius. Simi-
„lia dicta sunt Rom. III, 29. sq. X, 12. Sensus igi-
„tur est: Internuncius iste, Moses, unius Israeliticae

„gentis, sive eorum liberorum Abrahami causa erat „constitutus, qui proprie essent tales, s. ab eo gene„rati; propter alterum genus, h. e. gentium, s. fide „similium Abrahami nullo modo. Veruntamen Deus „horum quoque Deus est, iique sunt proprie benevo„lentiam eius consecuturi, vi promissionis Abrahami„ticae, qua Deus se edixit fortunaturum cum Abra„hamo gentes quascunque. Itaque quum his non sit „prospectum per Mosen, alia est ad salutem via, alio „opus internuncio, Christo; omninoque, quum Deus „Iudaeis et gentibus aeque propitius esse velit, si qui„dem fide studeant probari Deo: intelligitur, et carere „nos hodie legibus Mosaicis posse, et legem eam non „hactenus datam esse, ut esset verum salutis praesi„dium. Id quod latius persequitur Paulus v. 21. seq.“ Haec b. Auctor. Cuius vero explicationem nobis haud satisfacere, ingenue fatemur. Potius in *Wineri* huius vexatissimi loci interpretatione acquiescendum esse arbitramur. Quae est talis: „ὁ μεσίτης est *generatim* dictum: non potest μεσίτης cogitari aut fingi, qui sit ἑνός, unius, i. e. *unius partis*, ὁ δὲ θ. εἷς ἐστ. Deus est unus, una (altera) tantummodo pars: itaque quaenam est altera? gens israelitica. Iam si hoc est, sponte efficitur, legem mos. pertinere etiam ad Iudaeos, hosque legi isti observandae adstrictos fuisse. Puto igitur, hunc esse sententiarum nexum: non videntur verba, de quibus quaeritur, *primariam* quandam sententiam continere, h. e. talem, quae necessario pertineat ad hanc disputationem, sed obiter interposita sunt quasi in parenthesi; id patet ex ipsa, qua sententiae v. 19 — 21. inter se iunctae sunt, ratione, et bene procedit oratio, verbis illis omissis: τῶν παρ. χ. ἐτέθη, ἀχρὶς

ου ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται. ὁ οὖν νόμος κατὰ τ. ἐπαγγ. τοῦ θεοῦ; Quonam igitur consilio interposita sunt? ut P., qui verbis *παρ. χάρ. ἐτέθη* legis auctoritatem aliquantulum elevasse eiusque honori detraxisse videretur, originem eius divinam et in gente hebr. vim illustraret et denuo stabiliret. Itaque dicit hoc: lex mos. data fuit peccatorum gratia: propterea vero non est, quod quis eam tanquam ista *ἐπαγγελίᾳ* longe inferiorem contemnat: data enim et ipsa est *auctoritate divina* (*διατ. δι' ἀγγ.*) gentique hebraicae tanquam agendi norma proposita *ἐν χ. μεσ., ὃς οὐκ ἐστιν ἑνός.*" Atque in nota ad h. l.: „*Hoc*, dicat aliquis, *satis constabat inter Iudaeos!* Recte. Sed videbatur *Paulus* huic sententiae contradixisse, eius igitur fuit ostendere, *se* (quemadmodum omnes Iudaei) prorsus alienum esse ab elevanda legis mos. dignitate. Enimvero si haec non fuit Ap. mens, quo tandem consilio *νόμον* dixit *διαταγέντα δι' ἀγγ. ἐν χειρὶ μεσίτου?* quorsum hae verborum ampullae? quasi id Iudaei ignorassent! Ceterum non video, cur *δὲ* in v. 20. principio non possit vim epexegeticam habere. *Caussam* vero additorum istorum verborum quaeras mecum in nom. *μεσίτου*, quod sua sponte ducebat ad istam sententiam."

21. *Ὁ οὖν — θεοῦ; μὴ γένοιτο*) Est conclusio ex hactenus disputatis. Ex his omnibus, inquit, facile perspicitis lege Mosaica non tolli promissionem, gratis, sine adiecta conditione factam. Nunc suam thesin aliis etiam rationibus confirmat, et ex ipsa legis indole demonstrat, ex eius observatione non dari felicitatem. *εἰ γὰρ — ἡ δικαιοσύνη*) *Si quidem lex data fuisset, quae potuisset vitam donare, tum utique dici posset,*

propter servatam legem nobis contingere favorem Dei. Ζωοποιεῖν h. l. est *felicem reddere, salutem afferre;* non potest liberare plane ab omni metu et dubitatione, ac penitus tranquillare. Nam lex Mosaica terret, minatur poenas, 2 Cor. III, 6. Rom. VII, 10. Inde sequitur vi oppositi *legem vivificantem* esse debere legem, quae efficit tranquillitatem, fiduciam, reddit felicem. Ὄντως ἄν, *tum utique aliquo modo dici posset.* Ἐκ νόμου ἦν ἡ δικαιοσύνη, pro δικαιούμεθα ἐκ νόμου, sc. παρὰ τῷ θεῷ. Ratio, cur legis Mosaicae observatio nos non potest gratos reddere Deo, est haec, quia non potest nos reddere felices. Ergo non erat caussa, cur etiam alii homines, non Iudaei, adigerentur ad subeundam legem eam, quae tantum publicorum flagitiorum coërcendorum caussa (v. 19.) data fuit.

22. Ἀλλὰ συνέκλεισεν — ἁμαρτίαν) *Sed scriptura omnes omnino homines declarat peccatores.* Ἡ γραφή, *libri Iudaeorum sacri.* Τὰ πάντα, i. e. πάντας ἀνθρώπους, Rom. XI, 32. Συγκλείειν τινὰ ὑπό τι, *subiicere, tradere aliquem alicui rei,* ut statim v. 23., hebr. חָסַגִיר cum ב et ל constructum. Facile autem intelligitur, hoc *logice,* declarative explicandum esse. Tota Scriptura V. T. *docet, asserit,* homines per omne illud tempus, ante Christum, esse sub dominio peccatorum et vitiorum; hoc demonstrant ipsa sacrificia; hoc confirmant prophetae etc. Graeci veteres explicant συνέκλεισεν per ἤλεγξε, διήλεγξε, *coarguit homines peccatores,* Rom. III, 9. Illustratur igitur phrasis v. 19. παραβάσεων χάριν. ἵνα ἡ ἐπαγγελία — τοῖς πιστεύουσι) *Ut felicitas promissa intel-*

ligeretur dari per doctrinam Iesu Christi credentibus. Ἵνα δοθῇ, logice: *ut intelligamus, perspiciamus.* Ἡ ἐπαγγελία, *felicitas promissa*, v. 14. Πίστις I. X. *doctrina Christi;* nam clarissima est oppositio ἐκ νόμου, ἐκ πίστεως. Sic πίστις statim v. 23.

23. Πρὸ τοῦ — πίστιν) *Antequam vero innotuit doctrina christiana.* Sicut νόμος est universa oeconomia Mosaica, ἡ πίστις est universa religio christiana. Ἔρχεται πίστις, i. e. incipit religio, innotescit hominibus et propagatur. Hanc πίστιν Paulus in locum Mosaicae legis successisse dicit. Antequam igitur innotesceret haec religio Christiana, ὑπὸ νόμον — ἀποκαλυφθῆναι) *Sub lege, ut sub custode eramus, usque ad tempus, quo haec religio christiana debebat patefieri*, innotescere hominibus. Φρουρεῖσθαι, *custodiri*, sub custode esse. Custos autem est paedagogus, puero praefectus. Sensus igitur est: *Obstricti fuimus legi Mosaicae;* nam qui est sub custode, is parere debet huic custodi. Συγκεκλεισμένοι, non aliud est quam Φρουρεῖσθαι. Inclusi non habent libertatem. Ergo parendum est. *Winer:* „*legi obstricti* (in severam legis disciplinam, quae ne in omnem libidinem effunderemur cavit, traditi) *custodiebamur, asservabamur in fidem*, s. *fidei, quae ventura esset.*“ Εἰς τ. μέλλουσαν π. απ. pro: εἰς τὸ μέλλειν ἀποκαλυφθῆναι τὴν πίστιν. Per id tempus, inquit, antequam melior Christi doctrina innotesceret, nos Iudaeos utique oportuit saltim hoc legis adiumento uti. Ergo lex valere debuit, usque dum venisset Messias, v. 19.

24. Ὥστε ὁ νόμος — δικαιωθῶμεν) *Itaque lex paedagogi instar fuit nobis* (Iudaeis), *usque ad Christum, ut sic per fidem consequeremur favorem Dei.* Παιδαγωγὸς, is, cuius curae et disciplinae filius a patre traditur, qui plerumque inter Graecos et Romanos conditione erat servili. Sunt ut hominum, ita et populorum aetates. Aetas Israëlitici populi sub lege erat quasi pueritia, infra IV, 1., cui solet addi morum moderator et custos, qui eam a gravioribus delictis retrahat. Hoc officium lex illa populo praestitit, quod ni fuisset, prolapsi fuissent ad tantam impietatem, per quam obsurduissent ad vocem Evangelii. Εἰς Χριστὸν, usque ad hoc tempus, quo Christus venit, melioris religionis auctor, vel potius: *antequam* fides introduceretur, h. e. christiana doctrina, aut si mavis, priusquam essent Christiani. Namque haec: ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν, et alter loquendi modus, v. 23.: πρὸ τοῦ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, vel quod est v. 25.: ἐλθούσης τῆς πίστεως, οὐκ ἔτι ὑπὸ παιδαγωγὸν ἐσμὲν, prorsus sunt paria. Lex autem non dicitur παιδαγωγὸς hactenus, ut quasi nos manu ducat ad Christum, impellatque, ut poenarum atrocitate perterriti ad eum confugiamus; sed sensus est: Antequam fides, doctrina christiana introduceretur, continebamur legis Mosaicae *disciplina* et quasi principatu.

25. Ἐλθούσης — ἐσμεν) *Sed quum nunc coeperit Christianismus, non opus est nobis amplius paedagogo.* Alia aetas alios mores postulat.

26. Πάντες — Ἰησοῦ) *Vos enim, qui in Christum credidistis* (Christi religionem suscepistis), *filii Dei*

estis adulti; quales qui sunt, incipiunt bonis paternis frui. Non amplius igitur rigorosae legis disciplinae subiecti estis. Ad Deum, tanquam filii ad patrem admissi, non amplius, intercedente paedagogi disciplina, ab eo estis seiuncti. Tales autem filii eam adepti sunt animi firmitatem, qua sponte faciant honesta, Rom. VIII, 14. Πάντες, *omnes*, sine discrimine nationis, conditionis et sexus. Ethnici idem sperare possunt quod Iudaei. Dicuntur quidem et Israelitae sub lege filii Dei, Deut. XIV, 1., sed tanquam pueri, qui nihil differunt a servis.

27. Ὅσοι — ἐνεδύσασθε) *Quotquot enim baptismate suscepto doctrinam Christi profitemini, beneficiorum Christi estis participes*, Βαπτίζεσθαι εἰς Χριστὸν, est: *Christo obstringi baptismate*, et ideo nominatim ei obstringi, ut eius doctrinam de religione teneas. Non de infantibus, sed de adultis h. l. esse sermonem, facile patet. Nempe βαπτίζεσθαι εἰς Χριστὸν nihil aliud est, nisi suscipere religionem christianam, et solemni ritu se associare ad Christi sectatores. Hoc qui facit, *Christum induit*, coniungitur cum Christo, adipiscitur iura et commoda Christi sectatoribus propria. Ἐνδύεσθαι Χριστὸν, quod Rom. XIII, 15. alio sensu occurrit, h. l. referendum videtur ad ius filiorum, quo cum Christo fruuntur omnes eius sectatores, sive Iudaei sint, sive gentiles. Hoc ius filiorum Dei, inquit, adepti estis per Christum, sine lege.

28. Οὐκ ἔνι — Ἕλλην) *Non est amplius Iudaeus aut Graecus*, i. e. illud discrimen inter Iudaeos et gentes in hoc negotio non attenditur. Ἔνι pro ἔνεστι.

Ἕλλην, pro ἐθνικὸς simpliciter, nempe quia graece loquentes erant, ad quos scribebat Apostolus. οὐκ ἔνι δοῦλος — θῆλυ) *Non est servus aut ingenuus, non est mas aut femina.* Summa rei est, omnes homines, cuiuscunque sint generis et dignitatis et sexus, pari iure frui, quod ad religionis beneficia attinet. Hoc exprimit partiendo, i. e. nonnullis generibus, in quae solebant homines omni tempore dispesci, sigillatim enumeratis. πάντες — Ἰησοῦ) *Omnes enim vos in unum* quasi *coaluistis*, atque adeo omnes eodem iure fruimini, eodem gratia apud Deum utimini, eorundemque beneficiorum participes estis per Iesum Christum.

29. Εἰ δὲ — σπέρμα ἐστὲ) *Quodsi Christi estis cultores* et beneficiorum eius participes, *etiam ius posterorum Abrahami nacti estis*, tractamini (tanquam πιστεύοντες v. 7.) uti proles Abrahami. καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι) *Et vi promissionis divinae haeredes* s. possessores, sc. felicitatis Abrahamo promissae, participes beneficiorum, quae Deus gentibus promiserat, *vi promissionis:* ὅτι ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη, supra v. 8.

CAP. IV.

1. Λέγω δὲ) Bene observat *Winerus*, nexa haec esse a voc. κληρον. III, 29.; neque iam de lege mosaica, quippe in perpetuum haud valitura, sed de eorum, qui nunc κληρονόμοι atque adeo υἱοὶ τοῦ θεοῦ sunt, pristina conditone disputare Paulum. ἐφ' ὅσον — κύριος πάντων ὤν) *Quamdiu filius est puer (nondum adultus) ni-*

hil differt a servo, quamvis omnia patris bona etiam ad eum tanquam herum pertineant. Κληρονόμος, futurus *haeres.* Νήπιος, *puer nondum adultus*, impubes, v. 2. 4. Οὐδὲν διαφέρει δούλου, non magis sui arbitrii est, quam servus. Κύριος πάντων, *possessor omnium*, quippe futurus haeres.

2. Ἀλλὰ — τοῦ πατρὸς) *Sub praefectis potius est et curatoribus, usque ad tempus a patre constitutum.* Ἐπίτροπος, *praefectus quisque*, h. l. idem qui παιδαγωγός. Οἰκονόμοι, servi senes, quibus non tantum filiorum disciplina, sed et rei familiaris cura credita erat ab hero. Προθεσμία, sc. ἡμέρα, Hesych. καιρὸς, ὅρισμα, *tempus constitutum.* Poterat pater tempus aliquod definire, ultra quod administratio procuratoris non debebat extendi; poterat etiam per pubertatem ipsam, aliisque legibus hoc tempus definiri.

3. Οὕτω καὶ — δεδουλωμένοι) *Ita et nos, quum adhuc essemus pueri nondum adulti, puerili cuidam disciplinae eramus subiecti.* Ἡμεῖς, non solum ad Iudaeos referendum est, sed etiam ad Christanos e paganis ortos, vid. v. 8. Loquitur enim Paulus de disciplina sacra, qualis et apud Iudaeos et apud paganos (quos utrosque complectitur voc. κόσμου) fuit ante Christum, tironibus accommodata, imperfecta, rudis, cf. v. 9. Ὅτε ἦμεν νήπιοι, *quum essemus impuberis aetatis*, i. e. nondum liberi, nondum nostri iuris, nostrique arbitrii. Nempe Iudaeis (ut *Morus* explicat,) omnia officia, quum ad religionis exercitium, tum ad vitam communem pertinentia, minutatim erant praescripta, *(pünktlich bestimmt und vorgezeichnet;)* e.

g. sic facies sacra, hoc die, mane, vesperi, sacra eucharistica, piacularia etc.; hoc edas, illud non; ubi hoc attigisti, pollues te; in agris tuis ne spargas promiscue varii generis semina; quod profecto non erat, liberum suique iuris esse. Caussae sunt in illorum temporum ante Messiam conditione, quibus omnes nationes praeter Iudaeos fuerunt non tantum idololatrae, sed etiam vitiis deditae, barbarae, cultusque expertes. Hanc ob caussam visum est Deo Iudaicam nationem adstringere minutatim designatis officiis, neque permittere suo arbitrio et iuri, ne et ipsi idololatria, vitiositate et barbarie, quae tum fuit, polluerentur. Στοιχεῖα dicuntur in quaque arte eius rudimenta; elementa prima vocari solent. Sic etiam in religionis institutione sunt quaedam rudimenta, puerili aetati accommodata. Στοιχεῖα τοῦ κόσμου, quae Iudaeis cum mundo, i. e. gentibus aliis, erant communia, ut sunt templa, arae, victimae, libationes, festa etc. Haec et similia imposita erant Israelitis in hoc, ne talium amore ad idola dilaberentur. Cf. etiam v. 9. 10., ubi exemplis illustratur, quid sint elementa religionis. Ἦμεν δεδουλωμένοι, quod supra III. 23. ἐφρουρούμεθα, συγκεκλεισμένοι. Non usi fuimus nostra libertate, sed coacti fuimus elementa discere.

4. Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου) *Postquam vero elapsum erat illud tempus,* quod Deus nostrae quasi pueritiae praescripserat. Quum illa προθεσμία v. 2. expleta esset. Πλήρωμα τοῦ χρόνου, et πληροῦσθαι de extremo temporis, quod praefinitum erat, spatio, seu de tempore constituto est intelligendum. ἐξαπέστειλεν —ὑπὸ νόμον) *Misit Deus filium suum, natum a mu-*

liere legique et ipsum subiectum. γίνεσθαι, *existere* h. e. nasci, Rom. I, 3. Γενόμενον ἐκ γυναικὸς exprimit natales Iesu (quoad matrem) ceteris hominibus communes, pro γενόμενον ἄνθρωπον. γενόμενον ὑπὸ νόμον) *subiectus legi* (Luther: *unter das Gesetz gethan).* Sensus est: Christus sorte, quae ab humana nihil discreparet, usus est, humanam naturam totam induit (Phil. II, 7.); aliter enim non potuit, ut fert Apostolorum opinio, homines a legis servitio redimere (Rom. VIII, 3. Hebr. II, 14. 17.). Cf. *Winer* ad h. l. et in Excursu I.

5. Ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ) *Ut legi subditos* (Iudaeos) *liberaret*, nempe a iugo illo rituum. Itaque nihil agebant, qui ad exemplum Iesu provocabant, qui et ipse fuerit circumcisus, vixeritque legi Mosaicae obnoxius. Concedit hoc Paulus, sed eo consilio id factum esse docet, ut doctrina sua et mortis prepessione tolleret legis auctoritatem. Ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν) *Ut plenum ius filiorum nancisceremur.* Filii tum demum υἱοθεσίαν nanciscuntur, quum eos ad adultam aetatem provectos, a paedagogi disciplina pater exemit. Hoc ad Iudaeos et gentiles pariter pertinet. Iam, sublata legis auctoritate, novus status *filiorum* locum habet; nam Christus est filiorum Dei primus, et Christiani dicuntur eius fratres, qui plena iura liberorum nacti beneficiis promissis fruuntur, et suo arbitratu res quasdam agunt, nempe manente in Patrem obsequio, sed sine specialibus praescriptis.

6. Ὅτι δὲ — καρδίας ὑμῶν) *Quia vero filii estis*, et iure filiorum vos uti decet, *dedit vobis Deus spi-*

ritum eundem, qui erat in filio suo optimo et unice dilecto. Provocat ad ipsum sensum Galatarum; nam illa melior mentis indoles et spiritualis perfectio, quam sentiebant, eximium erat argumentum divini in eos favoris. Sic fruebantur iam iure filiorum. Πνεῦμα τοῦ υἱοῦ non est is, qui mittitur a Christo, sed *qui erat, vim exserebat in ipso, qualem habuit filius Dei erga patrem;* nam ille sponte, grata mente, summa fiducia semper ad Deum precatus est. cf. 2 Reg. II, 15. κράζον, ἀββᾶ ὁ πατήρ) *Quo laetissima cum fiducia Deum compellatis Abba, patrem.* Κράζον, i. e. clamare nos faciens. Hebraismus. Inest vero in hac voce notio *confidentiae* et παῤῥησίας. Ἀββᾶ, Syr. אבא. Cf. Rom. VIII, 15.

7. Ὥστε—υἱὸς) Tu Galata, et quisquis es Christianus. Non amplius servus, iugo Mosaicae legis subiectus, esse debes; sed filium te scito. εἰ δὲ—διὰ Χριστοῦ) *Si autem es filius* Dei, quod ex nova mentis indole, et in Deum fiducia, tuto colligere potes, *es etiam propter Christum haeres,* et particeps bonorum, quae Deus promiserat. Continetur hoc v. conclusio, cf. v. 1.

8. Ἀλλὰ τότε—οὖσι θεοῖς) *Sed tum quidem, ignorantes Deum* verum, *coluistis metu servili idola.* Τότε, *tum,* quum essetis ὑπὸ τὰ στοιχ. τ. κόσμου δεδουλ. v. 3.; quum Iudaei cuidam disciplinae essent subiecti, vos ne quidem notitiam habuistis veri Dei. Designat omne id tempus quod ante Galatarum vocationem ad Christianismum exierat. Τοῖς φύσει μὴ οὖσι θεοῖς, *qui reipsa non erant Dii,* τοῖς λεγομένοις θεοῖς, 1 Cor. VIII, 5. Transit oratio a Iudaeis ad Paganos,

nam coetus Christianorum illis temporibus mixti erant partim ex Iudaeis, partim ex gentilibus. Non obstat illud τότε, et ἄνωθεν, *denuo*, et *reverti* ad pristinam conditionem s. τὰ στοιχεῖα, v. 9. ut *Noesselt* putat (fasc. II, p. 216.); nam etiam Pagani tum quum Iudaei elementis subiecti essent, similibus elementis (s acrificiis, lotionibus aliisque ritibus) erant adstricti. Nunc autem revertebantur ad τὰ στοιχεῖα, non quidem Paganorum, sed tamen Iudaeorum.

9. Μᾶλλον δὲ, γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ *Immo ut verius dicam, cogniti estis a Deo*, ad doctrinam christ. quippe adducti, seu: *agniti estis a Deo*, ut qui Dei sint, scil. datis donis spiritualibus. Locus similis est 1 Cor. VIII, 3. Μᾶλλον δὲ, *immo vero, ut rectius dicam.* πῶς ἐπιστρέφετε — θέλετε;) *Qua tandem ratione iterum convertitis vos ad infirma et inutilia elementa* (Iudaeorum), *quibus iterum subiecti esse vultis?* Στοιχεῖα, cf. supra v. 2. Ἀσθενὲς et πτωχόν h. l. nihil differunt; nam utrumque significat τὸ ἀνωφελὲς, *parum utile.* Πτωχὸν, hebr. עֲנִי *miseria quaevis.* Sic autem Paulus illos ritus vocat ideo, quod parum facerent ad emendandam mentem, et gignendos sublimiores sensus de Deo et virtute. In πάλιν ἄνωθεν, alterutrum redundat, ut in omni sermone familiari. Sunt autem haec concise dicta: revertimini ad ista elementa, ut *denuo* iis subiecti sitis. Quoad externos ritus magna fuit religionis Iudaicae et gentilis similitudo. Erant igitur et Idololatris sua ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, et turpe esse dicit Apostolus si Galatae, relictis vanis caeremoniis, iam aliud iugum simile subeant.

10. Ἡμέρας — ἐνιαυτοὺς) *Dies observatis, et menses, et tempora et annos.* παρατηρεῖν, *male*, i. e. *superstitiose observare vel colere aliquid*, h. l. dignoscere dies fastos et nefastos. ἡμέραι, *dies sacri*, ut sabbata. μῆνας, novilunia. καιροὶ, *stata tempora*, ut festa azymorum, tabernaculorum, propitiationis, denique anni sabbathici. Col. II, 16. Utrum ἐνιαυτοὶ praecipue annum lubilaei, an vero annum sabbathicum septimum hic significet, non est certum. Ceterum similem dierum religionem paganis etiam fuisse, satis constat.

11. Φοβοῦμαι — εἰς ὑμᾶς) *Sollicitus sum de vobis, ne frustra tot labores impenderim vestra caussa.* Ὑμᾶς post φοβοῦμαι quoad sensum redundat. Εἰς ὑμᾶς, pro ὑπὲρ ὑμῶν.

12. Γίνεσθε — ὡς ὑμεῖς) i. e. Imitamini meam vitae externae rationem, in abiiciendis ritibus, sicut ego, omissa Iudaica omni consuetudine, vobis factus sum similis, quum vobis praedicarem Evangelium. In eundem sensum *Winerus* interpretatur: *repudiate vos quoque legem iudaicam, quemadmodum ego* (quanquam natione Iudaeus) *repudiavi atque ita quasi in paganorum partes concessi* (ζῶ ἐθνικῶς, ὡς ὑμεῖς, II, 4.). Sic iam veterum haud pauci explicarunt. Posset etiam sensus esse: Estote mihi similes, vos *amanti; nam ego sum similis vobis, me* olim *amantibus*, v. 15. Alii aliter. οὐδέν με ἠδικήσατε) *Nulla me iniuria affecistis*, cur credere debeatis, vos a me tractari durius, quam antehac. Quae dixi, ex amore nascuntur.

13. Οἴδατε δὲ — τὸ πρότερον) *Nostis potius, me inter magnas corporis afflictiones Evangelium vobis praedicasse antea.* Σάρξ pro σῶμα. Ἀσθενεία, *calamitates externae,* vel corporis valetudo, vel pericula et incommoda externa.

14. Καὶ τὸν πειρασμὸν — ἐξεπτύσατε) *Nec tamen me variis calamitatibus afflictum contemsistis et respuistis,* pro: καὶ πεπειρασμένον με ἐν πολλαῖς ἀσθενείαις τῆς σαρκὸς οὐκ ἐξουθενήσατε. Πειρασμὸς, *omnis generis calamitates,* quia his potissimum experiri atque probare hominum fidem et constantiam Deus videtur. ἀλλ' ὡς — Ἰησοῦν) i. e. summa cum reverentia atque summo honore. Neminem alium doctorem mihi praeposuistis; me unice collaudavistis, licet tenui et exili loco tum constitutum.

15. Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;) *O quam felices vos tunc praedicabatis?* nam μακαρίζειν, *beatum praedicare.* Possit etiam explicari: *Quantas laudes mihi tribuebatis?* Sed priorem expositionem praefero, quia verbis et contextui est convenientior. Vos ipsos beatos praedicavistis, talem vobis contigisse doctorem. μαρτυρῶ — ἐδώκατέ μοι) i. e. *vos omnia, etiam durissima quaevis mea caussa ferre, paratos fuisse.* Incredibili me amplexi estis amore. *Ter.* Adelph. IV, 5. 67. *Di me, pater, omnes oderint, ni magis te quam oculos nunc amo meos.* Cf. Wetsten. Εἰ δυνατὸν, i. e. si id mihi prodesse potuisset.

16. Ὥστε — ὑμῖν;) *An nunc, quia vera vobis dico, ideo putatis, me inimico in vos esse animo?*

Nisi potius est sensus: Nunc vero odio me habetis, quia vera vos doceo, quum tamen antea me tantopere amavissetis?

17. Ζηλοῦσιν — ὑμᾶς οὐ καλῶς) *Amorem vestrum captant, non honeste.* Ζηλοῦν aliquem dicitur, qui valde ab eo amari affectat, quia talis cupiditas comitem solet habere ζηλοτυπίαν. Est ergo Metonymia. Cf. 2 Cor. XI, 2. Sermo est de falsis illis doctoribus, de quibus hactenus locutus erat; quibus autem artibus illi usi fuerint, non constat. ἀλλὰ — θέλουσιν) *Sed excludere me volunt* ab amore vestro; ut nos: *Sie wollen mich ausstechen.* ἀλλὰ, *imo potius, contra* (inhonesto consilio). Pro ἡμᾶς habent ὑμᾶς Codd. plurimi et optimi, Versiones et Patres. Utraque lectio ἡμᾶς et ὑμᾶς, satis est antiqua. Si ὑμᾶς legitur, sensus haud multum diversus enascitur; *Secludere vos volunt a mea amicitia.* ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε) *Ut ipsos unice in honore habeatis*, et praeceptores audiatis. Cf. *Winer* ad h. l.

18. Καλὸν — πάντοτε) *Honestum est ambiri in re honesta semper.* Ζηλοῦσθαι alii in Passivo, alii in media significatione accipiunt. Quibus posterius placet, cohaerere putant hoc comma cum v. 15. Galatae, quum Paulus adesset, prae se ferebant ζῆλον ἐν καλῷ, τοῦ καλοῦ, laudantes et probantes Pauli doctrinam de abroganda lege Mosaica; sed post Pauli discessum desierunt ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ, amplexi potius vitiositatem Iudaizantium. Qua propter addit: καὶ μὴ — πρὸς ὑμᾶς, *neque solum dum ego inter vos versor.* Sed probabilior est *Wineri* sententia, qui haec scripsit: „Sed

quidni potius isti vocis declinatui convenienter explicemus: *se invicem ambire*, das sich gegenseitig (um einander) beeifern? At tu vide, an non passive etiam enarrari possit τὸ ζηλοῦσθαι, hoc sensu: dass sich beeifert wird im Guten, ist rühmlich (ὅτι ζηλοῦται, καλὸν ἐστί); παντ. καὶ μὴ μόν. ἐν τῷ παρ. cet. *omni tempore, non solum cum ego apud vos commoror;* praesente enim Paulo graviora erant eius rei incitamenta. Ich verwerfe nicht die Beeiferung schlechthin, sondern nur die unedle; ist sie edler Art und dauernd, so erscheint sie rühmlich."

19. Τεκνία—Χριστὸς ἐν ὑμῖν) *O filioli mei, quos iterum pario*, i. e. quantas mihi facitis molestias, vos, quos denuo edocere necesse est, *usque quo ingenuae illius doctrinae Christi vera imago in vobis restauretur!* Comparat se matri, cuius est tenerrimus in liberos affectus. *Parit*, qui edocet alios, ut discipuli fiant. Hoc tropo autem utitur Apostolus, quoniam τεκνία compellat Galatas. Χριστὸς h. l. est ingenua doctrina et religio, cuius auctor est Christus. Sic corrupti erant Galatae per Iudaizantes, ut nova institutione in religione iis opus esset, denuo formandi essent Christiani. *Christus formatur in hominibus*, si christiana doctrina informatur animis eorum. Est Latinismus, ut, philosophiam animis informare.

20. Ἤθελον—φωνήν μου) *Utinam vero apud vos esse possem, et vocem meam mutare*, i. e. severioribus uti verbis. φωνὴ, *sermo*. Quum primum ad Galatas venisset, lenitate usus fuerat, com. 13.; iam vero necessitas exigebat, ut severius cum illis ageret. Alii

phrasin explicant: *oratione erga alios alia uti*, modo asperiore, modo leniore, prout Galatas affectos reperiebat. ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν) *Incertus sum, quomodo me geram erga vos*, ut corrigamini.

21. Λέγετε — οὐκ ἀκούετε;) *Qui legibus Mosaicis subiecti esse vultis, annon legem auditis? (intelligitis)?* Ἀκούειν, *intelligere*, quo sensu hoc verbum occurrit etiam 1 Cor. XIV, 2. Νόμος duplici sensu hic sumitur; primum de *legibus Mosaicis*, deinde vero pro hebr. תּוֹרָה *de Pentateucho*; quae enim sequuntur ex Geneseos libro depromta sunt. Vid. *Koppe* Excurs. III. in hanc Epistolam. Libri sacri, inquit Paulus, vobis noti sunt. Facile igitur intelligetis, quae ex iis nunc proferam. Noluit autem nunc ex libris sacris argumenta petere, sed illustrare rem, quam tractabat, ad oblectandum, ut tarditatem excitaret.

22. Γέγραπται γὰρ — ἐλευθέρας) *Narratur* in Genesi c. XXI. Παιδίσκη, *serva*, *Sclavin*. De *Hagare* esse sermonem, satis patet. Ἐλευθέρα, *uxor*, γυνή, nempe Sara. Maluit autem dicere ἐλευθέραν, ut responderet τῷ: παιδίσκη.

23. Κατὰ σάρκα) i. e. *secundum consuetum naturae ordinem*, עַל דֶּרֶךְ בָּשָׂר. Nam Abrahamus tum, quum Ismael nasceretur, aetate adhuc florens, validusque ad procreandam sobolem erat. Διὰ τῆς ἐπαγγελίας) *Vi promissionis*, vel metonymice, per eam vim extraordinariam, quam Deus promiserat, ipsius Dei interventu, qui contra omnem parentum spem et promisit filium et dedit. Nam Abrahamus et uxor tum, quum

iis filius, Isaacus promitteretur, iam profecti aetate erant, nec amplius vim habebant procreandae sobolis

24. Ἅ τινά ἐστιν ἀλληγορούμενα) *Haec allegorice explicari*, ad sensum altiorem referri et applicari possunt. Eiusmodi allegoricae orationis usus in optimis scriptoribus et frequenter occurrit; nam inter omnes populos paullulum cultos fuerunt viri sapientes, qui in scriptoribus suae gentis celebrioribus interpretandis hanc allegoricam rationem sequerentur, eandemque etiam ad ipsas historicas narrationes accommodarent, quod patet ex Philosophorum Graecorum, Platonis, Plutarchi interpretationibus, maxime ex *Heraclidis* Allegoriis Homericis. *Hesychius:* Ἀλλεγορία, ἄλλο τι παρὰ τὸ ἀκουόμενον ὑποδεικνύουσα. Glossar. N. T. ἀλληγορούμενα, ἑτέρως κατὰ μετάφρασιν νοούμενα, καὶ οὐ κατὰ τὴν ἀνάγνωσιν. Inprimis Iudaei, in libris sacris interpretandis, inde ab antiquissimo tempore tenuerunt hanc rationem, teste *Philone* de vita Contemplat. T. II. pag. 475, 35. qui et ipse in Allegoriis II. p. 135, 29. hanc de Sara et Hagare historiam allegorice, etsi alio modo quam Paulus interpretatur. Hoc ipsum tradunt, et in suis מִדְרָשִׁים imitantur recentiores Iudaei omnes. Cf. Maimonides in More Nevochim III, cap. 43. Aben Esra ad c. I. Threnor. Ierem. etc. Paulus igitur, Iudaeus ipse, in hoc interpretandi genere exercitatus, eo tempore, quo hoc litterarum sacrarum allegorice interpretandarum studium et vulgare erat et omnibus probabatur, partim ad Iudaeos ipsos, partim Iudaicarum litterarum peritos scribens, simili locum historicum allegorice interpretandi ratione uti potuit ad rem suam, non quidem confirmandam, at confirmatam κατ' ἄνθρωπον illustrandam.

αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι) *Haec*, quae de Sara et Hagare narrantur, *accommodari egregie possunt ad duas religionis formas*, nempe ad religionem Mosaicam et novam Christianam. Αὗται vel ad παιδίσκην καὶ ἐλευθέραν, vel etiam ad διαθήκαι potest referri, sensu manente eodem. Διαθήκη h. l. est religionis forma, בְּרִית, Vid. annot. ad c. III, 15. Εἰσι, *significant*, ut LXX. interpret. Gen. XLI. 26. μία μὲν—Ἄγαρ) *Una* (oeconomia s. religionis forma) *e monte Synaitico* (oriunda) *pariens in servitutem* (servos), *quae sub Agare intelligitur*. Μία, sc. διαθήκη. Σινᾶ, mons in Arabia Petraea situs, legibusque Mosaicis in eo latis celeberrimus. Post Σινὰ supple τεθεῖσα, vel simile Particip. Εἰς δουλείαν γεννῶσα, pro μήτηρ τέκνων δούλων. Sensus est, religione Mosaica adduci Iudaeos ad obsequium servile, et iugo duro caerimoniarum subiici. Sed manet Paulus in notione *matris*, cui semel διαθήκην comparare coeperat.

25. Τὸ γὰρ—Ἀραβίᾳ) *Nam ipsa vox Hagar significat in Arabia* (i. e. lingua Arabica) *montem Sinaiticum*. Τὸ ἄγαρ, non ἡ ἄγαρ, est ipsa vox Arabica Hagar. Ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, significat in lingua Arabica, inter Arabes. Vox Arabica *Hhagar* significat *petram*, diciturque universe de montibus quibusvis saxosis; deinde vero est etiam propria pluribus locis et urbibus, velut metropoli Arabiae Petraeae *Elhhagar*; unde valde est probabile eandem vocem ad montem Arabiae altissimum, celeberrimumque, Sinaiticum nempe designandum, adhibitam fuisse, etiamsi certis argumentis pro hoc nominis usu destituamur. Confirmatur tamen haec coniectura *Haranti* auctoritate, qui in itinerario Pa-

laestinae, suo adhuc tempore hoc nomen de monte Sinaitico adhiberi solitum fuisse affirmavit, auctore *Büschingio* in descriptione Asiae p. 535. Ceterum Paulus sine dubio hoc nomen didicit, quum in Arabia degeret, c. I, 17. Cf. *Koppe* Excurs. VIII. Sunt vero haec verba parenthesi includenda; Paulus enim obiter tantum ex nomine monti Sinaitico proprio, rem hanc illustrat. Sed hic magna est lectionis varietas. Nam deest vocabulum Ἄγαρ in vers. vulgata, in codd. Graecolatinis, in permultis Patrum Latinorum, quibusdam etiam Graecorum locis. Ita relinqueretur hoc: *Sinai est mons in Arabia.* Abest vocabulum Σινᾶ in duobus codd. Graecolatinis; omittit etiam Ambrosiaster. Tum relinquitur hoc: (Vocabulum) *Agar est mons in Arabia,* s. *significat montem in Arabum lingua.* Ceterae varietates sunt quidem leves, sed incerta tamen lectio videtur; nam loci tot laborantes varietatibus, suspecti sunt de adscriptis margini glossis, quae saepe in textum irrepserunt. Quod si ita est, de definienda sententia non valde est laborandum. Cf. *Mori Acroases* in Epistolas Paulinas ad Galatas et Ephesios p. 102. s., qui etiam alios, hunc locum diiudicantes laudat. συστοιχεῖ δὲ — τέκνων αὐτῆς) *Ea vero* (Agar) *respondet urbi Hierosolymitanae, uti nunc est, quae servit cum liberis suis,* conditionis servilis est cum civibus suis. Συστοιχεῖ, iungitur commati 24. et denotat hoc verbum h. l. *similitudine coniunctum esse alteri;* nam τὰ σύστοιχα, et τὰ ὅμοια sunt Synonyma. *Polybius:* καὶ τὰ λοιπὰ ἦν τούτοις ὅμοια καὶ σύστοιχα. Ἡ νῦν Ἱερουσαλήμ, urbs Hieros., qualis nunc est. Est autem metropolis posita pro universa Iudaeorum republica, quae tempore Pauli adhuc florebat; erat enim adhuc templum Hiero-

solymitanum cum omnibus caerimoniis. Δουλεύει refert ad Ἰερουσαλήμ. Τέκνα αὐτῆς sc. τῆς Ἰερουσαλήμ, sunt *Iudaei*, cuius formulae loquendi ratio h. l. potissimum in eo est quaerenda, quod omnis superior locus *matrum*, Sarae et Hagaris imaginem iam referebat. Sensus igitur est: Hagar est similis hodiernae civitati Iudaicae; sicuti enim Hagar serva fuit, ita etiam civitas iudaica servit, subdita est legi Mosaicae.

26. Ἡ δὲ ἄνω — πάντων ἡμῶν) *Illa vero supera Hierosolyma est libera, quae quidem omnium nostrum est mater.* Quid sit *supera Hierosolyma*, quaeritur. Vox ἄνω saepe *coeli*, *rerumque coelestium* sensu accipitur, Phil. III, 14. Col. III, 1. 2. et Iudaei de *Hierosolymis supernis* multa tradere solent. Commemoratur etiam Ἰερουσαλὴμ ἐπουράνιος Hebr. XII, 22. Sed h. l. ἡ ἄνω Ἰερουσ. videtur esse *nova religionis oeconomia*, *ecclesia christiana*. Iudaei enim felicitatem, in regno Messiae exspectandam, describere solebant imaginibus, a florentissimo reipublicae iudaicae statu desumtis, ut fere urbem similem Hierosolymae, templum splendissimum etc. sperasse videantur, ut patet ex locis doctorum Iudaicorum a Wetstenio ad h. l. allatis. Sunt etiam aliae caussae, cur haec significatio sit praeferenda. Nam *primum* Hierosolyma supera opponitur Mosaicae oeconomiae; deinde de Hierosolyma supera dicitur, eam esse liberam, et hoc modo distinctam a lege Mosaica, qui character unice convenit oeconomiae novi Testamenti; *tertia* caussa inest in eo, quod nos omnes dicimur τέκνα h. e. *cives*, membra Hierosolymae liberae, et quidem, quia id sit in Iesaiae loco (v. 27.) praedictum. Vid. *Morus* l. c. p. 98. sqq.

27. Γέγραπται — τὸν ἄνδρα) *Scriptum est enim: laetare, quae sterilis fueras, nec pariebas; erumpe in hilaritatem, et clama, quae antea non parturiebas; plures enim erunt liberi huius tam diu sine marito viventis, quam eius, quae habet iam a longo tempore maritum.* Hoc dicto Iesaiae c. LIV, 1. Paulus utitur tantum hactenus, ut ea, quae modo de Hierosolyma Christianorum matre dixerat, aliquo modo illustraret, quod eo aptius fieri poterat, quod eadem matris foecundae imagine Propheta hanc novi regni felicitatem expresserat. Non est in singulis argutandum; nam descriptio est poëtica, felicitatem regni Messiae imagine matris olim *sterilis*, nunc *foecundae* exprimens, et summa rei huc redit, magnum fore numerum civium illius regni Messiani, et multo maiorem, quam fuit antea. Στεῖρα, ἡ οὐ τίκτουσα, sunt Synonyma, ex more Poetarum veterum rem unam variis modis et formulis exprimendi. Ῥῆξον, aut supple: *τὴν φωνήν*, aut *εὐφροσύνην*, ut Ies. XLIX, 13. LII, 9. Cf. *Loesnerum* ad nostrum locum. Βόησον צַהֲלִי Synon. *τοῦ ῥῆξον*, similiter ad cantum laetabundum est referendum. Ἔρημον, שׁוֹמֵמָה, *desolata*, i. e. *a marito contemta*, utpote sterilis. Ἡ ἔχουσα τὸν ἄνδρα, בְּעוּלַת, *amata a marito* a בַּעַל *dominari*, quod de *consuetudine coniugali* Deut. XXIV, 1. et aliis locis usurpatur. Πολλὰ μᾶλλον, pro *πλείονα* רַבִּים, cum מ. Descriptionem esse poëticam, iam monui.

28. Ἡμεῖς — τέκνα ἐσμέν) *Nos vero, fratres, Isaaci instar, vi promissionis divinae ius filiorum nacti sumus.* Κατὰ Ισαάκ, *instar Isaaci.* Cf. *Kypke*

obs. ad h. l. Sicut Isaacus fuit filius promissus, ita et nos sumus filii superae Hierusalem, quos Propheta tam magnifice portendit.

29. Ἀλλ' ὥσπερ — οὕτω καὶ νῦν) *Sed quemadmodum tum temporis ordine naturae consueto natus* (Ismael) *odio et iniuriis persecutus est vi divina progenitum* (Isaacum), *ita et nunc fit;* ita nempe Iudaei ab Abrahamo naturae ordine consueto genus ducentes, ut Ismael, iniuria afficiunt et magno odio prosequuntur nos, qui Isaaci instar filii sumus promissi. Πνεῦμα hic vocatur vis illa divina, per quam Sara foecunditatem alieno tempore acceperat. Cf. 1 Cor. X, 3. Ἐδίωκε, omnis generis iniurias exprimit.

30. Ἡ γραφὴ) Gen. XXI, 10. Sunt quidem verba Sarae, sed probata Deo, v. 12. ἔκβαλε — ἐλευθέρας) Ita Iudaei, qui servili ingenio litterae legis Mosaicae inhaerent, non adipiscuntur iura filiorum Dei, sed a beneficiis Messiae excluduntur.

31. Ἄρα ἀδελφοὶ — τῆς ἐλευθέρας) i. e. Memineriminus, nos non esse ancillae liberos, i. e. obligatos ritibus Iudaicis.

CAP. V.

1. Τῇ ἐλευθερίᾳ — στήκετε) Ingentem lectionis varietatem, quae tamen sensum non mutat, vid. ap. Griesbachium. *Perseverate igitur in ea libertate, in quam*

Christus nos vindicavit. Coniungi hoc debuit cum c. IV. cum quo cohaeret. Στήκειν τινί, pro ἔν τινι, perseverare in aliqua re. καὶ μὴ — ἐνέχεσθε) *Nec patiamini vos iterum adstringi iugo servili.* Ἐνέχεσθαί τινι ex etymologia est *ab aliquo haberi, alicui adhaerere;* unde est *teneri, detineri in et ab aliqua re;* frequens apud bonos Scriptores verbum. Μὴ πάλιν, sicut antea superstitionis ethnicae vinculis eratis constricti. Iugum unum abiecistis; nolite vos submittere novo iugo.

2. Ἰδὲ ἐγὼ — ὠφελήσει) Ἰδὲ, *scitote*, הִנֵּה, particula attentionem excitantis. Ἐγὼ Παῦλος, tanquam Apostolus Christi. Nomen posuit auctoritatis et gravitatis causa, cf. Eph. III, 1. Ἐὰν περιτέμνησθε, si vos, qui Christiani estis, circumcidi vos patiamini, *Christus nihil vobis proderit*, vobis non contingent beneficia per Christum parta; qui enim circumciditur, denuo subit universam legem Mosis, itaque abest a perfectiori hac religione, cuius auctor est Christus; non est Christianus; manet in statu timoris et servitutis.

3. Μαρτύρομαι — ποιῆσαι) *Iterum contestor unicuique, qui se circumcidi patitur, eum universae legi Mosaicae obstringi.* Πάλιν μαρτύρομαι, iterum repeto quod dixi, ne putetis me temere hoc affirmasse. Παντὶ ἀνθρώπῳ, i. e. ἑκάστῳ. Περιτεμνομένῳ, qui circumcidi se patitur, huic subeunda est universa lex Iudaica; accedit ad Iudaismum, religionem vero christianam omnem abiicit.

4. Κατηργήθητε — δικαιοῦσθε) *Alieni estis a Christo, qui divinum impetrare favorem vultis legis observatione.* Καταργεῖν denotat *vim, pretium, auctoritatem rei detrahere,* deinde etiam *cessare facere;* hinc καταργεῖσθαι ἀπό τινος, *alienum esse ab aliquo,* nihil amplius rei cum eo habere. Dicit igitur Apostolus, nihil eos a Christi benignitate sperare posse, si circumcidantur. De verbo δικαιοῦσθαι saepius iam diximus. τῆς χάριτος ἐξεπέσατε) *A benignitate divina nihil vobis est expectandum,* gratia exciditis. ἐκπίπτειν, *excidere re, cadere re.* Non estis participes gratiae divinae, eius, quae propter fidem Christo habitam adeoque praeter hominis meritum salutem aeternam tribuit. Χάρις opponitur τοῖς ἔργοις, quibus promereri posse praemia divina Iudaeus arbitrabatur. Experiamini, inquit, an legibus Mosaicis servandis ipsi promereri vobis, adeoque iure vestro postulare a Deo illam felicitatem possitis.

5. Ἡμεῖς — ἀπεκδεχόμεθα) *Nos autem propter fiduciam in favore Dei collocatam, animo expectamus felicitatem quam speramus.* Ἡμεῖς, nos Christiani. Ἐλπὶς δικαιοσύνης, mera periphrasis, pro δικαιοσύνη, haec vero est felicitas, qua immunes a poenis, et participes divini favoris reddimur. Ἐκ πίστεως ad ἀπεκδεχόμεθα est referendum. Πνεῦμα aut est *animus,* aut spiritus divinus, qui spem felicitatis aeternae in Christianorum animis excitat et alit: nisi malis intelligere perfectiorem illam mentis indolem, qua Christiani gaudent, oppositam ritibus istis, qui σάρξ sunt, et παλαιότης γράμματος. *Morus* ἐν πνεύματι vertit: *per religionem internam,* quae spectat interiora, non

autem exteriora illa, circumcisionem, caerimonias, alia facta, sed quae unice spectat huc, ut intus, mente et animo colatur Deus.

6. Ἐν γὰρ—ἐνεργουμένη) *Nam ut sis Christianus, nulla habetur ratio circumcisionis aut praeputii*, sublatum est omne illud discrimen populorum, quod per legem Mosaicam sancitum est; *sed fidei, quae benevolentia in omnes homines sese exserit.* Ἐν Χριστῷ, si quis est in Christo *(in* der gläubigen Verbindung des Menschen mit Christo); in profitenda religione christiana, ut sis christianus. Πίστις, et assensus doctrinae Christi datus, et fiducia in eo collocata. Ἐνεργουμένη, Med. non Passiv. *quae operatur*, i. e. vim suam exserit. Ἀγάπη, benevolentia erga omnes homines, aliorumque commodis, quantum possumus, inserviendi studium.

7. Ἐτρέχετε — καλῶς) *In hoc quasi stadio currebatis alacriter*, sc. nuper adhuc boni eratis Christiani. Saepe vita christiana cursui comparatur, quia magna ad eam alacritate, et contentione opus est. τίς ὑμᾶς ἐνέκοψε) *Qui vos inhibuit*, retardavit, h. e. impedivit, quominus amplius verae religioni studeretis. Pro ἀνέκοψε sine dubio legendum est ἐνέκοψε, sic enim habent codices plurimi et optimi, et ex Patribus Caesarius, Damasc. Chrys. Theoph. Oecum. Accedit, quod ἐγκόπτειν verbum est Paulo familiare, 1 Thess. II, 18. Rom. XV, 22. Ἀνακόπτειν tamen pro *impedire* esse apud optimos Auctores, ostendit *Krebsius* in observ. Flav. ad h. l. Ad impediendum cursum pertinet. Verba: τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι omittunt *Chri-*

sostomus et *Tertullianus*. Codices nonnulli et Patres post πείθεσθαι addunt μηδενὶ πείθεσθε.

8. Ἡ πεισμονὴ — ὑμᾶς) *Ista (in vobis sollicitandis Iudaeorum Doctorum) sedulitas non proficiscitur a Deo.* Vocabulum πεισμονὴ aliquoties apud *Eustathium* occurrit (cf. Wetsten.), et denotat pertinaciam in persuadendo aliis, quae nobis placent. Ἡ πεισμονὴ pro αὕτη ἡ πεισμονή, potest etiam verti: *haec talis obedientia.* Sensus: *Talis obedientia,* quod non obeditis veritati, *non est a Deo.* Ὁ καλῶν, pro ὁ καλέσας, est Deus.

9. Μικρὰ — ζυμοῖ) Fermentum vocat hanc ipsam praeceptionem, circumcisione opus esse. Poterant Galatae obiicere, non esse magni momenti totam de hac re controversiam. Contra hos monet, periculum esse, ne, uno errore admisso, ingenium Iudaismi se per omnem doctrinam christianam sensim insinuet. Proverbialem esse locutionem, nemo non videt.

10. Ἐγὼ — φρονήσετε) *Ego de vobis Domino confido, vos nihil aliud esse sensuros,* quam quod hactenus vos docui, hac mea Epistola perlecta. Emollit quodammodo reprehensiones hactenus propositas, quo efficacius impelleret et moveret animos legentium. Videbat, eos non malitia, sed incogitantia quadam et metu esse lapsos. Iungenda sunt verba: πέποιθα ἐν κυρίῳ, *fiduciam pono in Deo,* cf. Phil. II, 24. ὁ δὲ ταράσσων — ὅστις ἂν ᾖ) *Sed is, qui vos turbat,* et in errores deducit, *poenas dabit, quisquis sit.* Multi fuerunt, qui perturbabant Galatas, v. 12. Hic igitur Singularis est pro Plurali, vel praecipuus et antesignanus quasi aliorum est intelligendus. Βα-

στάζειν τὸ κρίμα, poenas luere, poenas in se suscipere, i. q. λαμβάνεσθαι κρίμα, Matth. XXIII, 14. Rom. XIII, 2.

11. Ἐγὼ δὲ — διώκομαι;) *Ego vero, fratres, si,* quod multi aiunt, *commendarem circumcisionem, cur Iudaei nihilominus me persequerentur?* Fuerunt itaque, qui calumniarentur Apostolum, quasi ipse circumcisionem in aliis ecclesiis permitteret et commendaret. Hoc negat, adductis rationibus, cur id non sit credendum. ἄρα — σταυροῦ) *Imo vero tum profecto non amplius locum habere posset illa de cruce* et morte *Christi doctrina, quae tam multos offendit.* Ὁ σταυρὸς, *doctrina de cruce,* vel de Christo cruci affixo. Haec doctrina praecipue impediebat Iudaeos, quo minus religionem christianam amplecterentur, quia id ferre non poterant, ab homine, crucis supplicio mortuo, leges Mosaicas abrogatas dici.

12. Ὄφελον — ὑμᾶς) *Mutilent se etiam, qui vos turbant!* Multi interpretantur: *Utinam coetu vestro excludantur.* Cf. *Kypke* ad h. l. Alii praeferunt veterum quorundam expositionem, secundum quam ἀποκόπτειν est *amputare, resecare,* Act. XXVII, 32. ut hebr. כרת Deut. XXIII, 1. ubi LXX. habent ὁ ἀποκοπτόμενος, *de genitalium resectione.* Arrian. Epict. II, 22. unde ἀπόκοπος et εὐνοῦχος Synonyma. Hesych. Γάλλος, ὁ ἀπόκοπος, ἤτοι ὁ εὐνοῦχος. Hic sensus et contextui ipsi, quo de περιτομῇ dixerat v. 6. et affectui Apostoli contra adversarios malignos, magnopere consentire videtur. Cf. Phil. III, 2. Quandoquidem de circumcisione ita gloriantur, amputent sibi penitus virilia.

13. Ὑμεῖς — ἀδελφοί) *Vos autem, fratres, in libertatem vindicati estis.* Illi, legis Mosaicae amatores, circumcidant, imo, si velint, mutilent se; vos autem nunc ea gaudetis libertate, ut etiam sine circumcisione favore Dei frui possitis. Verbum καλεῖν hic ut alibi denotat: *ad Christi religionem, eiusque felicitatem adducere.* Ἐπ' ἐλευθερίᾳ, *hac lege,* i. e. hoc commodo vestro, *ut sitis liberi.* μόνον — σαρκί) Plena oratio esset: μόνον ὁρᾶτε, μὴ τὴν (ταύτην) ἐλευθερίαν παραλάβητε εἰς etc. *Cavete tantum ne abutamini hac libertate ad exsatiandas vitiosas cupiditates.* Ἀφορμή, Hesych. αἰτία, *occasio.* Rom. VII, 8. Multis modis libertas in occasionem vel alimentum vitiositatis mutari potest; hic autem significatur occasio rixandi et inimicitiarum exercendarum. ἀλλὰ — ἀλλήλοις) *Quin potius amore ducti alter alteri se accommodet.* Δουλεύετε ἀλλήλοις, alter alteri se subiiciat, se accommodet. Sic enim nullae erunt rixae, nullae inimicitiae.

14. Ὁ γὰρ πᾶς — ὡς ἑαυτόν) Σεαυτὸν, Codices habent plurimi et optimi, Epiph. Theodoret. Damasc. Πᾶς ὁ νόμος, tota legis summa, cui Christiani parere debent. Λόγος, דָּבָר, *praeceptum.* Πληροῦται, *tota comprehenditur,* absolvitur. Cf. Rom. XIII, 9. sqq. Matth. XXII, 37. sqq. VII, 12.

15. Εἰ δὲ ἀλλήλους — ἀναλωθῆτε) Δάκνειν h. l. est *lingua mordere, conviciis lacessere, acerbius reprehendere, salibus et dicteriis pungere;* quare δάκνειν et ἐπισκώπτειν, *mordere et scommatibus pungere* coniungit Diog. Laërt. L. IV, c. 6. §. 17. Κατεσ-

θίειν, *devorare*, graviores iniurias notat, quum alii vel in bonis, vel in corpore, damno afficiuntur. *μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε*) *ne invicem absumamini*, ne vobis invicem perniciem afferatis. Per rixas consumitur valetudo corporis, existimatio, facultates; saepe et vitae nocetur, et saluti animae.

16. Λέγω δὲ — τελέσητε) *Hoc autem volo: vitam agite praeceptis religionis christianae conformem, ita fiet, ut non agatis ea, quae cupiditatibus sensuum pravis placent.* Λέγω δὲ, *haec est mens mea*, refertur ad superiora, ubi docuerat, non esse libertatem mutandam in licentiam; s. non esse abutendum libertate. Πνεῦμα Morus interpretatur *animum humanum*, et nominatim *indolem animi humani meliorem*, effectam per doctrinam *christianam*, *eique plane congruam.* Περιπατεῖν, הִתְהַלֵּךְ, pro ζῆν, *vitam agere*, saepe iam habuimus. Τελεῖν ἐπιθυμίας, *facere quod cupiditas vult*, indulgere cupiditati.

17. Ἡ γὰρ σὰρξ — τῆς σαρκὸς) *Nam vitiosa cupiditas renititur illi meliori indoli, et melior indoles renititur vitiosae cupiditati. Winerus:* γὰρ reddit rationem eius, quod P. v. 16. monuerat: eum, qui ab ἐπιθ. τῆς σαρκὸς abstinere velit, uni πνεύματι se tradere debere, inde apparet, quod dum manet aliqua τῆς σαρκὸς vis, perpetua est πνεύματος et σαρκὸς lucta, qua fit, ut homo anceps haereat honestum inter et pravum.“ Ἐπιθυμεῖν κατά τινα, est *contraria alicui cupere*, i. e. contrarias propensiones atque inclinationes habere. Synonymum est, quod sequitur ἀντίκειται, *contraria sibi invicem sunt.* ἵνα μὴ — ποιῆτε) *Ut*,

quod agere constitueratis, perficere tamen saepius non possitis. ἵνα μὴ) Atque huius luctae hoc est consilium, *ut.* Scil., (pergit *Winer)* τὸ πν. impedit vos, quo minus perficiatis τὰ τῆς σαρκὸς (ea quae ἡ σάρξ perficere cupit), contra ἡ σάρξ adversatur vobis ubi τὰ τοῦ πνεύματος peragere studetis. Cf. Rom. VII, 18.

18. Εἰ δὲ—νόμον) *Si vero spiritu ducimini, non estis legi subiecti.* „Curate, ut solum τὸ πν. (nova illa vis a Deo concessa) vestram voluntatem regat; ita σὰρξ non habebit amplius vim, atque lucta ista sublata erit.“ *Winer.* Οὐκ ἐστὲ logice: intelligere facile potestis, vos porro illa lege posse carere. Εἰ πνεύματι ἄγεσθε, i. e. *si per indolem illam meliorem* (effectam per Christi doctrinam) *ducimini.* Ducimur autem religione christiana, si argumenta agendi ex ea petimus, si e. c. recte agimus, quia Christum imitari eique grati esse volumus. Qui sic agit, non opus habet argumentis a lege Mosaica ductis, e. g. ob auctoritatem Mosis, metu poenarum, vel singulis interdictis, quae lex Mosaica continet. Sponte enim cessabunt omnia ista prava facta, si sequare doctrinae christianae praecepta, ducique ac regi te patiare ab illa meliore indole, per religionem effecta.

19. Φανερὰ—σαρκὸς) *Bene nostis, quales sint fructus pravarum cupiditatum,* pro: Φανερὸν, ποῖά ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς. Non longa eget demonstratione, haec esse vitiose facta. Ergo non est utique urgendus catalogus legum, in quo haec omnia et singula interdicuntur; nemo enim ignorat haec esse prava. ἅ τινά ἐστι) *Velut, exempli caussa.* Apostolus enumerat quae-

dam flagitiorum genera, ut ipsi in mentem venerant, minime vero omnem de vitiis fugiendis doctrinam hic proponit; nam multa alia facinora comprehendit hac formula: καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, v. 21. ἀκαθαρσίαι, ἀσέλγειαι). Ἀκαθαρσία hic, ut Rom. I, 24. 2 Cor. XII, 21. videtur dici de libidine extra naturam. Ἀσέλγεια, omne lasciviae genus.

20. Εἰδωλολατρεία — αἱρέσεις) Cum istis vitiis cohaerebat fere inter gentes *ididolatria*, nempe *Veneris* varius cultus, Bacchi, Priapi etc. lascivae caerimoniae. Φαρμακεία, *veneficium*, magicae artis varia exercitia, sive amoris foedi conciliandi caussa, sive ex invidia et odio. Ἔχθραι, *inimicitiae*, etiamsi factis se non prodant. Ἔρεις, *contentiones*, *lites*, quae verbis et gestibus se produnt. Ζήλοι, *aemulationes improbae*. Θυμοί, *irae*, vindictae caussa, ob parvam offensionem. Διχοστασίαι, *dissidia*, sunt multorum, e. g. familiarum integrarum. Αἱρέσεις, *factiones*, *sectae*.

21. Μέθαι, κῶμοι) Cf. dicta ad Rom. XIII, 13. ἃ προλέγω — προεῖπον) *de quibus iterum praemoneo, ut alias iam feci*, quum nempe ipse apud vos essem. ὅτι οἱ — κληρονομήσουσιν) *Non esse Christianos, nec felicitatis aeternae esse participes, qui haec talia faciunt.* Βασιλεία θεοῦ, felicitas regni Messiae, et in hac et in altera vita expectanda. Ergo haec et omnia alia vitia sunt aeternum noxia. Hoc discitur ex Evangelio (προεῖπον ὑμῖν). Igitur qui habet πνεῦμα, is hoc bene novit, nec potest in illa vitia delabi. Proinde, qui meliore indole, cogitandi sentiendique ritione

christiana praeditus est, is habet *regulam* facillimam intellectu, et *motivum* gravissimum; non est necesse, ut regulam et motivum petat ex decalogo Mosaico, sive omnino e decalogo interdictorum Mosaicorum. Idem illud πνεῦμα sufficere ad omnis generis virtutes, Paulus in sequentibus monet.

22. Ὁ δὲ καρπὸς — ἐγκράτεια) Ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος, *fructus emendatae per doctrinam christianam mentis.* Ἀγάπη (supra v. 6.), qua omnes aliae virtutes, tanquam genere suo continentur. Χαρὰ, *voluptas ex aliorum felicitate percepta*, opponitur φθόνῳ. Εἰρήνη, *pacis studium*, opponitur dissidiis, pugnis etc. Μακροθυμία, *lenitas erga eos, qui ad iram nos provocant*, opp. irae. Χρηστότης, *benignitas*, itemque suavitas in convictu. Ἀγαθωσύνη, perpetua voluntas et sincerum studium benefaciendi, vitandaeque omnis offensionis. Πίστις, *fidelitas, integritas*, ex hebr. אֱמוּנָה. Πραότης, *indulgentia erga errantes et infirmos.* Ἐγκράτεια, *continentia*, temperatus usus rerum omnium, quibus sensus delectantur.

23. Κατὰ — νόμος) *Tales*, (qui his aliisque virtutibus student,) *lege non damnantur.* Est μείωσις. Tantum abest, ut iis legis Mosaicae terrores sint metuendi, ut potius Deo sint grati et accepti, licet non circumcisi, vel ut *Morus* explicat: *Talibus virtutibus lex Mosaica non est contraria, eas non prohibet.* Quum igitur lex non possit prohibere pie facta, non est urgenda necessitas assumendorum illorum praeceptorum Mosaicorum. Conferre iubet Morus locum 1 Tim. I,

7., ubi Apostolus statuit, legem non esse latam homini bono et probo, qui iam per se δίκαιος est, studetque pietati. Tali homini non quotidie decantanda sunt ista interdicta; non opus est eum assidue hortari, ne faciat furtum; neque enim facit etc.

24. Οἱ δὲ — ταῖς ἐπιθυμίαις) *Ingenui vero Christi cultores vim inferunt sensuum vitiosae voluptati cum cupiditatibus et motibus pravis.* Sequitur hinc: ergo non faciunt ἔργα τῆς σαρκὸς, ergo non semper sunt monendi. Οἱ τοῦ Χριστοῦ, sc. ὄντες. Σταυροῦν, nihil magis quam θανατοῦν. *Interficere cupiditatem*, eam exstirpare, ut esse desinat, vel potius eius vim minuere, ne in pravas actiones erumpat. Sicut homo cruci affixus sensim moritur, cum sanguine viribus ei abscedentibus, ita homo Christianus vires pravarum cupiditatum confringit. Παθήματα secundum Grotium sunt affectus τοῦ θυμοειδοῦς, et ἐπιθυμίαι, affectus τοῦ ἐπιθυμητικοῦ sive ὀρεκτικοῦ. Nempe σάρξ, *vitiositas*, se exserit per *affectus illicitos*, et per *illicitos appetitus.*

25. Εἰ ζῶμεν — στοιχῶμεν) i. e. *Si felices reddimur per Christi doctrinam, eidem convenienter vitam instituamus.* Quid sit πνεῦμα, saepius dictum est. *Vivere πνεύματι, religione beari*, plane eo sensu, quo Paulus Rom. VIII, 13. scribit: ζήσεσθε. Si per religionem beari vultis, praeceptis eius obsequi debetis. Alii ζῆν πνεύματι exponunt: *Duci sensu rerum spiritualium; indole meliori animari, von dem Geist des Christenthums belebt werden.* Tum sensus esset: Si Christianis hoc quasi proprium est, duci rerum spi-

ritualium cognitione et sensu, et moveri argumentis religionis christianae: opus sane est, ut id ostendant factis, relictis votis et studiis hominum σαρκικῶν, legisque caerimoniis, quibus gloriantur. Ceterum videtur hic esse nova pars Epistolae.

26. Μὴ γινώμεθα — φθονοῦντες) *Ne simus vanae gloriae cupidi, ita ut alii alios temere provocemus, et alii aliis invideamus.* Κενόδοξοι sunt, qui honorem venantur ex iis rebus, in quibus verus honor situs non est, ut ex opibus, eruditione, eloquentia; h. l. autem videtur referri ad iactantiam Iudaizantium, qui aliis se praeferebant. Προκαλεῖσθαι, *provocare*, dicitur de iis, qui ad certamen alios vocant; quum autem hoc plerumque cum infirmitatis vituperio sit coniunctum, translate dicitur de iis, qui vitia, infirmitatem, errores, invicem exprobrant.

CAP. VI.

1. Ἀδελφοὶ—παραπτώματι) *Fratres, etiamsi cui vitium obrepserit;* si aliquis improviso in vitium quoddam inciderit. *Winerus* vertendum existimat sic: *etiamsi (si vel) quis antea deprehensus fuerit in peccato, eum tamen* (iterum peccantem) *corrigite* etc. Προλαμβάνεσθαι est idem quod *praeoccupari*, celerrime in errorem incidire. Ἄνθρωπος, pro τὶς, hebr. אִישׁ. Παράπτωμα, idem quod ἁμάρτημα. ὑμεῖς — πραότητος) *Vos, perfectiores Christiani, corrigite talem leni animo.* Πνευματικοὶ, qui habent cognitionem, veram virtutem, perfectiores Christiani. Hi

possunt alios in viam reducere, corrigendo, admonendo. Καταρτίζειν, *reficere, instaurare*, hinc καταρτίζειν ἄνθρωπον, *hominem corrigere.* Nam qui peccat, ab animi *integritate* recedit. Est hoc exemplum universae illius propositionis c. V, 26. *ne simus vanae gloriae cupidi.* Subiungitur huius admonitionis argumentum: σκοπῶν — πειρασθῇς) *Caventes, ne vos quoque tentationi succumbatis.* Structura verborum sibi non constat; scribere voluit σκοποῦντες. Cf. *Winer* ad. h. l. Σκοπεῖν, *circumspectare*, pro *cavere.* Verbum πειράζεσθαι hic intelligendum est cum pleno effectu, i. e. ne vos aliquando alicui tentationi succumbatis.

2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε) *Infirmitates aliorum aequo ferte animo.* Τὰ βάρη, onera, hic vocantur infirmitates, quae nobis sunt graves ac molestae. καὶ οὕτως—Χριστοῦ) *Et sic obsequium praestate praecepto Christi* de amore proximi. Νόμος, pro ἐντολή, est enim tacita antithesis inter legem Mosis et doctrinam Christi. Ἀναπληροῦν, i. e. τηρεῖν, πείθεσθαι τῷ νόμῳ, nec est emphasis quaerenda in verbo ἀναπληροῦν.

3. Εἰ γὰρ — μηδὲν ὤν) i. e. *Si quis melius de se sentit, quam ex rei veritate debebat.* Arian. Epict. II, 24. δοκῶν μέν τις εἶναι, ὢν δ' οὐδείς. 1 Cor. III, 7. XIII, 2. 2 Cor. XII, 11. ἑαυτὸν φρενάπατᾷ) *Se decipit ipsum.* Qui de virtutibus suis iusto honorificentius existimat, is in turpissimo fraudis genere versatur, in συνειδήσεως suae deceptione.

4. Τὸ δὲ — ἕκαστος) *Quisque autem suum ipsius opus exploret.* Δοκιμάζειν, *inquirere, explorare.* Rom. XII, 2. 1 Cor. XI, 28. etc. Τὸ ἔργον, pro τὰ ἔργα, studia, consilia factaque omnia. Supple: et melior evadere studeat. καὶ τότε — ἕτερον) *Tunc in semetipso solo habebit veram caussam gloriandi, et non in aliena imbecilitate.* Καύχημα, *gloriatio, sive gloriationis caussa*, id, de quo gloriari posse nobis videmur. Non quaeret sibi gloriam, comparatione aliorum, qui errant, aut peccant, aut minus efficiunt; intelliget, veram sibi inesse praestantiam. *Winerus:* non tantas in se ipso reperiet laudes, quibus apud alios quoque glorietur.

5. Ἕκαστος — βαστάσει) *At unusquisque suum feret onus*, i. e. luctandum ipsi erit cum suismet ipsius infirmitatibus, nec erit, cur de suis virtutibus valde glorietur. Γάρ, *at, vero*, ut saepius. Τὸ βάρος, ut v. 2. Alii cum *Grotio* explicant: *Quisque pro delictis feret poenam:* ut βάρος sit pro משא. Non sublevabitur peiorum comparatione; ut delictorum, sic poenarum sunt gradus.

6. Κοινωνείτω — ἀγαθοῖς) *Qui in religione instituitur, docentis inopiam omni beneficiorum genere sublevet.* Κοινωνεῖν pro μεταδιδόναι. Thomas: κοινωνῶ σοι ὧν ἔχω, ἀντὶ τοῦ μεταδίδωμι. Quia vero tum Genitivum requireret, κοινωνεῖν τινι forsan h. l. est in fortunae societatem venire, i. e. *inopiam alicuius sublevare*, benefaciendo. Videntur nonnulli inter Galatas fuisse ingrati atque adeo maligni erga doctores suos, Pauli haud dubie studiosos, ita ut eorum inopiae non

tantum non succurrerent, sed eos contemnere adeo eorumque egestati insultare non vererentur; quod patet ex v. 7. 8. „Mihi videtur Apostolus, quum v. 4. 5. ea tetigisset, quae *priva* sibi quisque habere debeat, nunc ad haec descendere, quae cum aliis *communicanda* sunt, in qua opinione me confirmat *praepositum* voc. κοινωνείτω.“ *Winer.*

7. Μὴ πλανᾶσθε) i. e. *Ne decipite vosmetipsos*, quasi hoc sit leve peccatum. θεὸς οὐ μυκτηρίζεται) *Deus non sinit sibi illudi;* non cadit in Deum irrisio, h. e. non impune fert hominum peccata. Μυκτηρίζειν, Hesych. χλευνάζειν, καταγελᾶν, ἀπὸ τοῦ μύζειν τοῖς μυκτῆρσι, *naribus suspensis alterum deridere.* Ad augendam delicti vim in Deum ipsum insultare dicuntur, qui doctores divinitus ab Apostolo iis constitutos verbo aut re contemnere audeant. ὃ γὰρ— θερίσει) i. e. *Ut quisque se gesserit in hac vita, ita olim in vita altera a Deo vel praemiis vel poenis afficietur. Ut sementem feceris, ita et metes*, est proverbium frequens apud omnes gentes. Cic. de orat. II, 65. Aristot. Rhet. III, 3. Aeschylus, Euripides, aliique. *Serere* Hebraeis saepe operari; *metere*, poenam aut praemium ferre. Matth. XXV, 24. 26. 2 Cor. IX. 6. Respicit quidem Apostolus praecipue ad officia doctoribus praestanda, sed reliqua officia non excludit.

8. Ὅτι ὁ σπείρων — φθορὰν) *Qui enim facit sementem velut in agro perversitatis, is ex sua perversitate interitum metet.* Σάρξ hic ut alias saepissime est *perversitas* indolis ac vitae, et ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα, *faciens sementem velut in agro per-*

versitatis est is, qui sua studia et facta refert ullo modo ad alendam augendamque perversitatem; qui pravis cupiditatibus non obsistit sed indulget. Σπείρειν per se est, agere aliquid, cuius mercedem sis accepturus. Haec sententia: *indulgens pravis cupiditatibus miser erit*, h. l. nominatim refertur ad studia et facta hominis in opum usu et administratione. Qui nempe re familiari utitur accommodate ad perversitatem, is damnum contrahit. Ὁ δὲ σπείρων — ζωὴν αἰώνιον) *Qui autem sementem facit velut in agro melioris indolis*, i. e. qui sensus suos et facta refert ad sumendam, alendam, augendamque meliorem illam indolem, *is ex his studiis metet aeternam felicitatem.* Τὸ πνεῦμα, contrarium τῇ σάρκι, est melior sensus, e verae religionis cognitione ortus, et melior vita indidem oriunda. Hoc loco nominatim est, referre studia et facta in opum usu et administratione ad meliorem illam indolem. Ergo verba huius commatis in se quidem latius patent, et universam sententiam continent, sed transferuntur ad usum vel abusum opum. Nempe studium praestandi eius officii, quod Paulus h. l. commendat, est exemplum τῆς σπορᾶς εἰς τὸ πνεῦμα, quae prodest, et neglectus officii quod Apostolus suadet, est exemplum τῆς σπορᾶς εἰς τὴν σάρκα, quae damnum contrahit. Vid. *Morus* in dissertatt. p. 150. sq.

9. Τὸ δὲ καλὸν — ἐκλυόμενοι) *Sed in benefaciendo ne languescamus; suo enim tempore mercedem reportabimus, modo ne defatigemur.* Καλὸν ποιεῖν h. l. dicitur de specie aliqua recte agendi: *benefacere aliis*, et sic officio suo satisfacere. Ἐκκακεῖν, *languescere*, 2 Cor. IV, 16. Ἐκλύεσθαι est Synony-

mum τοῦ ἐκκακεῖν, et Participium h. l. habet vim conditionis: modo ne defatigemur. Καιρῷ ἰδίῳ, illo tempore, quod Deus praefinivit.

10. Ἄρα οὖν—πρὸς πάντας) *Itaque, quum opportunitate non destituamur, benefaciamus quibusvis hominibus*, ut proximis nostris ex Christi lege. *Dum opportunitatem habemus*, dum pauperes sunt, et nos aliquid habemus, quod largiri possimus. μάλιστα δὲ—τῆς πίστεως) *Maxime vero Christianis.* Οἰκεῖοι πίστεως, sunt πιστοί, *Christiani*, praecipue vero doctores. Οἰκεῖος saepe quemvis ullo modo alteri coniunctum significat, Herod. III, 6. 11. IV, 6. 1. Iungitur etiam nominibus abstractis casu genitivo, ut: οἰκεῖος φιλοσοφίας, γεωγραφίας, Philosophus, Geographus, *Strab.* I. p. 13. B.

11. Ἴδετε—τῇ ἐμῇ χειρὶ) *Videte, quam copiose scripserim vobis mea manu.* Πηλίκος, *quantus*, usurpatur etiam de *multitudine*, et h. l. referendum videtur ad longitudinem epistolae ipsa Pauli manu scriptae. Γράμματα, *litterarum elementa.* Τῇ ἐμῇ χειρὶ, indicat, totam epistolam contra morem Apostoli ab ipso exaratam fuisse, quum plerasque alias litteras dictaret. Vetusti interpretes, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Hieronymus*, πηλίκος intelligunt de rudi et crasso modo litterarum pingendarum, et quidem *Hieronymus*, quem recentiores nonnulli sequuntur, de hac *appendice* intelligit, quam *sua manu* adiecerit Paulus, quum maiorem Epistolae partem *dictasset* scribae. Sensus itaque esset: Iam, postquam illam maiorem partem legistis, scriptam satis venusto et eleganti

litterarum charactere, videtis etiam mea ipsius manu adiectam esse appendicem, characteribus sane multo peioribus. Sed ἔγραψα indicare videtur id quod iam scripserat, non quod scribere iam animus erat.

12. Ὅσοι θέλουσιν—περιτέμνεσθαι) *Quicunque cupiunt placere per res externas, iubent vos circumcidi.* Ὅσοι, pro οἵτινες. Σάρξ, h. l. *res externae, leves.* Εὐπροσωπεῖν, i. e. ἀρέσκειν, ab εὐπρόσωπον, *formosum,* deinde, quicquid in suo genere placet. *Volunt placere,* nempe Iudaicae religionis cultoribus, ne ab iis vexentur christianae religionis caussa. Ἀναγκάζουσιν, persuadendo, sollicitando. μόνον—διώκωνται) *Tantummodo, ne experiantur calamitates propter Christi doctrinam.* Σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, calamitates similes iis, quas Christus pertulit. Phil. III, 18. 2 Cor. I, 5. Cf. Act. XXI, 27. vel *doctrina de cruce Christi.* Haec enim docebat, oeconomiam Mosaicam esse sublatam, et propter hanc doctrinam Iudaei affligebant Christianos.

13. Οὐδὲ γὰρ — φυλάσσουσιν) Non tanto tenentur studio legis, ut omnia eius praecepta exacte observent: facile inveniunt exceptiunculas. ἵνα—καυχήσωνται) *Ut vestra infirmate possint gloriari.* Σάρξ h. l. est *animi levitas, inconstantia, imbecillitas,* qua ad suscipiendam circumcisionem omnesque ritus Mosaicos facile moveri se patiebantur Galatae. Iudaizantes gloriabantur, se eos fuisse, quibus Pauli sectatores ab ipso abalienare contigisset. Quod si retineas significationem τῆς σαρκὸς v. 12. sensus erit: *ut laudare se propterea possint, quod vos quoque,* per eos excitati, *illa externa sequamini* vel magnificiatis.

14. Ἐμοὶ δὲ — κἀγὼ τῷ κόσμῳ) *A me vero absit, ut laudem quaeram in alia re ulla, quam in adversis propter Dominum nostrum Iesum Christum suscipiendis, cuius caussa mundus mihi quasi cruci fixus est, et ego vicissim mundo.* Ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ eodem sensu quo supra v. 12., *calamitates propter Christum*, vel calamitates similes illis quas Christus perpessus est. Ὁ κοσμὸς est illa Iudaica vanitas, in qua adversarii laudem quaerebant, quam Paulus repudiare se affirmat. *Propter Christum*, inquit, *illa iudaica vanitas* cum suis commodis *mihi cruci fixa est*, non me movet vel allicit; repudio eam. Idem sensus est in verbis: κἀγὼ (sc. ἐσταύρωμαι, ἀπέθανον) τῷ κόσμῳ. Est nempe sententia una, duabus formulis quodammodo contrariis expressa. Isti doctores sequebantur cupiditates, vitae externae voluptatem etc., quae omnia contemnebantur a Paulo, quemadmodum et ipse vicissim ab hominibus illis mundanis contemnebatur. *Winerus* verba: ἐν τῷ σταυρῷ simpliciter vertit: *morte Christi cruenta* (glorior), non mea aliqua virtute (in cruce enim, inquit *Calvinus*, tota redemtio et eius partes continentur). Verba autem: κόσμος ἐσταυρ. non vult ad iudaicam gentem referri, sed sensu universali explicari: mihi (per Christum) res terrenae nullae sunt, eas equidem non curo amplius, cf. Phil. III, 8.

15. Ἐν γὰρ Χριστῷ — καινὴ κτίσις) *Nam in Christo Iesu*, ubi constituendum est quis sit Christianus, *neque circumcisionis ratio habetur, neque praeputii, sed novi hominis;* nihil refert, an sis circumcisus vel non circumsisus; an gente sis Iudaeus vel paganus, sed mutata et per religionem emendata sentiendi agen-

dique ratio spectatur. Cf. 2 Cor. V, 17. et supra c. V, 6. Ceterum Syncellus in Chron. p. 27., Photius in Amphiloch. Qu. 183. et Scholion Cod. 36. hunc locum ex libro vetere apocrypho ab Apostolo desumtum esse voluerunt; quod vix probabile est.

16. Καὶ ὅσοι — τοῦ θεοῦ) *Et omnibus, qui huic doctrinae obsequuntur, apprecor omnis generis salutem, tanquam veris Israelitis, Deo gratis.* Κανών, *regula*, et metaph. *praeceptum*, doctrina. Στοιχεῖν τῷ κανόνι, vivere secundum praeceptum vel doctrinam, ut Mich. VII, 4. ὁ βαδίζων ἐπὶ κανόνος. Hoc loco intelligitur praeceptum v. 15. propositum. Εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, hebraica bene precandi formula. Ἔλεος et χάρις simpliciter Synonyma; utroque enim vocabulo utuntur LXX. ad exprimendum חֶסֶד. Καὶ ἐπὶ etc. pro: οἵτινες εἰσὶ ὁ Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ. Καὶ explicat superiora, ut hebr. ו. Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ, veri Israelitae, qui Deo placent, opponuntur τῷ Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα.

17. Τοῦ λοιποῦ — παρεχέτω) *Posthac nemo mihi molestias creet.* Τοῦ λοιποῦ, sc. χρόνου, *postea, porro.* Κόπους alii referunt ad calumnias adversariorum, ut sensus sit: nemo me legis eversorem, Mosis hostem nominet, apud alios in invidiam adducat; alii referunt ad doctores Galatiae, rixas inter se alentes, quos Apostolus adhortetur, ut componant dissidia, ne ipsi iterum labor scribendi imponatur. ἐγὼ γὰρ — βαστάζω) i. e. iam satis molestiarum propter Christum pertuli. Στίγματα, *cicatrices, vibices;* et στίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, vulnera, qualia Iesus post crucifixio-

nem habuit. Paulus autem saepe fuerat flagellatus, et aliis miseriis affectus. Dicit igitur, se gestare in corpore suo vibices et cicatrices ex plagis illis, lapidationibus et verberibus, quorum meminit 2 Cor. XI, 22—25., et rogat, ne sibi aliae molestiae creentur.

18. Ἡ χάρις — ὑμῶν) *Beneficium domini nostri Iesu Christi*, i. e. salutifera Christi doctrina porro *in animis vestris se exserat.* μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν) *Cum mente vestra.* Πνεῦμα h. l. est idem quod νοῦς. In aliis epistolis dicit: μετὰ πάντων ὑμῶν, hic autem μετὰ πν. ὑ. ut significet, se ea praecipue precari, quae non ad corporis commoda, sed ad animi perfectionem pertinent.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Epistolam hanc a Paulo ad *Ephesios* fuisse scriptam, *Ignatius* in epistola ad Ephesios non obscure significat; nam §. 12. respicit ad c. I, 16. et §. 1. ad V, 2. *Clemens* etiam *Al.* Paed. I, 5. et Strom. IV. p. 364. edit. Sylb. et post eum *Origenes* c. Cels. p. 122. edit. Spenc. ad Ephesios scriptam affirmant. Consentiunt codices plurimi, et versiones antiquae omnes, in quibus singulis, c. I, 1. verba ἐν Ἐφέσῳ leguntur. Dubitarunt tamen multi, vel negarunt, Ephesiis scriptam esse hanc epistolam, et quidem

1) Propter locum *Tertulliani* adv. Marcionem Lib. V, c. XVII., ubi scribit: *Ecclesiae quidem veritate* (i. e. testimonio ecclesiae fide digno) *epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion ei titulum* (inscriptionem) *aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator.* Et eodem lib. c. XI.: *Praetereo hic de alia epistola* (nolo ex ea locos excitare), *quam nos ad Ephesios perscriptam habemus, haeretici autem* (Marcionitae) *ad Laodicenos.* Quum

vero caussa non commemoretur, cur, et quo iure Marcion statuerit, hanc epistolam Laodicenis scriptam esse, hoc argumentum caeterorum omnium consensui non potest opponi. Qui dubitant, vel negant, Ephesiis hanc epistolam esse ssriptam, hoc etiam argumento utuntur:

2) In codicibus nonnullis vetustis omitti verba ἐν Ἐφέσῳ. Provocare solent ad locum *Basilii M.* adv. Eunom. Lib. II, cap. 19., ubi locum Eph. I, 1. sic citat: Τοῖς ἁγίοις οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, et addit: „οἱ ὄντες sunt homines uniti cum τῷ ὄντι, *cum eo, qui est*, i. e. cum Deo. Hos appellat κατ' ἐξοχὴν τοὺς ὄντας, ut Deus dicitur κατ' ἐξοχὴν ὁ ὤν. Sic etiam qui ante nos fuerunt, tradiderunt, et nos in antiquis codicibus invenimus.“ Sed quis non videt in his merum esse lusum ingenii? Accedit quod Basilius in antecedentibus professus fuerat, se loqui de epistola ad Ephesios. Fac autem, in nonnullis codd. antiquioribus defuisse verba ἐν Ἐφέσῳ, nihil tamen nisi hoc unum inde sequitur, unum vel alterum codicem, qui haec verba omisit, a Marcionitis originem ducere potuisse.

3) Afferri solent *interna argumenta*, ob quae haec epistola non possit scripta esse Ephesiis. Nam Paulus, inquiunt, tanquam ad homines sibi fama tantum notos scripsit, c. I, 15. III, 2. 4. 21. neminem salutat nomine, nullam facit mentionem rerum apud illos gestarum; sed Ephesios optime noverat, iisque ipse erat notissimus, quia biennium integrum apud eos fuerat commoratus, et apud eosdem Ecclesiae fundamenta magno cum successu iecerat. Quanquam haec loca

commode explicari possunt, tamen hanc ob caussam varias excogitarunt hypotheses. Multi existimant probandam esse Marcionis sententiam, nimirum non Ephesiis, sed *Laodicenis* hanc Epistolam scriptam fuisse, quae sententia *I. Millio*, *C. Vitringae*, *H. Venemae*, *I. F. Burgio*, *Wetstenio*, aliisque placuit. Alii putant, Paulum Tychico, cui hanc epistolam perferendam tradiderit, dedisse scriptum exemplum, relicto v. 1. vacuo spatio, ut, si venisset Ephesum, illud spatium expleret sic: Ἐν Ἐφέσῳ, et aliter, quum venisset Laodiceam et in alias regiones. *Usserius* ad A. M. 4068., quem alii sequuntur: „notandum, inquit, in antiquis „nonnullis codicibus generatim inscriptam fuisse hanc „epistolam, ut in litterarum encyclicarum descriptione „fieri solebat, *sanctis qui sunt* — et fidelibus in Chri„sto *Iesu*, ac si Ephesum primo, ut praecipuam Asiae „metropolim, missa fuisset, transmittenda inde ad re„liquas (intersertis singularum nominibus,) eiusdem „provinciae ecclesias etc.“ Non multum diversa est eorum sententia, qui retinent quidem verba ἐν Ἐφέσῳ v. 1., existimant tamen, Epistolam non ad Ephesios solos, sed Asiae minoris ecclesias plures missam esse, nempe ad ecclesias in Ephesinae urbis vicinia conditas, cumque ecclesia Ephesina, quam Apostolus tanquam primariam et quasi matrem ceterarum in inscriptione nominaverit, coniunctas (Act. XIX.). Hanc epistolam fuisse encyclicam recentiorum interpp. plerique statuunt. Ceterum ex Pomponio Mela aliisque Geographis satis constat, urbem Ephesiorum fuisse Asiae minoris metropolin. In hac urbe tempore Apostolorum supererat templum Dianae illius, quam πολύμαστον, seu mammosam appellant, et ab altera Diana venatrice

distinguunt, cuius templi et aliarum rerum occasione non tantum metropolis ista, sed et universa minor Asia ad illud usque tempus crassae idololatriae immersa fuit. Postquam vero Paulus totum biennium hic doctrinam Christi proposuisset, fama eius per omnem Asiam spargi, et superior idololatria passim corruere coepit. Vid. Act. XIX.

Scriptam esse epistolam eo tempore, quum Paulus teneretur captivus, sine dubio Romae, ex ipso argumento patet. Proxima huic et argumento et verbis etiam, est illa ad Colossenses, eodem scripta tempore, quod etiam inde patet, quod Tychicus utramque epistolam perferendam ab Apostolo accepit Eph. VI, 21. Col. IV, 7. 8. Fuerunt autem ii, ad quos scripsit Apostolus, maximam partem Ethnici, quod omnis Epistola, maximeque Cap. II, 11. sqq. declarant; fuerunt tamen gentibus mixti Iudaei, ut in omnibus ecclesiis Asiaticis et Graecis et Romanis, quas Apostolus adiit.

Ad argumentum huius epistolae quod attinet, Paulus tribus capitibus prioribus laudat et celebrat illud beneficium divinum, quod Pagani adsciti sint ad christianae religionis societatem, et ita factus sit *unus* coetus christianus ex Iudaeis et gentilibus constans, simulque ostendit, quantum praestet religio christiana omni humana sapientia. Capitibus IV. V. VI. continentur cohortationes, quum ad pietatem in universum, tum ad singula singulorum Christianorum officia. Denique commendat constantiam in profitenda et exercenda religione.

CAP. I.

1. Διὰ θελήματος θεοῦ) Cf. 1 Cor. I, 1. 2 Cor. I, 1. τοῖς ἁγίοις — Ἐφέσῳ) Quo sensu Christiani dicantur ἅγιοι, explicavimus ad Rom. I, 7. Verba τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ genuina esse, in Prolegomenis ostendimus. Cf. etiam *Wolfium* in Curis ad h. l. καὶ πιστοῖς ἐν X. I.) *Et illis, qui in fide Christi Iesu permanent.* Πιστοὶ alias sunt simpliciter οἱ πιστεύοντες, sed h. l. videntur esse *qui fidem praestant*, in fide permanent.

3. Εὐλογητὸς ὁ θεὸς) *Laudandus est Deus*, maximae ei gratiae agendae sunt. Εὐλογεῖν hebr. בָּרַךְ hic ut saepe, *laudare* significat. ὁ εὐλογήσας — πνευματικῇ) *Qui nos affecit omnis generis beneficiis ad animum pertinentibus.* Hic εὐλογεῖν sumitur effective, *beneficiis afficere aliquem*, *et* πᾶσα εὐλογία sunt *omnis generis heneficia.* Solet Paulus haud raro eandem vocem vix ullo intervallo in sensu diverso sumere. Εὐλογία πνευματικὴ, beneficia, quae non ad hanc caducam vitam, sed ad animum immortalem spectant. Ἡμᾶς ad Apostolum, et omnes Christianos, sive sint e Iudaeis sive e gentibus, refer. *Koppius* de Paulo solo accepit. Totum vero hunc locum de omnibus Christianis intelligendum esse, recte observat *Tychsen* in Additam. (p. 315.) ad Kopp. enarrationis Vol. VI. Edit. tertiam, a se editam. Quam sententiam probant *cum* formulae v. 4. εἶναι ἡμᾶς ἁγίους et v. 5. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, quae valde incommode de singulo aliquo homine adhiberentur, quum alias ubique

ponantur de Christianis universe; *tum* Apostoli modestia, qui vix ita magnifice de se locutus fuisse putandus est; *denique* loca similia v. 19. III, 22. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις) *Coelestibus* nempe, et aeternum duraturis *bonis*. Τὰ ἐπουράνια, *coelestia*, non sunt bona, quae in coelo sunt, sed bona eximia, aeterna, et opponuntur rebus terrenis atque caducis. Alii vertunt: in *coelo*, et referunt ad ὁ εὐλογήσας. Syrus: בשמיא. Supplendum esset μέρεσι, pro ἐν οὐρανοῖς, ut v. 20. cap. II, 6. III, 10. Ἐν Χριστῷ, *per Christum*, eiusque salutarem doctrinam.

4. Καθὼς — κόσμου) *Siquidem elegit* (ad christianam religionem adducere decrevit) *nos per eum ante mundi initia*. Enumerantur illa bona spiritualia a comm. 4—14. Ἐκλέγεσθαι saepe de illo beneficio usurpatur, quo Deus decrevit certos homines adducere ad christianam religionem, sicut בָּחַר in V. T. de electione Hebraeorum ad peculiarem Deoque inprimis carum populum usurpatur. Ies. XLIV, 1. 2. Ps. CV, 6. Ἐν αὐτῷ, *propter ipsum*, sc. Christum, ut Iudaei dicuntur *electi in Abrahamo*. Bereschit R. 44, 4. ad Ies. XLIV, 1. Potest etiam explicari: *per Christum*, qui est auctor salutis nostrae aeternae. Καταβολὴ κόσμου, *mundi initia*. Matth. XIII, 35. Καταβολὴ est *initium*, *principium*, ut καταβολὴ γενέσεως ap. Philonem in Vit. Mos. p. 645. C. est *initium originis*. εἶναι ἡμᾶς — αὐτοῦ) *Eo fine*, *ut essemus probi et innocentes in conspectu eius*, i. e. sincere. Ante εἶναι supple εἰς τὸ, vel πρὸς τὸ. Ἄμωμοι, תְּמִימִים, *innocentes*, *sine vitio*, crimine vacantes, quemadmodum in vetere lege arietes et boves, qui Deo offerebantur, debebant

esse תמימים ἄμωμοι. Huc scilicet spectat et decretum vocandi, et ipsa per Evangelium vocatio, ut qui vocationi obtemperant, eximia quadam fulgeant probitate atque innocentia. Κατενώπιον αὐτοῦ, ita ut semper cogitemus, arcana mentis nostrae Deo patere. Nam animi probitas requiritur, quae Deo probatur. ἐν ἀγάπῃ) Veteres nonnulli iunxerunt haec verba sequentibus: *pro suo* in nos *amore*. Si vero iunguntur versui huic 4. sensus est, hanc vitae probitatem debere coniunctam esse cum amore erga Deum, et procedere ex animo Deum diligente, tum ob beneficia iam praestita, tum ob sperata ab ipso praemia.

5. Προορίσας — εἰς αὐτὸν) *Quum iam olim constituisset nos sibi per Christum filios facere.* Nam εἰς αὐτὸν est pro Dativo, ad modum Hebraei לוֹ. Potest etiam verti: *in honorem eius, vel ipsius* (Dei) *caussa* (cf. Rom. XI, 36. coll. Hebr. II, 10.), i. e. ut agnoscatur Dei benignitas, vis et sapientia, utque propterea colatur. *Filii Dei* autem dicuntur homines, qui singularibus beneficiis a Deo ornantur, eum imitantur, eique mentis indole et sensu similes fieri student. Sic Israel olim erat בכור בן. Προορίζειν, *decernere, olim decernere*, h. l. ut alibi significat decretum eius, quod facere Deus vult, si et homines faciant, quod debent, quanquam illa conditio non semper exprimitur, sed ex aliis locis, immo ex iis, quae eodem loco sunt cohaerentia, satis intelligitur. κατὰ — αὐτοῦ) *E libera sua et benigna voluntate.* Θέλημα τοῦ θεοῦ, *Dei consilium, decretum;* εὐδοκία ut hebraicum רָצוֹן, non tantum *voluntatem*, sed saepe etiam *benevolentiam* significat. Sed hebraico more substantivum positum est pro

adiectivo, ac proinde vertendum *pro libero et benevolo consilio suo.*

6. Εἰς ἔπαινον — αὐτοῦ) *Ut laus ei reddatur pro beneficio tam admirabili.* Δόξα τῆς χάριτος, i. e. χάρις ἔνδοξος, Hebraeorum more, *beneficium gloriosum*, i. e. summis laudibus dignum, ineffabile et admirandum. Εἰς hic non finem, saltem non primarium, sed consequens aliquid significat. Nihil aequius, quam pro tanto beneficio laudes Deo semper reddere. ἐν ᾗ — ἠγαπημένῳ) *Quo nos affecit propter dilectum* filium suum. Pro ἐν ᾗ in nonnullis codicibus et apud Chrysostomum alicubi extat ἧς, pari sensu. Hebraei, ut et Latini, interdum amant nominibus addere verba cognata. Χάρις est *beneficium*, χαριτοῦν *afficere beneficio*, respondens Hebraeo חָנַן, *misericors, benignus fuit.* Ut vero חֵן et חָנַן in V. T., ita etiam χάρις et χαριτοῦν a Paulo coniunguntur. Ergo χάριτι ἐχαρίτωσεν est: *beneficio affecit, vel ornavit.* Est autem χαριτοῦν verbum perrarum. Luc. I, 28. κεχαριτωμένη est *magno beneficio ornata, begnadigte;* nam explicationis gratia additur: Deus tibi adest et favet. Ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quum nullum unquam Deus magis quam Christum dilexerit, Matth. III, 17., nihil mirum est, si non modo per eum, sed et propter eum clementem et beneficum se ostenderit humano generi.

7. Ἐν ᾧ — παραπτωμάτων) *Cui debemus plenam nostram liberationem, effusione sanguinis ipsius* acquisitam *remissionem peccatorum.* Ἀπολύτρωσις proprie quidem est *solutio pecuniae alterius liberandi caussa;* deinde vero ex usu Graecorum hebraizantium

quaevis liberatio, quocunque illa tandem modo facta sit. Per Christum multiplex nobis contigit liberatio, nempe a malo ignorantiae, scelerum, etiam *a culpa et poena peccatorum*, ut hoc nostro loco, ἄφεσις τῶν παραπτωμάτων, ut statim additur. Αἷμα, *mors*, non quaelibet, sed cruenta. In veteri lege non obtinebatur peccatorum venia, nisi cruenta morte victimae: in novo foedere non amplius opus est victimis et expiationibus; remittit Deus peccata credentibus in Christum ideo, quia Christus id morte sua cruenta, quippe sacrificio perfectissimo, Deoque gratissimo, ab ipso nobis impetravit. κατὰ τ. πλ. τ. χαρ. αὐτοῦ) *Pro uberrima sua bonitate.* Πλοῦτος Paulo saepe *copiam*, abundantiam significat, ut Rom. II, 4. IX, 23. etc. Et hebr. more abundantia bonitatis dicitur pro bonitate abundante, *copiosa.*

8. Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς) *Quam liberalissime nobis exhibuit.* Περισσεύειν plerumque neutraliter dicitur: *abundare.* Si ita hic sumis, construendum est: ἧς ἐπερίσσευσεν (ὁ θεὸς) εἰς ἡμᾶς. Nonnunquam active sumitur hoc verbum: *largiter dare;* tum construi debet: εἰς ἡμᾶς, i. e. ἡμῖν, לנו, *quam liberalissime nobis exhibuit;* sensu eodem. ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει) *Sapientissimo consilio.* Differunt quandoque σοφία et φρόνησις, maxime in Philosophorum Scriptis; sed in familiari sermone hoc discrimen non attenditur. Iuncta vero sunt h. l. synonyma, additumque praeterea πάσῃ, ut *consilii sapientissimi magnitudo* exprimeretur. Possunt etiam haec verba ita explicari: *per omnigenam sapientiam*, ita ut ad magnam intelligentiam, ad magnam cognitionem, sc. religionis,

perveniremus. Nonnulli haec verba versui sequenti iungunt.

9. Γνωρίσας — θελήματος αὐτοῦ) *Dum aperuit nobis arcanam suam voluntatem*, s. arcanum consilium. Μυστήριον, per se est *res quaelibet arcana, hominibus antea ignota.* Rom. XI, 25. etc. Hoc loco intelligitur consilium Dei de hominum salute per Christum procuranda, quod incognitum fuit, et hominibus ex ambitu religionis naturalis innotescere non potuit, nec innotuit. Cf. Rom. XVI, 25. Col. I, 26. Γνωρίζειν, הוֹדִיעַ, i. e. ἀποκαλύπτειν. κατὰ τὴν — ἐν αὐτῷ) *Pro benigna ipsius in nos voluntate.* Προτίθεσθαί τι ἐν s. παρ. ἑαυτῷ, *constituere aliquid apud se.* Sed h. l. in his verbis nihil amplius quaerendum, nisi quod iam expressum erat pronomine αὐτοῦ.

10. Εἰς οἰκονομίαν — καιρῶν) Pro: τοῦ ποιεῖσθαι ἐν τῷ πληρώματι τῶν καιρῶν τὴν οἰκονομίαν ταύτην. *Se facturum suo* (vel definito) *tempore hanc dispositionem, dass er zulezt noch diesen Plan ausführen*, vel: *die Einrichtung machen wolle.* Οἰκονομία, *ratio modusque agendi, remque novam instituendi, Einrichtung, Anstalt.* Col. I, 25. Sic *Polybius* Histor. V, 40. II, 47. ἐπικρύπτεσθαι τὴν οἰκονομίαν, *molitionem occultare.* V, 34. ποιεῖσθαι πρόνοιαν τῆς οἰκονομίας, *curam habere, ut omnia bene constituantur et ordinentur.* Πλήρωμα τῶν καιρῶν, מְלֹאת הַיָּמִים. Dan. X, 3. i. e. *iustum, suum tempus.* ἀνακεφαλαιώσασθαι — τῆς γῆς) *Ut nempe omnes creaturae intelligentes in coelo et in terra, per Christum in unam societatem adducerentur.*

Ἀνακεφαλαιοῦσθαι et κεφαλαιοῦσθαι, (a κεφάλαιον, *caput, summa rei,*) *summatim comprehendere aliquid.* Hesychius: ἐπαναλαμβάνειν. Sensu plane eodem Xenophon et Polybius utuntur hoc verbo, ut ostendit Raphelius. Rom. XIII, 9. Sirac. XXXII, 9. Unde ἀνακεφαλαιοῦσθαι, *homines diversae conditionis in unam societatem adducere.* Cf. Col. I, 20. Τὰ ἐν οὐρανοῖς, diverse explicatur. Multi intelligunt de *daemonibus*, vel *de mortuorum hominum animabus;* alii de *Iudaeis.* Koppe, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, hebr. שָׁמַיִם וָאָרֶץ, putat esse periphrasin *universi*, ut h. l. intelligantur *omnes omnino homines, sine discrimine gentis, Iudaei et Barbari.* Ego malim cum aliis intelligere *creaturas, quae sunt in coelo, angelos*, qui vocantur familia Dei superior. Cf. infr. v. 21. III, 15. πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς. Voluit nempe Deus, ut Christus esset caput et dominus omnium angelorum et hominum piorum. Τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, homines in his terris, Iudaei et ex gentibus geniti, quotquot vocationi obtemperant, sublato odio, quod maximum fuerat. Hanc explicationem probat, et contra aliter sentientes defendit *Noesselt* in Prolus. *de una Dei in caelis terrisque familia, ad illustrandum locum Ephes. III*, 15. *et alios epistolarum Paulinarum* etc. Vid. eius *exercitatt. ad sacrar. scriptt. interpretationem.* Halae 1803. p. 186. sqq.

11. Ἐν αὐτῷ — ἐκληρώθημεν) *Per eum, inquam, per quem et nos ius felicitatis aeternae accepimus.* Κλῆρος, נַחֲלָה, *possessio*, deinde *omnis generis felicitas.* Κληροῦσθαι, *ius possessionis, felicitatem*

accipere. H. l. de spe vitae aeternae est sermo. Quae prius generaliter de Christianis dixerat Apostolus, iam distinctius in duo genera dispertit, priusque agit de se et Apostolis, et aliis qui ex Iudaeis vocati fuerant. προορισθέντες — θελήματος αὐτοῦ) *Praedestinati* sc. ad accipiendum hoc beneficium, *ex consilio eius, qui voluntate liberrima omnia perficit.* Cohaerent haec cum v. 12. Βουλὴ τοῦ θελήματος, *liberrima voluntas.* Est in his verbis descriptio Dei omnipotentis et immutabilis, qui omnia facit pro sua voluntate, nec mutat quod semel voluit.

12. Εἰς τὸ εἶναι — τῷ Χριστῷ) Nunc effectus huius rei describitur. Accepimus nempe hoc beneficium, *ut inserviremus laudi divinae, qui iam olim expectabamus Messiam.* Προελπίζειν, *sperare rem, antequam illa adsit.* Iudaei nempe iam olim expectabant Messiam. *Polybius* simili sensu verbo decomposito προκατελπίζειν utitur, Hist. II, 4. XIV, 3. Posses tamen simpliciter vertere: *qui omnem spem in Christo collocamus.* Nam προελπίζειν nihil aliud est quam *sperare;* quia omnia, quae speramus, futura sunt.

13. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς — τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ) *Per quem* (cuius beneficio) *etiam vos* (olim Ethnici), *postquam audivistis veram doctrinam, nempe Evangelium de salute vestra, eidemque fidem adhibuistis, Spiritus sancti dona promissa tanquam pignus vestrae felicitatis accepistis.* Rectus ordo fuerat: καὶ αὐτῷ πιστεύσαντες. Sed et Graeci articulum postpositivum nonnunquam ponunt pro demonstrativo. Ὁ λόγος τῆς ἀληθείας, pro λόγος ἀληθής, *doctrina vera.*

Sic vocatur Evangelium, quia nihil habet admixtum falsi, quod habent doctrinae Philosophorum. Τὸ πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας, pro πνεῦμα ἐπηγγελμένον, hebraico more, *spiritus sancti dona promissa*, ut saepius. Haec dona autem, omnibus vere Christianis communia, sunt bona scientiae religionis, verae virtutis, spei, laetitiae, concordiae et alia. Ἐσφραγίσθητε τῷ πν. τ. ἐπ. τῷ ἁγίῳ, *confirmata est vobis spes aeternae felicitatis dotibus spiritualibus, quas accepistis. Obsignatur* homo, quum ei aliquid certissime confirmatur. Christianis autem spes futurorum in coelis bonorum certissima fit, dum iam in hac vita bona spiritualia, cognitionem religionis, amorem erga alios, et multa vitae sanctioris adminicula accipiunt. Cf. notata ad 2 Cor. I, 22.

14. Ὅς ἐστιν — τῆς δόξης αὐτοῦ) *Quae* (dona) *sunt pignus felicitatis nostrae, usque ad plenam liberationem peculii* (Christianorum), *ut eius maiestatem celebremus.* De voce ἀῤῥαβὼν cf. dicta ad 2 Cor. I, 22. Verba εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ *Koppe* vertit: *liberationis* (ab omnibus malis) *quae parata nobis est ad ipsius* (Christi) *laudem et gloriam.* Sumsit nempe, εἰς ἀπολύτρωσιν esse hebraicam constructionem per ל pro: τῆς ἀπολυτρώσεως, ut ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως sit status constructus Hebraeorum, loco Participii Nomini Substantivo iuncti positus, pro: ἀπολύτρωσις περιποιηθεῖσα ἡμῖν, *quae parata nobis est*, ut v. 18. ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ pro: εἰς ἣν ἐκάλεσεν ἡμᾶς. Facilior tamen videtur esse explicatio, si dicamus, ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, *redemtionem peculii*, esse liberationem ab

hoc corpore, et omnibus vitae incommodis; discessum ex hac vita. Περιποίησις erit λαὸς εἰς περιποίησιν, (1 Pet. II, 9.) *populus acquisitus*, *peculium* Dei, Christiani. Cf. Act. XX, 28. Sensus est: *usque ad plenam liberationem Christianorum*, ab omnibus miseriis, usque ad discessum ex hac vita. Tum enim ipsam speratam felicitatem accipiemus. Εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *ut maiestatem* (benignitatem, sapientiam et misericordiam) *eius celebremus.* Saepius Apostoli dicunt, quicquid boni contingit humano generi per Christum, id vergere εἰς δόξαν πατρὸς, Phil. II, 11.

15. Διὰ τοῦτο) Quia felicitas Christianis parata est maxima. ἀκούσας — τοὺς ἁγίους) *Ex quo certior factus sum de vestra fide in Christum, et liberalitate erga omnes Christianos.* Ἡ καθ' ὑμᾶς πίστις, pro: ἡ πίστις ὑμῶν, sicut τὸ εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον pro: Ματθαίου. Πίστις ἐν τῷ κυρίῳ, pro: εἰς τὸν κύριον. Ἀγάπη, *benevolentia*, *liberalitas.* Ad hunc locum provocant, qui negant hanc epistolam scriptam esse ad Ephesios; nam Paulus *audivit* de fide et amore eorum, ad quos scripsit; sed apud Ephesios fuerat ipse. Nonne vero posthac absens audire poterat, eos *pergere* in fide et amore erga alios Christianos?

16. Οὐ παύομαι — προσευχῶν μου) *Assidue laudo Deum vestra caussa, et preces facio pro vobis.* Ὑπὲρ ὑμῶν, pro ὑμῶν ἕνεκα, *vestra caussa.* Μνείαν ποιεῖσθαι τινὸς ἐπὶ τῶν προσευχῶν, est simpliciter *precari pro aliquo.* Vel sensus est: Quum preces facio pro omnibus Christianis, in specie pro vobis etiam Deum oro.

17. Ἵνα ὁ θεὸς — ἐπιγνώσει αὐτοῦ) *Ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater omni cultu et honore dignissimus, largiatur vobis eam sapientiam, cuius auctor est spiritus sanctus, ut magis magisque eum agnoscatis.* Ὁ θεὸς τοῦ κυρίου I. X. Quemadmodum Deus dicitur Deus Abrahami, Isaaci et Iacobi, ob insignem, quo eos etiamnum complectitur, favorem, sic etiam vocatur Deus *hominis* Iesu, quia eum unice amat. Cf. etiam Io. XX, 17. 1 Cor. XI, 3. III, 23. Ὁ πατὴρ τῆς δόξης, *der preiswürdige Vater.* Πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, Spiritus qui hominibus sapientiam largitur, qui eos instruit, edocet, *intelligentiores reddit.* Itaque non cogitandae sunt revelationes κατ' ἐξοχὴν ita dictae, tanquam novae quaedam et inauditae revelationes de die in diem expectandae essent Christianis. Cf. Philip. III, 15. Nam *revelare* alicui aliquid in universum dicitur is, qui facit, ut alter sciat id, quod antea nescivit. *Spiritus* igitur revelat Christianis aliquid, quum eos edocet atque instruit. Πνεῦμα vero h. l. non est mens humana, sed spiritus divinus, cui meliorem cognitionem et bonos motus debemus. Ἐν ἐπιγνώσει pro: εἰς ἐπίγνωσιν, ut magis magisque Deum noscatis, i. e. ut uberior et illustrior reddatur vestra religionis christianae cognitio.

18. Πεφωτισμένους—τῆς καρδίας ὑμῶν) *Oculos animi vestri collustratos,* i. e. *praeclaram rerum divinarum intelligentiam, einen aufgeklärten Verstand.* Appositione explicat, qualis sit illa cognitio. Καρδίας pro διανοίας habent Codices, Versiones et Patres variarum recensionum. Ὀφθαλμοὶ τῆς καρδίας, tropus

omnium linguarum communis. Ovid. Metam. XV, 63. *Et quae natura negabat visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.* *Philo* de mundi conditura: ὅπερ ὁ ὀφθαλμὸς ἐν τῷ σώματι, τοῦτο ὁ νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ. Cf. Matth. VI, 22. Actor. XXVI, 18. Καρδία, ut hebr. לֵב est *animus.* εἰς τὸ εἰδέναι — κλήσεως αὐτοῦ) *Ut intelligatis, quanta sit felicitas, quam nobis promisit.* Τίς, pro ποταπὴ, *quam admirabilis, quanta.* Ἐλπὶς, *ipsa felicitas quam speramus.* Τῆς κλήσεως αὐτοῦ, i. e. εἰς ἣν ἐκάλεσεν ἡμᾶς, quam nobis promisit. Sed potest etiam retineri propria significatio vocabuli ἐλπὶς, *ut spes vocationis Dei* sit spes, ad quam Deus nos vocavit docendo et promittendo. Sensus: *ut sciatis, quaenam sit spes vestra, docendo promittendoque vobis facta.* καὶ τίς ὁ πλοῦτος — ἁγίοις) *Et quanta sint locupletissima illa bona Christianis parata.* Aliis verbis repetit, quod modo dixerat. Πλοῦτος, pro *maxima copia* saepius iam adfuit. Ἡ δόξα τῆς κληρονομίας, i. e. κληρονομία ἔνδοξος, bona excellentissima. Ἐν τοῖς ἁγίοις, *inter Christianos.*

19. Καὶ τί τὸ — εἰς ἡμᾶς) *Et quanta sit vis illa insignis, quam demonstravit nostri caussa.* Ὑπερβάλλειν proprie *metam superare iaciendo,* deinde simpliciter *excellere,* III, 19. 2 Cor. III, 10. Εἰς ἡμᾶς, *nostri caussa, nostro commodo.* Ἡμᾶς non ad Iudaeos tantum, sed ad omnes Christianos pertinet. τοὺς πιστεύοντας — ἰσχύος αὐτοῦ) *Qui credimus propter maximam eius potentiam.* Perinde est, sive κατὰ vertas *propter,* ut Matth. XIX, 3., sive *ex,* ut sensus sit: *quorum fides pendet ex operatione divinae po-*

tentiae, quam in resurrectione Christi cernimus, ut Act. III, 17. Luc. I, 18. Ἐνέργεια, κράτος, ἰσχὺς, sunt Synonyma, quibus exprimitur gradus divinae potentiae maximus. Ubi in Psalmis et Prophetis Deo tribuitur עֹז et גְּבוּרָה, id in Alexandrina versione exprimi solet verbis; κράτος τῆς ἰσχύος, i. e. *summa Dei potentia*. Ἐνέργεια τοῦ κράτους est *efficientia Dei potentissimi*.

20. [a]Ἣν ἐνήργησεν — ἐκ νεκρῶν) *Quam exseruit in Christo, dum suscitavit eum ex mortuis.* Ἐνεργεῖν ἐνέργειαν, *vim exserere*, ut ἀγάπην ἀγαπᾶν. *Die er an Christo bewiesen* etc. Dicuntur itaque Christiani credere propter hanc ipsam omnipotentis Dei virtutem infinitam, quae in suscitando Christo se exseruit. Nam resurrectio Christi firmissimum fidei nostrae fundamentum est. καὶ ἐκάθισεν — ἐπουρανίοις) *Et sedere iussit sibi ad dextram in coelis*, i. e. summum exercere imperium in res omnes. Καὶ ἐκάθισεν, mutata constructione pro καθίσας. Καθίζειν, transitive: *collocare:* quod ex superiori ἐγείρας et ex v. 22. ὑπέταξεν appareret. Phrasis nititur opinione ea, qua Deus ipse tanquam rex solio insidens in coelis, vulgo ab hominibus cogitatur Ps. CX, 1. 1 Cor. XV, 25. βασιλεύειν. Τὰ ἐπουράνια, *coelum ipsum*. Hoc eo valet, ut Christus nunc sit cogitandus versans in coelo, cum Deo, i. e. ultra omnes res humanas casusque et limites humanos elatus, omnibus vel summis ac celsissimis superior, beatior, nullaque re limitatus.

21. Ὑπεράνω — τῷ μέλλοντι) *Ut imperium exerceat in omnes principes, et imperantes, et potentes*

et dominos, et omnes qui in dignitate sunt constituti, non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo. Ὑπεράνω pro ὥστε βασιλεύειν αὐτὸν ὑπεράνω. Est autem ὑπεράνω pro simplici ὑπὲρ, ut infra IV, 10. Ἀρχὴ, ἐξουσία, δύναμις, κυριότης, abstracta pro concretis: ἄρχοντες, δυνατοὶ, κύριοι, sunt Synonyma, quibus indicatur, nullum potestatis genus exclusum esse ab imperio Christi, subtiliore singulorum vocabulorum discrimine prorsus neglecto. Ὄνομα, *dignitas.* Ὀνομάζειν, colere, celebrare. Nonnulli hoc intelligunt non tantum de imperiis terrenis, sed etiam de eximiis angelorum classibus, et hanc suam sententiam confirmare volunt ex Col. I, 16. 1 Cor. XV, 24. Rom. VIII, 38. c. III, 10. quam sententiam etiam probat *Noesselt* in Prolus. supra ad v. 10. citata, p. 168. Alii intelligunt reges et principes humanos, ut igitur Christus describatur tanquam *summus omnium rex*, eo sensu, quod inter omnes homines, adversus impedimenta multa et continua, morale bonum et eius adminicula salutis caussa potenter conservet, et divina vi propaget, tandemque tribuat salutem. Verba οὐ μόνον — μέλλοντι idem valere volunt, quod νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, ut Christus dicatur *nunc et in posterum* perpetuo esse regnaturus: nam עולם saepe etiam est *tempus* simpliciter. Prior explicatio praeferenda esse videtur, ut infra ad c. III, 10. docebimus.

22. Καὶ πάντα — πόδας αὐτοῦ) i. e. Potestatem ei dedit, omnia inimica, ac postremo mortem ipsam subiugandi, nam Phrasis haec imperium in inimicos significat. Cf. dicta ad 1 Cor. XV, 24—27. καὶ αὐτὸν —

τῇ ἐκκλησίᾳ) Est traiectio. Sensus est: *Ipsum super omnia* (positum) *dedit ecclesiae ut caput eius.* Vel: κεφαλὴ ὑπὲρ πάντα est *summum caput*, pro: κεφαλὴ ὑπερέχουσα πάντων. Magna consolatio, quod tantum imperium habeat is, qui id exercet ecclesiae bono, sicut caput consulit corpori.

23. Ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ) i. e. Quae (ecclesia) ab ipso regitur, sicuti corpus a capite. Utitur Apostolus voce σώματος, quia κεφαλὴ praecesserat. τὸ πλήρωμα — πληρουμένου) *Coetus numerosus illius, qui omnes omnibus bonis replet.* Τὸ πλήρωμα, hebr. מְלֹא, i. e. πλῆθος. Sic Gen. XLVIII, 19. מְלֹא הַגּוֹיִם Graeci vertunt πλῆθος ἐθνῶν. Hesychius: πλήρωμα, πλῆθος. Et intelligitur insignis multitudo, quae finibus suis non contenta se ubivis dilatat, adeoque varias regiones implet. Ps. XXIV, 1. πλήρωμα τῆς γῆς, pro: πάντα ἅ ἐστι ἐν τῇ γῇ. Hoc nostro loco *ecclesia* vocatur πλήρωμα, s. *copia*, quia constat e multis, est numerosus coetus. Πάντα, neutrum pro masculino, *omnes homines.* Ἐν πᾶσι, *omnibus* sc. bonis. Ὁ πληροῦμενος autem, qui omnes implet bonis, vel distribuit hominibus bona, h. l. est Deus, omnium bonorum fons et auctor. Est autem πληρουμένου medium, quum esse deberet activum.

CAP. II.

1. Καὶ ὑμᾶς — ἁμαρτίαις) *Etiam vos qui olim eratis miseri* et infelices *propter vitia et peccata*, sc. *implevit bonis*, beneficiis cumulavit Deus ὁ τὰ πάντα ἐν

πᾶσι πληρούμενος, c. I, 23. Non debebat divelli hoc caput a praecedenti; nam arctissime cohaerent verba: τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, καὶ ὑμᾶς, ὄντας κ. τ. λ. *numerosus coetus eius Dei, qui*, sicut *omnes* alios *beneficiis cumulat, sic etiam vos, qui* etc. Describit Apostolus miseram conditionem Ephesiorum, antequam iis tradita fuisset doctrina christiana, et opponit beatam eorum conditionem, quam per Christum adepti erant, eamque per partes describit. Secundum alios, et quidem plerosque interpretes haec verba cohaerent cum v. 5. (ubi eadem repetit) συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ. Nempe quae hic sequuntur usque ad comma 4. et καί, quod sequitur v. 5., sumenda ut πλεονάζοντα, more Hebraeorum, qui suum ו, quod et δὲ et καὶ valet, saepe sic interponunt, vel δὲ vertendum: *inquam*, et καί, *etiam*. Sed sic impediorem fieri sermonem, quis non videat? Νεκροὶ h. l. *miseri, infelices;* nam in *mortis* vocabulis ex omnium linguarum consensu, maxime vero S. Scripturae loquendi usu, inest notio perniciei et miseriae summae, in quam improbitas et scelera hominem demergunt. Cf. dicta ad Rom. VII, 10. *Arrian.* Diss. I, 9. p. 43. νεκρὸς μὲν ὁ παιδευτὴς, νεκροὶ δ' ὑμεῖς. *Clem. Alex.* L. V. καὶ ἐν βαρβάρῳ Φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλεῖσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων, καὶ καθυποτάξαντας νοῦν τοῖς πάθεσι ψυχικοῖς. Παραπτώματα et ἁμαρτίαι sunt Synonyma et in παραπτώμασι est ellipsis voculae ἐν. Est ergo hic Dativus pro casu, qui sextus dicitur, et caussam significat. Alioqui si Dativus in proprio suo sensu sumatur, ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ, multo alium sensum habet, Rom. VI, 2. Gal. II, 19. Per ὑμᾶς Christiani ex Ethnicis sunt intelligendi, ut ex v. 11.

apparet. Ὄντας, *qui olim eratis*, nam esse participium *Imperfecti*, non praesentis, indicant v. 2. ποτὲ, et Aor. περιεπατήσατε.

2. Ἐν αἷς — κόσμου τούτου) *In quibus olim vixistis, (quibus antea dediti fueratis,) ut mos est huius aetatis hominibus.* Ποτὲ, antea, quum adhuc Ethnici essetis. Αἰὼν sicut apud Latinos *seculum*, mores huius aetatis indicat, ut quum *genius seculi*, aut seculum ipsum de moribus horum temporum dicitur. Ὁ κόσμος οὗτος, mali homines huius nostrae aetatis. Κατὰ, *ad exemplum, convenienter.* Grassabantur autem tum inter gentiles scelera multa et gravia. Κατὰ τὸν ἄρχοντα—τῆς ἀπειθείας) *Secundum voluntatem Principis illius potentis, qui in aëre habitat, nempe illius Spiritus, qui adhuc pertinaciter incredulos impellit ac incitat*, ut doctrinam Christi amplecti nolint. Sensus igitur est: Vivebatis olim more huius seculi, in quo omnia sunt adeo plena scelerum, ut non videatur eorum effrena vis hominibus solis tribuenda, sed altiori cuidam, ea accumulanti. Vid. *Mori* Epit. theol. christ. p. 82. et cetera ibi dicta. Κατὰ, *ex voluntate.* Ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας, aut est idem qui ἄρχων δυνατὸς, aut ἐξουσία de *imperio, regno* est interpretanda, ut sit Synonymum τῆς ἀρχῆς, ille, qui malis Daemonibus in aëre imperat. *Aërem* Daemonibus bonis et malis esse repletum, Pythagoreorum et Iudaeorum etiam fuit opinio. *Diogenes Laërt.* L. VIII, 22. ex Pythagorae sententia: εἶναί τε πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεον, καὶ τούτους δαίμονάς τε καὶ ἥρωας νομίζεσθαι. *Plutarch.* Quaest. Rom. p. 274. ὕπαιθρον, ἀέρα καὶ τὸν ὑπερουράνιον ὄντα καὶ θεῶν καὶ δαιμόνων μεστὸν.

Philo de Gigant. p. 263. 7. οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωϋσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν, ψυχαὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. Cf. *Wetstenium*, qui addit: „Paulus ita loquitur ex principiis philosophiae Pythagoreae, quibus illi, ad quos scribit, imbuti erant: non autem, ut partem doctrinae a Christo sibi revelatae, et omnibus credendae revelaret.“ Τοῦ πνεύματος, Genitiv. pro Acc. τὸ πνεῦμα, ut ad κατὰ referatur; nam videtur Paulus hic ut alibi excidisse constructione. Alii cum Grotio et Wolfio τοῦ πνεύματος pro Plural. τῶν πνευμάτων positum abitrantur. Τοῦ νῦν — ἀπειθείας) *Qui nunc occupatus est inter homines immorigeros.* Υἱοὶ τῆς ἀπειθείας ex hebraismo sunt *homines immorigeri*, scilicet legi divinae. Ἐνεργεῖν, *operari* et veluti occupatum esse. Νῦν, hac aetate, qua tot scelera impune inter paganos patrabantur. Quomodo ille malus spiritus sit occupatus, non dicitur. Nobis quidem (ut *Morus* recte ad h. l. monet,) ne abutamur hoc loco, observanda diligenter est restrictio duplex, qua occupatus ille spiritus dicitur; 1) inter scelestos homines, 2) illa aetate, qua tam foeda flagitia patrabantur.

3. Ἐν οἷς — ποτε) *In quibus et nos omnes vixeramus olim.* Ἐν οἷς, nempe παρπτώμασι, Col. III. 7. Alii iungunt verbis proxime praecedentibus: ἐν τοῖς υἱοῖς τ. α. *inter quos* i. e. *quibus similes.* Καὶ ἡμεῖς πάντες, *nos etiam* Iudaei. Ne nimirum onerari se putarent gentes, addit et Iudaeos, qui illo tempore ἐπὶ τὸ πολὺ nihilo meliores fuerant, ut ex S. litteris et ex *Iosepho* patet. Dicit autem ἡμεῖς, quanquam ipse non talis fuerat, utens figura κοινώσεως, per quam ea,

quae sunt odiosa, nobis facimus communia. *ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν*) *Obsecuti cupiditatibus nostris pravis.* Ἐν pro *κατὰ*. Σάρξ, *quicquid in homine est pravum et vitiosum*, ut saepe iam habuimus. *ποιοῦντες — τῶν διανοιῶν*) *Indulgentes iis vitiis, ad quae ducit prava voluntas, et sentiendi ratio.* Idem, quod modo dixerat. Διανοίαι, *cogitata* h. l. non tam sunt cogitata intellectus, quam potius sensa, propensiones, studia. Ἡ *σὰρξ καὶ αἱ διανοίαι* coniunctim cogitata sunt *propensiones pravae.* Ποιεῖν τὸ θέλημα *pravarum cupiditatum* itaque est: *pro lubitu appetere et agere*, blos nach dem Gutdünken unsittlicher Neigungen handeln. *καὶ ἦμεν — οἱ λοιποί*) *Et eramus propter naturalem indolem poena digni, sicut et ceteri.* Τέκνα ὀργῆς (alias τέκνα κατάρας), *homines poenis divinis digni*, ut בֶּן־מָוֶת, *filius mortis*, i. e. morte dignus, 1 Sam. XX, 31. Ὀργὴ enim, quum de Deo dicitur, *poenas divinas significat.* Cf. Rom. IX, 22. Similiter *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας*, *exitio dignus*, Io. XVII, 12. *φύσις*, *naturalis hominis indoles*, ut esse in homine non Christiano solet, *die natürliche Denkungsart.* Herodian. I, 6. 25. *φύσει γὰρ τὸ βάρβαρον φιλοχρήματον*, *barbari enim suapte natura pecuniae avidi.* III, 14. 3. *φύσει μὲν καὶ φιλόδοξος ἄλλως ὑπάρχων.* *Xenoph.* Hell. II. *ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι οὐ κενὰ* (l. *καινὰ*) *ταῦτα οὕτως ποιεῖ, ἀλλὰ φύσει προδότης ἐστί.* De *labe innata* non esse sermonem, sed de vita ipsa hominum facinoribus pravis et scelestis contaminata, quae consuetudine fit altera natura, patet ex verbis *ἀνεστράφημεν, ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς. Φύσει*, ut v. 1. *παραπτώμασι*, est Ablativus, caussam significans. *Morus* (l. c. p. 100.)

Φύσιν interpretatur statum hominis, dediti soli appetitioni, nullo ad regulam respectu, et talem appetitionem licenter sequentis, nondum moraliter correcti. Nam primo (inquit,) quos Paulus dicit *Φύσει* fuisse miseros, eosdem dicit fuisse miseros eo, quod *cupiditatibus dediti* vixerint. Ergo *Φύσις* est ille ipse status, in quo quis deditus cupiditatibus vivit. Deinde *τῇ Φύσει* opponit statum hominis veniam nacti, v. 5. (cf. Col. II, 13.) et emendati, v. 10. Ergo *Φύσις* est status hominis, expertis veniae et emendationis. Ergo *Φύσις* nec natura hominis est, a Deo data; nec substantia eius; nec essentia; nec momentum conceptionis et originis in utero materno; nec actus nascendi; sed naturale est *τὸ ἁπλῶς ἐπιθυμητικὸν* animo factisque, ad quod nondum accessit moralis correctio: idque dicitur naturale, quoniam omnibus ut nunc sunt hominibus ita commune est, ut quales nunc quidem sunt, contrarium exspectari nequeat. Alias aliorum interpretationes recenset *Koppe* Excurs. II. in h. Epist. *Ὡς καὶ οἱ λοιποί*, nempe gentes non Iudaei.

4. 5. *Ὁ δὲ θεὸς—συνεζωοποίησε τῷ* Χριστῷ) *Deus autem clementissimus pro sua erga nos insigni benignitate etiam nos mortuis similes*, i. e. miseros *propter peccata, nova quasi vita donavit, ut Christum*, quem e mortuis resuscitavit. *Πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει*, רַב חֶסֶד Exod. XXXIV, 6. *Ἀγάπην ἣν* (pro ἧ ex Graecismo) *ἠγάπησεν ἡμᾶς*, pro: *ἀγάπην τὴν εἰς ἡμᾶς. Ζωοποιεῖσθαι, vivum*, i. e. *felicem reddere;* nam in hoc et in sequentibus verbis *ἐγείρεσθαι, καθίζειν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*, nihil inest nisi summae et universae felicitatis, qua Christiani vel iam fruuntur, vel olim magis etiam fruituri

sunt, descriptio. Usus est vero Apostolus similitudine a resurrectione Christi desumta, c. I, 20. sqq., quia in futura illa Christianorum felicitate etiam haec ipsa continetur, ut olim resuscitati cum Christo regnent. 2 Tim. II, 11. 12. Similitudo in eo est posita, quod Christus post mortem miseram, quam pro peccatis nostris perpessus est, a mortuis est resuscitatus, et ad gloriam summam evectus; nos vero post mortem miseram peccatorum, cui eramus obnoxii, eam felicitatem per Christum adepti sumus, ut spem habeamus vitae aeternae, et gloriae maximae in coelis. *χάριτί ἐστε σεσωσμένοι*) *Dei beneficio salutem consecuti estis.* Χάριτι, pro *διὰ χάριτος*, beneficio Dei, quo ad religionem christianam adducti estis. *Consecuti estis salutem*, i. e. remissionem peccatorum, pacem conscientiae, spem vitae aeternae; nam *σώζεσθαι* est proprium vocabulum, ex quo explicanda sunt tropica illa *ζωοποιεῖσθαι* etc. Sumunt multi interpretes ut parenthesin.

6. Καὶ *συνήγειρε — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*) *Et uti illum* (Christum) *suscitavit e sepulcro et uti illum collocavit in coelo*, i. e. *summa felicitate nos ornavit;* quasi iam in coelum essemus recepti. Τὰ *ἐπουράνια* pro *οὐρανὸς*, ipsum *coelum. Collocavit nos in coelo.* Tropice haec dicta sunt, sicuti antecedentia. Sensus est, remoto tropo: *felicissimos nos reddidit.* Ἐν *Χριστῷ*, *ob Christum*, vel *per religionem christianam.*

7. Ἵνα *ἐνδείξηται — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*) *Ut ostenderet per tempora aeternum futura summam suam in nos benignitatem ipsis his per Christum paratis et*

oblatis beneficiis. Αἰῶνες ἐπερχόμενοι, *tempora aeternum futura*, et in hac et in futura vita. Verba ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς videntur esse iungenda, et ἐν Χριστῷ accipiendum ut v. 6. Potest vero etiam ἐν χρηστότητι referri ad superiora, pro: τῆς χάριτος αὐτοῦ καὶ χρηστότητος, et ἡμᾶς ἐν Χριστῷ, subaudito ὄντας, invicem iungi. Tum sensus esset: *ut, quanta benignitate nos Christianos Deus amplectatur, insigne quoddam aeternum duraturum argumentum extaret.*

8. 9. Τῇ γὰρ χάριτι—τῆς πίστεως) *Nam* (Dei) *beneficio salutem consecuti estis per religionem.* Merum beneficium Dei est, quod perducti estis ad religionem christianam, quae vobis salutem affert. Ἡ πίστις, *religio, doctrina christiana.* καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν) Sc. συμβέβηκε ὑμῖν. *Hoc ipsum, quod recepistis doctrinam Christi, nolite vestro merito vestrisque studiis tribuere.* Θεοῦ τὸ δῶρον, οὐκ ἐξ ἔργων) Sc. δοθὲν ὑμῖν. *Est merum Dei beneficium, idque nullo vestro merito in vos collatum.* Οὐκ ἐξ ἔργων, *non per* (vestra) *facta;* nam hactenus Ephesii vixerant sceleste, ἔργα eorum fuerant mala, legi divinae contraria. ἵνα μή τις καυχήσηται) *Ut adeo nemo possit gloriari.* ἵνα sumitur ἐκβατικῶς. Alii iungunt superioribus, quasi Apostolus dicat, omne meritum excludi *propterea*, ne possemus propria quadam virtute gloriari. De hominibus virtutis studiosis h. l. plane non est sermo, sed de hominibus olim perversis, qui nunc praeter meritum suum acceperant beneficium religionis christianae, et opponitur hoc praecipue Iudaeis, qui gloriabantur, se meliores esse paganis, nec quicquam accipere beneficii loco. Hoc etiam patet ex sequentibus.

10. *Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα*) i. e. *Nam a Deo facti sumus, quales sumus.* Ποίημα, *opus, creatura.* מַעֲשֶׂה, tropico sensu. Nam de ea creatione, quae nobis dat originem, non est sermo, sed de ea creatione, qua homo factus est talis, qualis nunc est, Christianus. Populus Israeliticus dicitur *κτίσμα θεοῦ*, Deut. XXXII, 6. Ies. XLIII, 21. XLIV, 21., quia Deus Israelitas ex singulari favore selegit, ut essent eius peculiaris populus. Coloss. I, 16. 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Tropicam creationem intelligendam esse, apparet etiam ex eo, quod sequitur: *κτισθέντες — ἀγαθοῖς*) *Per Iesum Christum eiusque doctrinam creati (hanc felicitatem adepti sumus) sub conditione recte factorum.* Facti sumus homines alii, quasi per novam creationem. Ἐπὶ hic significat id, cuius caussa aliquid fit, quomodo Graeci dicunt *ἐπὶ κέρδει, ἐπὶ μισθῷ*. Cf. 1 Thess. IV, 7. *Ἔργα ἀγαθά, recte et honeste facta. οἷς προητοίμασεν—περιπατήσωμεν*) Pro: *ἐν οἷς ἵνα περιπατήσωμεν προητοίμασεν ὁ θεός, quibus exercendis Deus nos reddidit aptos.* Constructio prorsus hebraica: אֲשֶׁר הֵכִין יְהוָה לְהִתְהַלֵּךְ בָּם. Προετοιμάζειν, i. e. *προορίζειν, προτιθέναι*, Rom. IX, 23. idque h. l. simpliciter *velle, iubere* hebr. הֵכִין 2 Paralip. XXXV, 6. Commate 11. et sequentibus Paulus commemorat aliud beneficium, et Gentilibus et Iudaeis per doctrinam Christi exhibitum. Nimirum ante susceptionem Christianismi Iudaei et Gentiles erant disiuncti. Illi odio habebant Gentiles, et hi contemnebant Iudaeos; nunc in unam societatem coniuncti sunt.

11. Διὸ *μνημονεύετε*) Concludit ex ante dictis, omnes ad Christum conversos perpetuo gratias debere Deo,

sed maxime illos ex gentibus, quorum misera fuit conditio. ὅτι — σαρκὶ) *Quod vos natalibus Ethnici.* Rom. I, 3. IX, 3. Nam σάρξ hic, ut alias saepe, est *conditio hominis externa.* Olim quum essetis pagani, caruistis omni spe, qua nunc estis aucti. οἱ λεγόμενοι — χειροποιήτου) *Qui dicebamini incircumcisi ab illis quī dicuntur circumcisi circumcisione corporis, quae manu facta est.* Ἀκροβυστία, i. e. ἀκροβυστίαν ἔχοντες, vel ἀκρόβυστοι, Act. XI, 3. Abstractum pro concreto. Cf. Rom. II, 25—27. III, 30. etc. Est vero ἀκρόβυστοι, ut supra τὰ ἔθνη, גוֹיִם, Matth. VI, 32. nomen contumeliosum, quo per contemtum utebantur Iudaei adversus gentes exteras. Cf. Iudic. XIV, 3. XV, 18. Ies. LII, 1. Sic περιτομὴ pari Metonymia pro *circumcisis*, Rom. III, 30. IV, 9. Non frustra autem additur ἐν σαρκὶ *corpore* et χειροποιήτου, quia est alia circumcisio cordis sive animi, quae est ἀχειροποιήτος, Col. II, 11. Haec per Evangelium communis facta est Iudaeis et gentibus.

12. Ὅτι ἦτε — ἐν τῷ κόσμῳ) *Quid vixistis tum sine Christo, alieni a civitate Israelitica, expertes promissionum divinarum, promissionis spem habentes nullam, et pessimi in illa hominum multitudine.* Ὁ κόσμος, pravorum hominum societas. *Storrio* tamen εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ, nihil aliud esse videtur nisi *in his terris versari*, vivere. Ut enim αἴρεσθαι ἐκ τοῦ κόσμου significat *ex hac terra, de vita decedere iuberi*, Io. XVII, 15. contraque in hanc terram (εἰς τὸν κόσμον) *venire*, significat *nasci*, Io. XVI, 21., ita εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ, *in hac terra esse* dicuntur, qui *sunt in vita.* Praedicata, quae inter verbum ἦτε, et extrema: ἐν τῷ κόσμῳ intersunt, ut χωρὶς Χριστοῦ,

ἄθεοι, eae vitae, quam pagani Ephesi degiesent, *rationem* definiunt: vixistis tum sine Christo, alieni a civitate Israelitica etc. Initio commatis ὅτι repetitum est, quia interiectis superioribus sententia paullulum interrupta fuerat. Promissiones de Messia ad solos Iudaeos a prophetis annunciatae fuerant, Rom. IX, 4. Nunc, inquit Apostolus, vos natalibus Ethnici Messiam possidetis non minus, quam ii, quibus promissus fuerat. ἀπηλλοτριωμένοι — Ἰσραήλ) In illa republica a Deo instituta non modo honores non poteratis capere, sed nec pro civibus haberi. ἀλλοτριοῦσθαι, *alienum reddi, alienum, remotum esse ab aliqua re.* Adeo distabant instituta. Esth. III, 8 Tacit. Hist. V, 4. 5. Vox πολιτείας de republica adhibetur, 2 Macc. IV, 11. VIII, 17. Nunc vero aliam rempublicam sibi fecit Deus, ecclesiam scilicet, in qua paris iuris estis cum Iudaeis. καὶ ξένοι — διαθηκῶν) *Expertes promissionum* (Iudaeis) *datarum.* Ὁ ξένος, *peregrinus*, metaphorice est *expers, qui est alienus et remotus ab aliqua re.* Pluralis τῶν διαθηκῶν respicere videtur ad varia tempora, quibus idem illud בְּרִית יְהוָה, quod primum cum Abrahamo sancitum fuerat Gen. XV., deinde cum Isaaco et Iacobo Gen. XVII, 22. 26. 28., denique cum populo universo per Mosen instaurabatur, saepiusque repetebatur, Exod. XIX. XX. De voce διαθήκη cf. Gal. III, 15. Promissa illa nil ad vos pertinebant, Ps. CXLVII, 20. Nunc vero propter Christum promissa felicitas vos Iudaeis aequat. τῆς ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντες. Nam haec coniungenda esse videntur, post διαθηκῶν posita interpunctione. Sensus est: *nihil sperare poteratis.* Quia nimirum Ethnici non pertinebant ad civitatem Israeliticam, ignorabant sane illas pro-

missiones, Iudaeis datas; et effectus huius ignorationis erat, quod nihil sperare poterant. Alii intelligunt spem felicitatis aeternae; sed quia nihil additum est, praeferenda videtur ea interpretatio, qua intelligitur spes eius rei, quae proprie Iudaeis erat promissa. καὶ ἄθεοι, *et sine Deo*, destituti vera et idonea cognitione Dei. Dii, ab hominibus ficti, quos Ethnici colebant, non erant Dii; Deum verum prorsus non noverant gentiles, ideoque recte sine agnitione et cultu Dei vixisse dici poterant. Abarbanel in Zach. Qu. 1. *Qui regiones incolit extra terram Israeliticam, similis est ei, qui Deum non habet.* Sed videtur potius h. l. notio vitae communis habere locum, qua ἄθεοι sunt contemtores Dei, pessimi homines, vel simpliciter μὴ εἰδότες τὸν Θεὸν, 1 Thess. IV, 5.

13. Νυνὶ δὲ — τοῦ Χριστοῦ) *Nunc autem, ex quo estis Christiani, vos, qui olim eratis seiuncti* (a populo Dei), *cum eodem estis coniuncti.* Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, supple: ὄντες, *ex quo estis Christiani.* Μακρὰν (רָחוֹק) εἶναι dicebantur Gentiles, quia a religione et republica Iudaica, a Palaestina et templo, in quo potissimum praesens Iehova existimabatur, erant remoti, iidemque putabantur miseri esse; accedentes vero ad religionem Iudaicam dicebantur ἐγγὺς, קָרוֹב εἶναι. *Mechilta* f. 38. 12. R. Elieser docuit, Deum ad Mosen dixisse — Tu quoque, si homo quispiam ad te venit, ut religionem Iudaicam suscipiat, *propinquum ipsum fac, et non remove.* Ipsa phrasis: μακρὰν εἶναι idem notat, quod modo dixerat Paulus ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ. Cf. Actor. II, 39. πᾶσι τοῖς εἰς μακράν. Sensus igitur est: vos olim remoti et alieni

a republica et religione Iudaeorum nunc admissi estis et recepti, sublato gentium discrimine. ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ) *Propter mortem Christi cruentam.* Cf. supra I, 7. Nam Christi mors omne discrimen inter gentes et Iudaeos sustulit. Vide Gal. III, 13. 14., et v. 14—18. explicatur, quatenus morti Christi tribuenda sit haec Iudaeorum et barbarorum coniunctio et consociatio.

14. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν) *Ipse enim est noster pacificator*, i. e. auctor concordiae inter conversos ex Iudaeis et ex gentibus. ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν) *Qui utrosque consociavit.* Τὰ ἀμφότερα, pro τοὺς ἀμφοτέρους, vel subaudiendum γένη. Ἕν, nempe σῶμα, *unum corpus.* Effecit ut Iudaei et gentes coalescerent in unam societatem. καὶ τὸ — λύσας) *et parietem intergerinum, qui nos a gentibus seiunxerat, destruxit.* Τὸ μεσότοιχον, *paries intergerinus, Scheidewand.* Athenaeus: ἤθη καὶ τοῦτον πεφώρακα τὸν τῆς ἡδονῆς καὶ ἀρετῆς μεσότοιχον διορύττοντα. Φραγμὸς (a φράσσειν, *obdurare, occludere, obsepire*), *sepimentum.* Μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, paries intermedius *sepimenti*, pro διαφράσσον ἡμᾶς ἄλλων ἐθνῶν, *paries, qui nos ab omni cum aliis gentibus commercio intercluserat.* Λύειν, *destruere, diruere*, Io. II, 19. Actor. XXVII, 11. Μεσότοιχον autem vocat Apostolus ritus Mosaicos, illudque discrimen quo Iudaei ac gentes invicem dirimebantur. Hoc discrimen Christus sustulit.

15. Τὴν ἔχθραν) *Caussam odii*, id quod inimicitiam excitavit et aluit. Cf. Col. II, 14. Vocantur au-

tem leges Mosaicae ἔχθρα, quia earum servandarum studium Iudaeos impulit, ut odio haberent gentes, atque ab earum consuetudine abstinerent. Potest vero τὴν ἔχθραν ad superiora referri, ex auctoritate Codd., Edd. et Patrum multorum, vel iungi sequentibus. Prius praeferendum videtur. Ceterum sensus est idem. ἐν τῇ σαρκὶ — καταργήσας) *Qui morte sua legem cum omnibus eius praeceptis ac statutis abrogavit.* Est appositio pertinens ad τὴν ἔχθραν, disiunctionis caussam. Ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, *in corpore suo*, i. e. perpessionibus in corpore suo, vel ἐν ἑαυτῷ, *ipse, er selbst in eigner Person.* Νόμος τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, pro τῶν ἐντολῶν καὶ δογμάτων, *das Mosaische Recht mit allen seinen Geboten und Verordnungen.* Ἐντολαὶ et δόγματα iuncta sunt *legi*, ut hebr. תּוֹרָה, מִצְוֹת, חֻקִּים, ut omnis legum Mosaicarum ambitus exhauriatur. Intelliguntur praecepta de circumcisione, festis, ablutionibus, decimis, sacrificiis, expiationibus. *Edicta* autem (δόγματα) multas observationes reddunt necessarias, et ubi sunt multae observationes, ibi non est spontaneus cultus. Duram istam legem Christus abrogavit. Itaque nunc locum habere potest nationalis Iudaeorum et Paganorum coniunctio. Δόγματα apud LXX. tantum in libro Danielis occurrit, ubi respondet vocibus Chaldaeis אֶסְרָא et כְּתָבָא Dan. VI, 9. 10. טְאֵם c. III, 10. quae idem significant quod hebr. מִצְוֹת, חֹק, *praeceptum, mandatum, edictum, decretum.* Καταργεῖσθαι dicuntur, *quae vim suam amittunt*, unde καταργεῖν τὸν νόμον est: *abrogare legem.* Ἵνα τοὺς δύο — ποιῶν εἰρήνην) *ut utrosque in sua persona mutaret in unum*

quasi novum hominem, concordiam efficiens, i. e. ut Iudaeos et Gentiles invicem hactenus inimicos, in melius mutatos ad concordiam redigeret. Τοὺς δύο, quod infra τοὺς ἀμφοτέρους, Iudaeos nempe et gentes, pro quo ante dixerat ἀμφότερα. Κτίσῃ, i. e. *formaret*, ut supra v. 10. Κτίζειν τοὺς δύο εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον nihil amplius est, quam ἐνοῦν τούς ποτε ἀλλήλοις ἐχθρούς, s. quod mox sequitur, ποιεῖν εἰρήνην ἐν αὐτοῖς, ad concordiam redigere, qui alias odio se invicem persequebantur, et addit καινὸν ἄνθρωπον, i. e. *in melius mutatos*. Ἐν ἑαυτῷ, id quod supra ἐν τῇ σαρκὶ ἑαυτοῦ, quatenus ipse morte sua hoc effecit.

16. Καὶ ἀποκαταλλάξῃ — διὰ τοῦ σταυροῦ) *Et conciliaret per supplicium crucis utrosque in unam societatem, Deo servientem.* Ἀποκαταλλάσσειν, id quod simplex καταλλάσσειν. Ἐν ἑνὶ σώματι pro εἰς ἓν σῶμα, *in unam societatem*. Ὁ σταυρὸς, *ipsum supplicium in cruce*, Col. I, 20. ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ) *Abolens caussam illam odii* (legem Mosaicam) *per illud*, nempe supplicium crucis. Ἔχθρα sicut supra v. 15. Ἀποκτείνας, i. e. καταργήσας, et dicuntur leges quasi morti datae, quia ipse mortuus est Christus, ut abrogaret leges Mosaicas. Ἐν αὐτῷ, nempe σταυρῷ, ut recte accepit Syrus. Sed quaeritur, quomodo hoc sit intelligendum, quod Christus per mortem suam sustulerit legem Mosaicam, et effecerit concordiam inter Iudaeos et alias gentes? Factum est hoc duplici respectu. 1) Mors Christi consideratur ut sacrificium pro peccatis hominum; ergo Mosaicae expiationes nunc superfluae sunt; et sic magna pars legis caerimonialis corruit. Ergo Gentiles, soluti

ab obligatione legis Mosaicae non amplius dubitant cum Iudaeis in societatem coire. 2) Post mortem Christi doctrina christiana per omnes terras est propagata. Communio religionis autem non poterat locum habere, nisi sublato impedimento, quod erat in circumcisione et omni lege Mosaica. Hoc impedimentum tollendum erat, atque revera sublatum est morte Christi.

17. Καὶ ἐλθὼν — τοῖς ἐγγύς) *Quibus iam ita perfectis, annunciari iussit vobis Ethnicis, et Iudaeis felicitatem hanc.* Καὶ, *quibus ita perfectis.* Εὐηγγελίσατο, pro παρήγγειλε εὐαγγελίζεσθαι, cf. Matth. XXVIII, 19. Act. I, 8. Ἐλθὼν et πορευθεὶς saepe redundant, maxime in sermone familiari. Εἰρήνη hic aliter sumitur, quam in antecedentibus nempe *de favore Dei, cum eoque coniuncta omnis generis felicitate*, quod sequentia ostendunt. Τοῖς ἐγγύς, cf. ad v. 13. et Ies. LVII, 19.

18. Ὅτι δι' αὐτοῦ — τὸν πατέρα) *Nam per eum nos utrique* (qui olim partim Iudaei partim Gentiles fueramus) *liberum habemus accessum uno animo ad Patrem. Adire* Deum in V. T. dicitur is, qui templum adit, ut ibi faciat sacra, preces, Deum colat, a Deo sibi aliquid expetat. Metaphorice est: *colere Deum*, ab eo petere et sperare bona. Per Christum consecuti sumus hoc beneficium, ut eodem animo fiducia pleno, sine metu et servili timore, (vel etiam concordi mentis affectu) Deum adire, atque ab eo, Patre nostro benignissimo, nobisque propitio quaevis bona et veram salutem expectare possimus. Vid. Rom. V, 2. Ἐν ἑνὶ πνεύματι, i. e. ὁμοθυμαδὸν, concordi mentis affectu, vel eodem animo, fiducia pleno, V, 19—22.

Paulus alloquitur Paganos, et celebrat beneficium illud maximum, quod et ipsi recepti fuissent in coetum Christianorum.

19. Ἄρα οὖν — πάροικοι) i. e. *Iam igitur non ultra estis exclusi a iure civitatis in populo Dei, ut ante.* Ἄρα οὖν, *iam igitur.* Ξένοι, *peregrini* in republica s. civitate, civibus oppositi. Πάροικοι, *hospites* in domo privata, domesticis s. familiae oppositi. ἀλλὰ — οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ) *Sed cives populi Dei, ad familiam Dei pertinentes.* Οἱ ἅγιοι, Synonymum λαὸς θεοῦ, κληρονομία θεοῦ, עַם יְהוָה. De voce συμπολίτης vid. *Wetstenius* in h. l. Annotarunt Scholiastae et Grammatici plures, Graecos non uti composito, sed simplici πολίτης. Occurrit tamen interdum apud bonos Scriptores, e. g. Aelian. var. Hist. III, 44. Νεανίσκοι τρεῖς, εἰς Δελφοὺς ἀφικόμενοι θεωροὶ συμπολῖται. Οἰκεῖος τοῦ θεοῦ, *qui ad familiam Dei pertinet*, ab οἶκος, *familia* et *aedificium ipsum.* Est διλογία in his et sequentibus verbis; nam relicta *familiae* notione in alteram *aedificii* vel *templi* notionem statim incidit Apostolus: *Zu Gottes Hause gehörige.*

20. Ἐποικοδομηθέντες — Χριστοῦ) *Estis veluti pars illius templi, cuius fundamenta iecerunt Apostoli et alii doctores, et cuius lapis angularis est Iesus Christus.* Sensus est: Estis membra ecclesiae vel societatis, ab Apostolis et aliis doctoribus fundatae, quae Iesum Christum colit suum Dominum et salutis auctorem. Προφῆται, sunt doctores N. T. dignitate proximi Apostolis, de quibus Rom. XII, 6. Θεμέλιος h. l. est *aedificium fundatum.* Societatem christianam, vel ecclesiam, *templo divino* comparare etiam

alias Apostolo est solenne, 1 Cor. III, 9. 16. 17. 2 Cor. VI, 16. Ἀκρογωνιαῖος sc. λίθος, hebr. אבן פנה est inter eos lapides, quibus tanquam fundamento innititur domus, is potissimum, qui in extremo angulo fundamenti positus duos parietes sibi innixos sustinet et coniungit. Sic Messias vocatur etiam Matth. XXI, 42. et Ps. CXVIII, 22., quia in angulis praecipua vis est, qua aedificia sustinentur. Quum aedificium h. l. sit *coetus*, lapis angularis est, qui in illo coetu praecipue conspicuus et honoratus est. Christus igitur est caput coetus, prae ceteris honoratus, cui obsequendum est.

21. Ἐν ᾧ πᾶσα — ἅγιον ἐν κυρίῳ) *Cui innixum aedificium omne compactis invicem lapidibus altius exsurgit in templum Deo consecratum*, i. e. ecclesia ex omnibus gentibus collecta in dies fit amplior et augustior. Οἰκοδομὴ, non prorsus idem quod οἶκος, sed aedificium nondum usque ad fastigium exstructum atque perfectum, et h. l. tropice ecclesia Christi ex omnibus gentibus collecta. Συναρμολογουμένη, *compactum*. In Glossis: συναρμολογῶ, *compagino*. Anthol. III, 32. 4. mater filio ἠρμολόγησε τάφον, ubi ἁρμολογεῖν simpliciter est *exstruere*. Αὔξει s. αὐξάνει, *paullatim altius exsurgit domus*. Est translatio in Allegoria; nam augeri proprie est corporis naturalis; *surgere* de aedificiis dici solet. Sine tropo: *in dies amplior fit ecclesia*. Ἅγιος ἐν κυρίῳ, pro ἅγιος κυρίου, s. κυρίῳ, sicuti Tit. III, 5. ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ. 1 Cor. II, 7. σοφία ἐν μυστηρίῳ, pro τοῦ μυστηρίου.

22. Ἐν ᾧ — ἐν πνεύματι) *Cui etiam vos iuncti estis, ut fiatis templum Dei spirituale.* Ἐν ᾧ, pro ᾧ, refer ad ναὸν ἅγιον. Καὶ ὑμεῖς, *vos etiam*, qui estis ex gentibus. Κατοικητήριον ἐν πνεύματι, i. e. πνευματικόν, opponitur ναῷ χειροποιήτῳ, templo Hierosolymitano; nam κατοικητήριον significat tabernaculum Exod. XV, 17. et postea templum, quod in tabernaculi locum successit, Ps. LXXVI, 2. Sensus: Adiuncti estis huic coetui Christianorum eo consilio, ut colatis Deum mente et animo.

CAP. III.

1. Τούτου χάριν — τῶν ἐθνῶν) *Huius rei caussa ego Paulus in vinculis detineor, tanquam Apostolus Iesu Christi, nempe propter vos gentiles.* Plerique interpretes parenthesi includunt sequentia verba, alii ad v. 8., alii ad v. 12. Sed hac Parenthesi non opus esse videtur, si comma post Παῦλος deleas, et verba ἐγὼ ὁ δέσμιος, explices ἐγώ εἰμι ὁ δέσμιος (Cf. Marc. XII, 26. Rom. VIII, 33.), quod veteribus et recentioribus interpretibus haud paucis placuit. Δέσμιος τοῦ Χριστοῦ pro διὰ τὸν Χριστὸν, propter Christi doctrinam; propter munus Apostolicum, quod gero. Verbis ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν clarius explicantur priora τούτου χάριν, διὰ τὸ κήρυγμα καὶ τὴν διδασκαλίαν ἐν ὑμῖν τοῖς ἔθνεσι, ut Graeci interpretantur. Dicit igitur Apostolus, se eam ipsam ob caussam quod Ethnicis annunciaret doctrinam Christi, coniectum esse in vincula. Constat enim, Iudaeos odio et aemulatione in Paulum incitatos, quod gentilibus paria cum Iudaeis iura vindica-

ret, occasionem praebuisse, ut Paulus caperetur, qui vinctus Romam missus fuit, quum Caesarem appellasset. Act. XXI, 21. 28.

2. Εἴγε ἠκούσατε — εἰς ὑμᾶς) *Quandoquidem intellexistis, partem illam Apostolatus mihi esse assignatam a Deo, quae ad vos* (gentes) *pertinet.* Verba εἴγε ἠκούσατε, verti possunt: *Si modo recte perceperitis.* Εἴγε, *si modo* ut Col. I, 23. εἴγε ἐπιμένετε, vel simpliciter: *quandoquidem intellexistis,* didicistis a me, quum apud vos essem. Proinde ex hoc loco non potest confirmari eorum sententia, qui statuunt, Paulum hanc epistolam non scripsisse Ephesiis. Οἰκονομία paullo aliter quam c. I, 10. h. l. videtur esse assignatio partium, qualem in familia facere solent dispensatores. Χάρις autem κατ' ἐξοχὴν est ipse Apostolatus, summus in ecclesia honor. Sic Rom. I, 5. χάριν καὶ ἀποστολήν, i. e. χάριν ἀποστολῆς. Verba οἰκ. τ. χάρ. possis etiam vertere: *administratio beneficii,* quod mihi est datum, munus, quod Deus mihi concessit. Εἰς ὑμᾶς, *propter vos, vestri commodi caussa,* Col. I, 25. Affirmat Apostolus, se non proprio ausu suscepisse gravissimum hoc negotium, gentiles adducendi ad Christum, sed a Deo ipso ad id excitatum, et revelatione divina esse instructum.

3. Ὅτι κατὰ — ἐν ὀλίγῳ) *Nam per revelationem divinam innotuit mihi doctrina illa antea incognita, quam paullo ante breviter exposui.* Pro ἐγνώρισε habent ἐγνωρίσθη multi Codd., Verss. et Patres utriusque recensionis, Alexandrinae et occidentalis. Si legas ἐγνώρισε supplendum est ὁ θεός. Κατὰ ἀπο-

κάλυψιν, pro ἐν ἀποκαλύψει, nempe non tantum prima ista revelatione, de qua Act. IX. coll. XXVI, 17. 18., sed et multis subsequentibus, de quibus 2 Cor. XII, 1. 7. Τὸ μυστήριον καθῶς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, etc. pro τὸ αὐτὸ μυστήριον, περὶ οὗ ὀλίγῳ πρότερον ἔγραψα. Ἐν ὀλίγῳ, *breviter*, *paucis verbis*, c. I, 3—13. *Mysterium* h. l. est obscura et plerisque ignota antea doctrina, omnes sine discrimine gentes adducendas esse ad religionem Christi. Nam reliqui Apostoli id non putabant, imo particularem credebant religionem christianam. Cf. infra v. 6. Aliis τὸ μυστήριον est ipsa doctrina christiana in universum; quia v. 5. dicitur aliis aetatibus non innotuisse ut nunc.

4. Πρὸς ὃ δύνασθε — τοῦ Χριστοῦ) Pro: ὃ ἀναγινώσκοντες δύνασθε νοῆσαι πρὸς αὐτῷ, i. e. ἐν αὐτῷ κ. τ. λ. *Quae legentes intelligere potestis quae sit mea arcani* (divini) *consilii per Christum revelati intelligentia* et scientia. Τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ est omnibus hominibus antea incognitum consilium Dei de hominum salute per Christum procuranda, per Christum eiusque doctrinam revelatum et patefactum humano generi, ipsa religio christiana. Ἀναγινώσκοντες, repetentes nempe aliquoties ea, quae iam scripsi.

5. Ὃ ἑτέραις — ἐν πνεύματι) *Quod aliis temporibus non ita cognitum erat hominibus, sicuti* etc. Ἐν ἑτέραις γενεαῖς, בדורים אחרים *aliis generationibus*, i. e. aliis mundi aetatibus. Υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, בני אדם, i. e. ἄνθρωποι. Scientiam huius arcani consilii divini de omnium hominum salute per

Christum procurata, et nominatim de vocatione gentium nulli homini ante Christi tempora *eo modo* contigisse dicit, sicut nunc Apostolis. Nam quae sunt apud Iesaiam et Prophetarum veterum alios, valde generalia sunt, et ante eventum erant perobscura. Pertinuit igitur haec Pauli doctrina *de prorsus pari* Christianorum ex Ethnicis cum Iudaeis dignitate ad dogmata sublimiora non omnibus doctoribus religionis christianae eadem claritate revelata. Aliquid didicerat Petrus in re Cornelii, Act. X., plus postea Paulus, et post Paulum alii. Ἅγιοι, *venerabiles, Deo cari.* Προφῆται, h. l. sunt *doctores*, non vero prophetae V. T. Ἐν πνεύματι pro διὰ πνεύματος refer ad ἀποκαλύφθη.

6. Εἶναι τὰ ἔθνη—ἐν τῷ Χριστῷ) *Gentiles nempe esse socios felicitatis, et consortes* (coetus christiani,) *et una participes eiusdem* (a Deo) *promissae felicitatis, per Christum eiusque doctrinam.* Συγκληρονόμα et σύσσωμα non pertinent ad vocem ἐπαγγελίας, sed sunt per se interpretanda. Συγκληρονόμα, vocati pari modo sicut Iudaei ad vitam coelestem, quae hereditas dicitur. Rom. VIII, 17. Sicut κληρονομία haud raro simpliciter ponitur pro felicitate aeterna, c. I. 14. Act. XX, 32. Col. III, 14., ita etiam κληρονόμος est particeps felicitatis aeternae. Σύσσωμα, concorpores, partes eiusdem corporis, i. e. ecclesiae, cap. I, 23. Συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας, i. e. τῆς εὐδαιμονίας ἐπηγγελμένης. Αὐτοῦ deest in nonnullis; si vera est lectio, θεοῦ est subaudiendum. Ceterum cumulantur Synonyma Synonymis, ut plane nihil discriminis inter Iudaeos et gentes intercedere signi-

ficetur. *διὰ τοῦ εὐαγγελίου*) Tanquam per instrumentum, quo Christus ad res illas efficiendas utitur.

7. *Οὗ ἐγενόμην διάκονος*) *Cuius constitutus sum doctor.* *Διάκονος* sensu generaliore de ipsis Apostolis et quibusvis religionis doctoribus dicitur. 1 Cor. III, 5. Col. I, 23. *κατὰ τὴν δωρεὰν — τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*) *Pro beneficio illo divino immerito, quod in me contulit pro efficacissima sua potentia.* *Δωρεὰ τῆς χάριτος, beneficium immeritum;* nam *χάρις* est *beneficium*, et *δωρεὰ donum*, quod ex gratia, sine ullo nostro merito confertur. *Ἐνέργεια τῆς δυνάμεως, potentia efficacissima*, quae se exseruerat, et in Paulo convertendo, et in eodem ad Apostoli munus evocando. Quae hactenus dicta sunt, in sequentibus copiosius repetuntur.

8. *Ἐμοὶ τῷ — ἁγίων*) *Mihi omnium Apostolorum minimo.* *Τῶν ἁγίων* nonnulli plane omittunt; alii habent, omisso articulo. *Ἐλαχιστότερος*, Comparativus a Superlativo *ἐλάχιστος* denuo formatus. Talia sunt *ὑψοφαγίστατος, λαλίστατος, κλεπτίστατος.* Ab *ἐλάχιστον* formatum novum Superlativum habet Sext. Empir. IX. pag. 627. *ἐν ἐλαχιστοτάτῳ πλάτει.* *Πάντες οἱ ἅγιοι* h. l. non esse videntur omnes omnino Christiani, sed Apostoli et Prophetae. Paulus enim hic se non confert cum omnibus omnino Christianis, sed cum illis doctoribus, qui v. 5. appellabantur *ἅγιοι*, Deo consecrati, ob munus, quo fungebantur. *τὸν ἀνεξιχνίαστον — Χριστοῦ*) *Beneficia per Christum nobis parta, quae tanta sunt, ut eorum magnitudinem dignitatemque nulla mens humana capere possit.* *Πλοῦτος τοῦ*

Χριστοῦ, *opulentia Christi*, concise pro: πλοῦτος τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ, *uberrima Christi beneficia*, vel maxima beneficia per Christum nobis parta. Ἀνεξιχνίαστον, quod et habemus Rom. XI, 33., respondet Hebraeo חֵקֶר אֵין, Iob. V, 9. IX, 10.

9. Καὶ φωτίσαι πάντας) Φωτίζειν hebr. הֵאִיר Ps. CXIX, 130. idem quod διδάσκειν. Πάντας, Iudaeos nempe et Ethnicos, sine discrimine. τίς ἡ οἰκονομία — ἐν τῷ θεῷ.) *Cuiusmodi sit arcanum illud consilium a longissimo tempore nemini cognitum nisi Deo.* Pro κοινωνία omnino legendum est οἰκονομία, quam lectionem et codices plurimi et versiones exhibent. Lectio κοινωνία, si vera esset, hunc haberet sensum: hanc doctrinam esse communem, non peculium nationis Iudaicae. Οἰκονομία h. l. est *institutum, Plan, Anstalt.* Μυστήριον est doctrina ista antea incognita de salute omnium sine discrimine hominum, Ethnicorum pariter ac Iudaeorum, per Christum procuranda. C. I, 9. 10. III, 2. Τίς ἡ οἰκονομία τοῦ μυστηρίου, quidnam Deus instituerit respectu huius incognitae doctrinae, quo modo, quo tempore, per quos homines patefacienda sit doctrina Christi: *ich soll lehren, was Gott für eine Anstalt getroffen habe mit dieser Lehre.* Ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ (pro ἐκ) τῶν αἰώνων ἐν (pro παρὰ) τῷ θεῷ, quod Deus suae servavit scientiae, nec ulli hominum revelavit. τῷ τὰ πάντα — Χριστοῦ) *Qui nunc omnia renovat per Christum*, i. e. efficit, ut nunc plane alia fiat humani generis facies per Christi doctrinam. Κτίζειν h. l. est *renovare*, sicut hebr. בָּרָא Ps. LI, 12. et aliis locis. Nam effectus huius creatio-

nis v. 10. describitur tanquam effectio novi alicuius status, *als die Bewirkung eines neuen Zustandes.* Τὰ πάντα h. l. sunt omnes huius terrae gentes, ex quibus innumeri homines ad religionem Christianam adducti, meliorem vitae rationem inierant. Paullo aliter *Noesseltus* (fasc. 2. p. 181.): *Et docere, quam admirabilis sit administratio incognitae doctrinae, ab aeterno absconditae apud Deum, omnia constituentem per Iesum Christum.* Τίς ut c. I, 18. 19. Quanti aestimandum sit munus illud, quod hanc diu incognitam doctrinam patefacit. Cf. v. 2. 5.

10. Ἵνα γνωρισθῇ — σοφία τοῦ θεοῦ) *Ita ut patefiat nunc maximis angelorum ordinibus in coelo, quam admirabilis sit Dei sapientia, quae in ecclesia se exserit.* Ἵνα est ἐκβατικόν, *ita ut.* De angelorum ordinibus h. l. esse sermonem, non vero de magistratibus in his terris, patet ex verbis: ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Nihil tamen obstare videtur, quo minus intelligamus in universum *angelos*, coelitum celsissimos, *die erhabenen Geister im Himmel;* qui vocabulis humanis comparantur cum principibus. ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ, *omni ex parte admirabilis Dei sapientia.* Hanc suam sapientiam manifestavit Deus *per ecclesiam*, per providentiam suam in gubernanda et propaganda ecclesia; ex hac enim angeli sapientiam divinam intelligunt, sicuti nos homines eam intelligimus cognoscendis et spectandis fatis et cursu rerum omnium.

11. Κατὰ πρόθεσιν — κυρίῳ ἡμῶν) *Secundum propositum antiquissimum, quod exsequutus est per*

Christum Iesum Dominum nostrum. Πρόθεσις τῶν αἰώνων, decretum illud Dei, quod olim et angeli et prophetae ignorarunt, Deo istud apud se retinente. ποιεῖν πρόθεσιν h. l. est *exsequi decretum* per Iesum Christum, per quem exsecutus est decretum, quod homines omnes ad meliorem religionem adducerentur.

12. Ἐν ᾧ ἔχομεν — πίστεως αὐτοῦ) *Propter quem habemus aditum liberum ad Deum, cum firmissima spe et fiducia, si in eum credamus.* Παῤῥησία primum *libertas in dicendo*, deinde *fiducia*, *quam in alicuius erga nos studia collocamus.* Προσαγωγή, vid. II, 18. Πεποίθησις idem quod παῤῥησία, et constructio insolentior est, pro: τὴν προσαγωγὴν μετὰ παῤῥησίας καὶ πεποιθήσεως. Ἔχομεν, nos Iudaei et gentes. Διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, pro: εἰς αὐτὸν, i. e. εἰ μὲν πιστεύσωμεν εἰς αὐτόν. Nempe quia nos omnes sumus peccatores, metus poenarum nos terret, quo minus laeto animo omnem nostram felicitatem exspectare a Deo possimus. Sed propter Christum, qui morte sua peccatorum veniam nobis promeruit, quaevis bona a Deo efflagitare precibus possumus.

13. Διὸ αἰτοῦμαι — δόξα ὑμῶν) *Quapropter rogo vos, ne animum despondeatis ob afflictiones, quas vestri caussa perfero, quae vobis sunt felicitati.* Δόξα h. l. non est *honor;* nam quod Paulus multas calamitates pertulit, id Ephesiis non erat honori; nec de honore, sed de utilitate est sermo. Igitur δόξα hic, ut saepe, est *felicitas*, e. c. δόξα αἰώνιος. Post αἰτοῦμαι et ἐκκακεῖν subintellige ὑμᾶς. Ἐκκακεῖν, *ani-*

mum desponderé, vel expavescere; nam Graeci κακοὺς saepe vocant eos, qui sunt timidi. Θλίψεις ὑπὲρ ὑμῶν, *afflictiones quas vestra caussa vestroque commodo perfero.* Ἥτις, pro αἵτινες. Sed et apud Hebraeos, Graecos et Latinos relativum pronomen tam posteriori quam priori parti conformari solet. Cic. Somn. Scip. 3. ignibus, *quae* sidera vocatis. Poterant Christiani, praesertim ex Ethnicis, dubitare de auctoritate Pauli, si ipsum a Iudaeis contemni et quovis modo vexari cognoscerent. Dicit igitur, non esse, cur animum abiiciant; ex his enim calamitatibus eos cognoscere posse, se non suam, sed aliorum utilitatem quaerere. Nisi tam constans fuisset in munere suo gerendo, Ephesii et alii non fuissent per eum edocti, atque ad veram religionem perducti.

14. Τούτου χάριν — Χριστοῦ) *Quapropter supplex veneror Deum etc.* Τούτου χάριν, *huius rei gratia*, quia nempe accessistis ad religionem. Κάμπτω τὰ γόνατά μου, pro προσεύχομαι, ex more istorum temporum, genibus flexis precandi. *Patrem Domini nostri Iesu Christi* hic vocat Deum, quia propter Christum, filium hunc Dei unicum et carissimum, omnis omnino felicitas Christianis contingit.

15. Ἐξ οὗ — ὀνομάζεται) *Ex quo tota familia* (eorum, qui filii Dei dicuntur,) *quae in coelis est et in terris* (angelorum et hominum) *originem habet.* Πατριὰ, *familia.* Iudaei seipsos nominabant familiam Dei inferiorem, angelos autem vocabant familiam superiorem. *Sanhedrin:* Conversae sunt omnes facies, Ier. XXX, 6. R. Iochanan dixit: etiam facies supe-

rioris et inferioris familiae. *R. Salomo:* Angelorum et Israëlis. Sed scriptores sacri omnes intelligentes naturas, pietatis beatitatisque vinculo coniunctas, angelos pariter ac homines *filios* Dei solent appellare, eiusdem reipublicae cives, Phil. II, 20., eandem ad urbem pertinentes Hebr. XII, 22. coll. XI, 10., eidemque familiae adscriptos. Vid. *Noesselt* Prolus. *de una Dei in coelis terrisque familia*, supra ad cap. I, 10. laudata. Ἐξ οὗ, refer ad πατέρα, non ad I. Χρ. Ὀνομάζεται, pro ἐστι.

16. Ἵνα δώῃ — τὸν ἔσω ἄνθρωπον) *Velit efficere pro maxima sua potentia, ut spiritus sui auxilio virtute corroboremini* (sive *insigniter firmemini*, κραταιωθῆναι δυνάμει, i. q. κρατ. δυνατῶς) *quod attinet ad internum hominem*, i. e. animum, mentem. ὁ ἔσω ἄνθρωπος, i. q. ipsa hominis mens, uti corpus dicitur ὁ ἐκτὸς ἄνθρωπος. Sermo est de interna et meliori indole christianorum, Spiritus sancti auxilio in ipsis efficienda. Hoc exprimitur verbo κραταιοῦσθαι, *roborari*. Roboratur vero mens hominis cognitione religionis et virtutis studio, quod sequentia docent. Sensus igitur est: Velit efficere Deus, ut crescatis in cognitione religionis, et omnium virtutum studio, et sic probetis, vos meliorem sensum accepisse. Δόξα, כָּבוֹד, *maiestas Dei*, et metonymice ipsa Dei potentia, quam sequitur maiestas. Πλοῦτος, est huius potentiae abundantia et magnitudo.

17. Κατοικῆσαι — τεθεμελιωμένοι) *Ut doctrinae Christi cognitio uberior vobis contingat, per fidem* (ei habitam), *ut etiam in amore sitis firmati et fun-*

dati. Varie explicatur hic locus. Nonnulli, distinctione post ὑμῶν deleta, vertunt: *Ut per fidem intimi vestri amoris affectus erga Christum augeatur. Habitat* in pectore nostro, quem unice amamus et colimus. Sic *Libanius* Epist. 558. εἰ καὶ τῶν χειρῶν σου τὸν Πλάτωνα ἐξέβαλεν ἡ ἀρχή, τήν γε ψυχὴν ὁ Πλάτων οἰκεῖ τὴν σήν. Ἐν ἀγάπῃ explicat Phrasin: κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ut ἀγάπη sit amor erga Christum, qui διὰ τῆς πίστεως augetur; si enim firmissime credimus, per Christum nobis maxima bona, et quidem aeternum duratura parta esse, non possumus non eum intimo prosequi amore. Simplicior tamen est interpretatio, si τὸν Χριστὸν accipiamus *de Christi doctrina*, ut sensus sit: *ut doctrinae Christi cognitio uberior vobis contingat, per fidem* ei habitam. Nam omnis orationis Paulinae series in cognitionis incremento versatur, et Col. III, 16. doctrina Christi *habitare* debere in Christianis dicitur, ut conformentur ad veram sapientiam. Tum vero verba ἐν ἀγάπῃ iungenda sunt sequentibus: Ἐν ἀγάπῃ—ἁγίοις) *ut in amore* (erga Deum et Christum) *firmati et fundati possitis perspicere cum omnibus Christianis.* Est traiectio vocis ἵνα, qualis 2 Cor. II, 4. Amoris et gratitudinis sensus erga Deum et Christum pro ingentibus illis beneficiis per religionem acceptis, sive, ut alii volunt, persuasio de religionis christianae certitudine, et exinde orta constantia, duabus similitudinibus recte exprimitur; arboris in altum radices agentis, Matth. VIII, 6. 21., et aedificii bene fundati, Matth. VII, 24. Scholiast. ad Odyss. V, 136. ἐρρίζωσεν explicat: ἀκίνητον ἐποίησε. Philo de Opif. M. p. 9. ῥίζας ἀποτείνουσα οἷονεὶ θεμελίους.

18. Ἵνα ἐξισχύσητε — ὕψος) *Ut sic possitis comprehendere cum omnibus reliquis Christianis, quae sit amplitudo* etc. Sc. τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ, quae verba ex immediate sequentibus subintelligenda sunt; vel, ut *Storrius* suadet, relativum, quod non raro praetermittitur, cogitando adiungi potest ita, ut spectet ad *praecedens* nomen ἀγαπῆς, uno verbo, ut vocula αὐτῆς intelligatur. Καταλαμβάνεσθαι, pro συνιέναι, *intelligere*, quo verbo utitur Paulus propter sequentia, πλάτος etc. *Ut possitis intelligere, quam immensus sit Christi erga nos amor.* De nostro erga Christum amore non est sermo; non enim ineffabilis est noster erga Christum amor. In vocibus τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος nihil inest nisi notio *immensi*, nec opus est quaerere, quid h. l. sit *profundum*, quid *altum* etc. Nec inusitata est amoris divini comparatio cum rerum corporearum mensura, e. g. Iob. XI, 7. Ps. CIII, 11. Alii referunt has voces ad *ecclesiam*, templum illud πνευματικόν, cuius c. II. extremo meminerat Apostolus. Sic sensus esset: Ut perspicere possitis, quam longe lateque se diffundat ecclesia, ex Iudaeis et gentibus collecta. Vid. *Wolfii curas* ad h. l., qui varias huius loci interpretationes recensuit. Sed omnia bene cohaerent, si haec verba de amore Christi erga nos intelliguntur. Nam v. 17. optaverat Paulus, ut Christianis uberior cognitio doctrinae christianae contingat; nunc addit: ut possitis intelligere, quantus sit Christi erga nos amor, quatenus nempe ab hominibus intelligi potest.

19. Γνῶναί τε — τοῦ Χριστοῦ) *Cognoscere nempe amorem Christi, omni cogitatione humana superio-*

rem. Videtur esse epexegesis verborum antecedentium. Ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ h. l. est amor Christi erga nos. Ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως, *omni cogitatione humana superior; nam* ὑπερβάλλειν, *superare*, non tantum Accusativo, sed etiam Genitivo, construitur. ἵνα πληρωθῆτε — θεοῦ) *Grotius* explicat: *Ut impleamini omnibus illis donis, quibus Deus implere homines solet.* Πλήρωμα τοῦ θεοῦ, *plenitudo, repletio, copia Dei*, i. e. thesaurus bonorum, quae Deus dat. Εἰς pro ἐν. Non multum differt *Noesselti* interpretatio, (fasc. 2. p. 243.) cui πᾶν τὸ πλήρωμα sunt dona universa, inprimisque intelligentia voluntatis divinae, quae Christianis concessa est per doctrinam Christi. Cf. infra c. IV, 10., ubi Christus dicitur πληρῶσαι τὰ πάντα, eodem sensu, et Col. I, 9.

20. Τῷ δὲ δυναμένῳ — νοοῦμεν) *Ei qui multo maiora efficere potest, quam nos precibus efflagitamus et intelligimus.* Ὑπὲρ, *ultra, plus.* Ὑπερεκπερισσοῦ ὧν, pro ἐκείνων ἅ. Genitivus ὧν pendet ex voce μᾶλλον, quae, ut universe crebro omittitur, ita etiam h. l. ad ὑπερεκπερισσοῦ cogitando adiungenda est. Est autem vox ὑπερεκπερισσοῦ αὐξητική, ut 1 Thess. III, 10., et illud ὑπὲρ ante ἐκ περισσοῦ idem valet, quod λίαν (Marc. VI, 51.), totaque locutio exprimit latinum: *maxime, plurimum.*

21. Αὐτῷ — Ἰησοῦ) Varie leguntur haec verba. Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, habent nonnulli Codices, Versiones et Patres. Alii: ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ. Si verba ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ sunt genuina, iungi possunt sequentibus, pro ἐκκλησίᾳ Χριστῷ Ἰησοῦ.

Possunt vero etiam per se explicari, ut ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ sit *per Christum*, propter quem nostra gratiarum actio Deo est grata, Rom. I, 8. VII, 25. εἰς πάσας — τῶν αἰώνων) lunctae sunt duae formulae synonymae, hebr. דור ודור et עולם עולמים, ut *summa aeternitas* quanta mente quidem humana cogitari potest, exprimeretur. Finitur pars prior epistolae.

CAP. IV.

In priore parte Apostolus maxime in eo versatus fuerat, ut declararet, etiam Gentilibus religionem christianam esse destinatam, ostenderetque, quanti hoc beneficium sit aestimandum. Nunc autem sequuntur variae exhortationes. Vs. 1—6. hortatur Paulus ad vitam homine christiano dignam, inprimis vero ad mutuam concordiam.

1. Παρακαλῶ — ἐκλήθητε) *Obtestor igitur vos, ego vinctus propter Dominum, ut vitam agatis dignam professione doctrinae, quam professi estis.* Ἐν κυρίῳ, pro διὰ τὸν κύριον, ut c. III, 1. ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ. Potest vero etiam ἐν κυρίῳ referri ad παρακαλῶ, *nomine Iesu Christi vos obtestor.* Κλῆσις, *vocatio, invitatio* ad religionem christianam, h. l. est *institutio* (nam per institutionem Ephesii invitati erant); vel ipsa doctrinae professio, quae est huius institutionis consequens. Ex *Koppii* sententia κλήσεως nomine hic exprimitur *omnis felicitas, Christianis, maxime in regno Christi futuro, promissa et parata.* Debent nempe Christiani vivere, ita ut par est

vivere eos, quos tanto beneficio affecit Deus. Sed haec significatio est contextui minus conveniens: et parum commoda phrasis, vitam agere dignam felicitate.

2. Μετὰ — ἐν ἀγάπῃ) *Cum omni modestia et lenitate, cum indulgentia, ita ut toleretis vos invicem, amore compulsi.* Inter Iudaeo- et Ethnico-Christianos facile oriri poterant dissensiones, et in plerisque coetibus ortae erant. Quapropter Paulus Ephesios hortatur ad mutuam concordiam. *Modestia* vel humilitas maxime decet homines, qui omnia vera bona Deo se debere sentiunt. *Lenitatis* est, non moveri ob res leves; μακροθυμίας, etiam in gravioribus cohibere iram. ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ) Ἀνέχεσθαί τινος, *patienter ferre aliquem* i. e. ignorantias eius et errores. Ἐν ἀγάπῃ, *liebreich.* Constructio est, quasi non dixisset περιπατῆσαι, sed in Imperativo περιπατεῖτε.

3. Σπουδάζοντες — τῆς εἰρήνης) *Operam date, ut animorum consensus servetur vestro studio pacis.* Ἑνότης τοῦ πνεύματος, animorum studiorumque consensus, inprimis in religione. Σύνδεσμος τῆς εἰρήνης, vinculum tranquillitatis, i. e. tranquillitas, quae est vinculum societatis. Est tropus omnibus linguis communis. Ovid. Metamorph. I. 25. *Dissociata locis concordi pace ligavit.* Nempe in εἰρήνη ipsa est σύνδεσμος sc. ἀνθρώπων. Alii τὸ πνεῦμα interpretantur *corpus spirituale, ecclesiam;* alii *religionem ipsam.*

4. Ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα) Sc. ἐστὲ. *Vos unum corpus,* (una societas) *estis, et unus animus esse debetis.* Πνεῦμα h. l. esse *animum,* contextus docet, et

supplendum est: *debetis*. Nam sequuntur argumenta, cur Christiani debeant colere pacem et concordiam. Alii πνεῦμα explicant de spiritu sancto, ut sensus sit: *Unum spiritum accepistis*, idem spiritus vos omnes regit. καθῶς καὶ — κλήσεως ὑμῶν) *Quemadmodum etiam, quum Chrstiani facti estis, eandem spem* (aeternae felicitatis) *estis adepti.* Κλῆσις nunc est *felicitas*, et ἐν pro εἰς. Si alii eandem nobiscum habent spem, fruuntur eodem iure, non sunt a nobis contemnendi.

5. Εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα) Sc. πάντων, v. 6. Unum eundemque Dominum omnes colimus; unam profitemur religionem; uno eodemque baptismatis ritu ad religionem sumus initiati. Κύριος, Dominus noster Iesus Christus. Πίστις, *fidei regula, religio.* Aliis est fiducia in Christi erga nos amore collocata. Ceterum ex his appositis patet, Christum hic considerari, tanquam auctorem novae huius religionis, et felicitatis aeternae.

6. Εἷς θεὸς, καὶ πατὴρ πάντων) *Omnes eundem Deum, omnium rerum auctorem, colimus.* Non colitis multos Deos sicut olim, quum essetis idololatrae. Unus est Deus, omnium rerum creator, gubernator, et Dominus. Vide annotata ad 1 Cor. VIII, 6. ὁ ἐπὶ — πᾶσιν ὑμῖν) Alii legunt ἡμῖν. Ὁ ἐπὶ πάντων, i. e. ἐπάνω πάντων, omnibus superior, qui imperium in nos omnes habet. Διὰ πάντων, per omnes diffundit providam suam gubernationem. Ἐν πᾶσιν ὑμῖν, inter vos operatur, et omnia bona efficit, per Spiritus sancti dona, et doctrinam salutarem. Sensus est: *Unum colimus Deum, cui et vos omnes debetis omnia.* De-

bet igitur inter nos, cultores eiusdem religionis, eiusdem Dei unius, esse summa animorum coniunctio.

7. Ἑνὶ δὲ — τοῦ Χριστοῦ) *Unicuique tamen contingunt beneficia gradu pro libera benignitate Christi diverso.* Nunc docet Paulus, quamvis magna sit diversitas donorum et munerum inter Christianos, conservandam tamen esse consensionem animorum, et mutuorum officiorum. Ἡ χάρις, ut saepius, denotat beneficia omnia, quae Christianis per religionem contingunt. Δωρεὰ, *libera benignitas.* Quia obiici poterat, non eadem omnibus contigisse, respondet, diversitatem tantum esse graduum, eamque sapientissimam et necessariam. Verba κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ sic etiam reddi possunt: *pro modo doni, quod Christus tribuit.*

8. Διὸ λέγει) plerique supplent: ἡ γραφή, et verba sequentia e Ps. LXVIII, 19. desumta esse putunt. Διὸ, nempe ut indicaretur, Messiam eum fore, qui dona Spiritus divini aliquando largiturus sit hominibus. Sed hic magna se offert difficultas. Nam Psalmus nihil continere videtur de Messia, eiusque in coelum ascensu. Videtur potius hymni componendi occasionem dedisse translatio arcae foederis in montem Sionem, superatis Iebusaeis, expugnata arce, ac reliquiis veterum Palaestinae incolarum fere exstirpatis, de qua re vid. 2 Sam. VI, 1. 1 Chron. XVI, 2. Saltem locus Psalmi, si in se spectetur, nulla loci Paulini habita ratione, alium sensum habet, ut statim ostendetur. Variae igitur sunt interpretum sententiae de Apostoli consilio in adducendo hoc loco. Ex *Grotii* aliorumque sententia, Paulus my-

stice interpretatur locum Psalmi. *Moldenhawerus* in annotationibus ad Ps. tabernaculum fuisse typum Christi dicit, ideoque recte de Christo hunc locum explicari. Alii existimant, Apostolum usum esse hoc loco, quod sciret, eius de Messia huiusque in coelos ascensu interpretationem suo tempore inter Iudaeos receptam et probatam fuisse. Secundum alios, inter quos *Zachariae*, dignus qui hic conferatur, in paraphrasi Epistolae ad Ephesios, Paulus per accommodationem utitur loco Psalmi. Quod nempe divinus vates de Deo Sionem, sedem quasi regiam occupante, canit, id etiam sensu augustiore de Christo, coelum occupante, valet. Verba: διὸ λέγει itaque sic accipi possent: quod scriptura de Deo Ps. LXVIII. improprie dicit, id proprie de Christo dici potest. Huc quadrat, quod divinus vates canit. Hanc sententiam confirmare videtur ipsa verborum Pauli structura, quae non plane congruit cum verbis Psalmi, ut ex sequentibus patebit. *Storrio* Paulus hunc locum aliunde petiisse videtur, nimirum ex carmine, quod ab Ephesiis cantitari sciret, cuius auctor christianus verba quaedam a Psalte supra laudato mutuatus, sed iisdem pro suis usus fuisset, itaque congruenter suo consilio alia immutasset, alia certe, quamvis in Psalmo antiquo spectarent alio, in celebratum ab ipso abitum Christi in coelos transtulisset. Extitisse inter Ephesios christianos eiusmodi carmina, tum universe ex c. V, 19., tum maxime ex v. 14. intelligitur, ubi haec ipsa formula: διὸ λέγει *(darum heisst es,)* usurpatur, et non laudando Veteris T. dicto, quale non extat, sed christiano carmini inservit. Est tamen mera coniectura. Haud dubie est accommodatio, vel, si nomen displicet, dicamus: Paulus transtulit verba

nonnulla Psalmi ad suam rem. Hanc sententiam, ut iam monui, ipsa verborum Pauli structura confirmat, quae non plane cum verbis Psalmi congruit. ἀναβὰς—ᾐχμαλωσίαν) *Ascendens in altum, captivam duxit magnam captivorum turbam.* Αἰχμαλωσία, שְׁבִי, non est *captivitas*, sed turba captivorum, ut Num. XXXI, 12. In Psalmo haec et sequentia verba in secunda persona leguntur: עָלִיתָ לַמָּרוֹם שָׁבִיתָ שֶׁבִי, *in altum evectus es, captivos tenuisti*, i. e. victor omnium evasisti. Sed Paulus tertiam personam, qua ipse uti instituerat, pro secunda, quae in Psalmo legitur, substituit, מָרוֹם in Psalmo non est *coelum*, sed Sioniticus mons, quem Deus quasi sedem perennem occupavit, quum arca foederis eo transferretur. *Captivi* sunt Iebusaei, ac reliquiae veterum Palaestinae incolarum, quorum multi forsan captivi post regem ducebantur, quum arca foederis in pompa solenni educeretur in montem Sioniticum. Haec a Paullo applicata ad Christum hunc habent sensum: *Evectus in coelum, hostes* (regni sui, religionis suae) *devincit.* Hostes Christi autem sunt omnia impedimenta religionis, et felicitatis Christianorum. Vid. notata ad 1 Cor. XV, 25. s. καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις) Cohaerent haec verba superioribus v. 7. κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ et intelligenda sunt de beneficiis atque donis Spiritus Sancti, quae per Christum distribuenda erant hominibus. In Hebraeo: לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם, *munera* a devictis gentibus dari solita, *accepisti*, a rebellibus quoque et refragariis gentibus. Omnes te colunt sacrificiis, et te superiorem venerantur. Vid. *Ioh. Christoph Doederlein* et *Ern. Frid. C. Rosenmülleri*, filii mei, Scho-

lia ad h. l. Habent etiam LXX. convenienter textui hebraico: ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώπῳ, ut itaque *Deus* dicatur accepisse oblata sibi ab hominibus munera. Noster mutavit verba in ἔδωκε δόματα, et transtulit locum ad suam rem, ostendens, Christum in coelum reducem, dona varia et munera suis tribuere.

9. Τὸ δὲ ἀνέβη — τῆς γῆς) *Quando vero dicitur ascendisse, quid hoc infert aliud, quam quod ante descenderit in terram?* Hic Paulus omnino videri posset ex loco Psalmi ducere argumentum, ita, ut statuat, Davidem ipsum de Messia cogitasse, quum ista scriberet. Quoniam vero contextus Psalmi huic opinioni repugnat, alii Paulum ostendere existimant, quid ex verbo ἀνέβη deducendum sit, si *proprie* sumatur, quemadmodum omnino sumendum sit, si de Christo usurpetur, quum contra Deus in libris V. T. nonnisi *improprie*, et sensu maxime poëtico de coelo descendisse dicatur. Sed videtur Paulus transferre nonnulla Psalmi verba ad suam rem, non autem argumentum ex iis deducere. Negari tamen non potest, in epistolis Paulinis occurrere argumentationes plures similes, in quibus nos, Iudaeorum interpretandi rationi non adsueti, haeremus. Πρῶτον, i. e. πρότερον, *antea*. Εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ, cf. Ies. XLIV, 23. Plurimi interpretantur de *inferis*, περὶ τοῦ ἅδου, *sepulcro*, *umbrarum regno*. Haec significatio non raro obtinet in libris V. T. e. g. Ps. LXIII, 10. Ezech. XXVI, 10. XXXII, 18. Sic sensus esset: De eodem Christo, *qui antea mortuus fuerat*, dicitur, eum ascendisse in coelum, ut sepulcrum, vel status mortuorum, et coelum sibi opponantur. Nam lo-

cum damnatorum haec phrasis nuspiam in S. litteris denotat. Alii τὰ κατώτερα τῆς γῆς (nam μέρη deest in multis) *de tellure ipsa* explicant, ut verba τῆς γῆς tanquam explicandi caussa apposita illis: τὰ κατώτερα, accipiantur pro: τὰ κατώτερα, τοῦτ' ἔστι, τὴν γῆν. Nam in vocibus τὰ κάτω, τὰ κατώτερα, hebr. תַּחַת, iam est descriptio *terrae*, oppositae *coelo*, quod modo vocaverat ὕψος. Τῆς γῆς explicandi caussa addi potuit. Nec male; nam altitudo et profunditas, coelum et terra, constanti usu hebraeo opponuntur. Locus Ies. XLIV, 23. Koppio huc non pertinere videtur, quia תַּחְתִּיוֹת הָאָרֶץ non *coelo* sed *montibus* opponantur, *valles*, *depressiores terrarum regiones*. Sed per תחתיות ארץ omnino intelligi debere ipsam *terram*, non solum ex eo patet, quod distinguuntur diserte ab *coelo*, verum etiam inde, quia post תחתיות ארץ memorantur a vate, et appellantur partes terrae, et ea, quae in terris sunt, montes scilicet, et sylvae, et arbores, ita ut ab eo necesse sit ante nominatam esse ipsam illam mundi partem, quae tumens montibus, sylvisque et arboribus vestita superbit, hoc est terram. Ergo Phrasis καταβῆναι εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, de Christo usurpata, significat, eum *descendisse in terras*, h. e. *hominem factum*, *in terris versatum*, *mortuum*, *humatumque esse*, *et ab inferis extitisse*. Io. XII, 46. XVI, 28. Κατώτερα habet vim Positivi, non Superlativi. Vid. *Fischerus* de vitiis Lexic. N. T. p. 45. sqq. Qui per τὰ κατώτερα τῆς γῆς *uterum matris* intelligunt, et totum hunc locum de *conceptione Iesu* explicant, provocant ad Ps. CXXXIX, 15. Sed ibi בתחתיות ארץ vertendum vi-

detur: *in ipsis terrarum recessibus*, in quibus nimirum prima corporis humani stamina ex limo vel pulvere efformari, perpetua fuit hebraeorum poëtarum opinio. Deinde etiam (ut recte monet *Fischerus* l. c.) nec *uterus* opponi ullo modo per rerum naturam *coelo* potest, nec verbum καταβῆναι est eiusmodi, ut lectores de *utero* potissimum cogitare cogat.

10. Ὁ καταβὰς — τῶν οὐρανῶν) *Qui descenderat* e coelo in terram, *is ipse ascendit in summum coelum.* Sensus huius loci est *vel:* eundem Iesum rediisse ad coelum summum, qui eo deserto in terris humilis fuerat; *vel:* eundem esse ad summam dignitatem evectum, qui antea se ad sepulcri adeo humilitatem demiserat. Cogitare debemus, eum quem Dominum nostrum veneramur, esse hunc eundem, quem novimus in terris vixisse, aut sepultum esse. Hac autem re in facto posita, (puta, quod Christus in coelum sublatus est,) adspectabile reddebatur, quod alibi verbis docetur, Christum omnibus vel summis ac celsissimis esse superiorem, moderatorem universi. ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν) Plura coela apud Iudaeos distincta sunt. Qua de re vid. not. ad 2 Cor. XII, 2. ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, *ut omnes repleret bonis*, ut cuiusvis nationis et conditionis homines beneficiis ornaret, et dona distribueret. Τὰ πάντα, neutrum pro masc. ut saepe in his libris. De verbo πληροῦν vid. supra c. I, 23. III, 9.

11. Iam declaratur exemplis, quod v. 7. dictum erat. Sensus huius loci est: Christus constituit doctores, ut semper esset occasio docendae, discendaeque

religionis, atque Christiani omnes possent fieri intelligentiores qua *scientiam*, certiores qua *persuasionem*, et meliores, qua *praxin*. Καὶ αὐτὸς — ἀποστόλους) *Et ipse nonnullos quidem constituit Apostolos.* Ἔδωκε, pro τέθεικε, ἀπέσταλκε, hebr. נָתַן. De *Prophetis* vide 1 Cor. XIV, 1. τοὺς δὲ εὐαγγελιστὰς) Εὐαγγελισταὶ bis occurrunt in N. Test. praeter hunc locum, Act. XXI, 8. et 2 Tim. IV, 5. In posteriori loco videtur universe dici εὐαγγελιστὴς, pro διδάσκαλος, vel διάκονος τοῦ εὐαγγελίου. Nostro vero loco, ut Act. XXI, 8., Evangelistae videntur esse doctores ii, qui non certo quodam loco habitant, sed laetum nuntium de Messiae adventu et regno variis locis tradebant. Nihil tamen certi in hac re statui atque definiri potest. τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους) Ποιμένες videntur esse iidem, qui alias ἐπίσκοποι dicuntur, qui certis ecclesiis praeerant, disciplinae inprimis ecclesiasticae curam agentes. Ποιμὴν, in genere *praefectus quilibet*, Ier. III, 15. et aliis locis, quo etiam pertinet Homericum illud ποιμένας λαῶν. Apud Iudaeos in specie *pastores*, פַּרְנָסִים, vocabantur *gubernatores Synagogarum*. Iidem, si docendo essent idonei, vocati sunt etiam διδάσκαλοι. Potuerunt tamen proprie ita dici alii etiam ad docendum potissimum constituti in ecclesiis singulis, sapientia aut eloquentia prae ceteris conspicui.

12. Πρὸς τὸν καταρτισμὸν—τοῦ Χριστοῦ) *Ut Christiani probe instructi et idonei reddantur, ut item ministri Christi in emolumentum coetus Christiani occupentur.* Sic vertit *Morus*, qui in ultimo summae eruditionis specimine, in dissertatione a. 1792. scripta *locum epistolae Paulinae Ephes.* IV, 11—17.

optime illustravit. Doctores introductos esse *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων*, significat, eos ideo adesse, *ut per eos Christiani probe instructi reddantur et idonei.* Nam graece *ἄρτιον, ἐξηρτισμένον, κατηρτισμένον* dicitur, quicquid instructum est iis omnibus, quae habere debet, quicquid ita institutum, ut sit tale, quale esse debet, integrum, ideoque aptum et idoneum ei rei, cui destinatum est; unde pro diversitate rerum, de quibus sermo est, varie verti potest, *integrum, perfectum, ad finem perductum, redditum integritati, aptum et idoneum, bene instructum.* Ergo doctores e consilio Christi funguntur munere *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων*, qui id agunt, ut Christiani ad *ulteriorem scientiam* rerum divinarum provehantur, ut *certam persuasionem* de iis adipiscantur, ut denique per ea, quae ipsi habent, *aliis amanter inservire* adsuefiant. Hoc enim velle Apostolum, ex omni orationis serie (v. 13 — 17.) intelligitur. *Εἰς ἔργον διακονίας, ut sint, qui munere ministrorum fungantur.* Διακονία h. l. de cuiuscunque doctoris christiani munere usurpatur, ut 2 Tim. IV, 5. Ἔργον est id, quod est faciendum, ut muneri satisfiat, *functio sancti muneris*, nisi malis *ἔργον* pleonastice esse positum, ut *ἔργον διακονίας* idem sit, quod *διακονία*. *Εἰς οἰκοδομὴν* refer ad *ἔδωκε*, ut modo *εἰς ἔργον διακονίας*. Οἰκοδομεῖν, cum derivatis *οἰκοδομὴ, οἰκοδομία*, neglecta omni etymi ratione est simpliciter: *facere ut res melior et perfectior evadat.* Σῶμα τοῦ Χριστοῦ, i. e. *ἐκκλησία*, quae melior et perfectior efficitur iustituendis et ad virtutes omnis generis cohortandis Christianis.

13. Μέχρι *καταντήσωμεν—πληρώματος τοῦ* Χριστοῦ) *Donec omnes ad parem fidem cognitionemque Filii*

Dei perveniamus, et aetatem virilem terminumque iustae aetatis christianae attingamus. Καταντᾷν, *occurrere*, cum εἰς constructum significat *pervenire*, ut Act. XVI, 1. Sed difficilis est quaestio, quid sit pervenire εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ ἐπιγνώσεως. Varias de sensu huius loci sententias enumerat et diiudicat *Morus* in dissertatione laudata. Ipse arbitratur, Paulum hortari doctores singulorum coetuum, id agere, ut Christiani omnes ac singuli, unus aeque ac alter, in quolibet coetu ulterius provehantur, donec nemo relinquatur tiro et plane inscius; ut omnes ac singuli in quovis coetu, non magis unus quam alii, firmiores reddantur, donec nemo relinquatur, qui plane incertus inter dubitationes iisque permissus fluctuet, nec certius doctrinam sciat, quam olim sciverat. Οἱ πάντες, ut tota orationis series docet, non sunt omnium nationum homines, Iudaei paganique avocandi a suis de religione opinionibus falsis, et adducendi ad unam eandemque religionem christianam, sed iidem, quos Apostolus paullo ante τοὺς ἁγίους et τὸ σῶμα Χριστοῦ appellaverat. Hi autem omnes erunt pares, habebunt ἕν, seu πίστεως et γνώσεως ἑνότητα, si nullus plane inscius, nullus plane incertus relictus est, sed omnes dici possunt suo quisque modo provectiores. Itaque ἑνότης rectius vertitur *paritas*, quam *unitas*. εἰς ἄνδρα τέλειον) *Ad maturam viri aetatem*, pro: εἰς τελειότητα ἀνδρὸς. Sic apud Profanos νήπιος et τέλειος opponuntur, e. g. apud *Polybium*, Hist. IV, 29. ἐλπίσαντες ὡς παιδίῳ νηπίῳ χρήσασθαι τῷ Φιλίππῳ, εὗρον αὐτὸν τέλειον ἄνδρα. Metaphorice Paulus aliique scriptores solent dicere τελείους ἄνδρας, eos, qui ad altiora discendo processerunt, ut iam ambitum et nexum rei perspiciant,

et de re sibi plane persuasum habeant, eamque transferre ad usum possint, qui item agunt libentius, fortius, constantius .Quae cum dicuntur de homine christiano, aut cum τέλειος ἀνὴρ ἐν Χριστῷ dicitur, apparet hunc intelligi, qui omnia capita doctrinae christianae, in sacris literis saepe tradita sic, ut a Christianis assensus postuletur, clarius, uberius, certius cognoscit, sapientius iis ad pietatem utitur, et ita de die in diem pietatis incrementa capit. Εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος Χριστοῦ, *ad terminum iustae aetatis christianae.* Ἡλικία de aetate omnino dici solet, ideoque μέτρον ἡλικίας est gradus certus aetatis, numerus annorum certus. Obscurius est, quid μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος Χριστοῦ coniunctim indicet. Ex haud paucis sententiis hoc de loco propositis, ea inprimis a facilitate se probat, quae ἡλικίαν τοῦ πληρώματος construendo iungit, et vertendum censet: *expleta aetas, iusta aetas,* ut si Paulus ἡλικίαν πεπληρωμένην scripsisset. Constat enim, Hebraeos de tempore non modo labente, sed et elapso loquentes uti verbo מָלֵא, et ad illius similitudinem graeca πληροῦσθαι, πληρωθῆναι, πλήρωμα, a Iudaeis usurpata esse. Per Hebraismum autem duo substantiva sic iunguntur, ut modo prius, modo posterius, vertendo in adiectivum mutandum sit, ideoque ad imitationem hebraicae linguae *expleta aetas* dici possit, aut πλήρωμα ἡλικίας, (ut Gal. IV, 4. πλήρωμα τοῦ χρόνου est χρόνος πεπληρωμένος,) aut ἡλικία τοῦ πληρώματος, ut Ps. XLV, 7. ἡ ῥάβδος τῆς εὐθύτητος est ἡ ῥάβδος εὐθεῖα, *rerum moderamen iustum.* Genitivus ille Χριστοῦ ideo additus est, ut moneretur, non dici hic de expleta aetate significatu pro-

prio, physico, civili, sed translato, i. e. quoad aetas matura ad Christum refertur, aut est aetas matura *respectu Christi*, sensu christiano. Cf. Col. II, 11. Intelligitur itaque sive maior scientia, iustaque persuasio, *quam Christus postulat*, sive ad quam provehimur *Christo iuvante*, sive etiam *in rebus, quae ad Christum pertinent*, ἐν τῇ πίστει καὶ ἐπιγνώσει τοῦ Χριστοῦ.

14. Ἵνα μηκέτι — τῆς πλάνης) *Nec amplius pueri simus, qui fluctuent, et quavis institutionis aura circumagantur per hominum inconstantiam versutiamque, ad fallendi artes compositam.* Νήπιοι, opponuntur ἀνδράσι τελείοις, et sunt infirmi fide et cognitione veritatum salutarium. Κλυδωνιζόμενοι, i. e. ταραττόμενοι ὡς ὑπὸ κλύδωνος, *tanquam a procella et fluctibus agitati.* Lat. *fluctuantes animo.* Ios. Ant. IX, 11, 3. ὁ δήμος ταραττόμενος καὶ κλυδωνιζόμενος οἰχήσεται φεύγων. Ἀνέμους διδασκαλίας, i. e. διδασκαλίαι κεναί, doctrinae vanae Sophistarum et doctorum Iudaicorum. Μηκέτι ostendit non tantum, quod evenire poterat, sed et quod multis Ephesi evenerat; doctrinis enim partim Philosophorum, partim Iudaeorum concussi, et huc illuc iactati fuerant, tanquam procellis. Κυβεία a κύβος, *cubus*, deinde *tessera*, in ludo aleae; unde κυβεύειν, *in alea tesseris ludere*, et κυβεία, *ludus ipse.* Transfertur autem κυβεύειν a plerisque ad circumventiones et fraudes, ut sit ἐξαπατᾶν, *illudere;* nam in aleae ludo solent simpliciores circumveniri. Sed hanc explicationem repugnare usui loquendi, ostendit *Morus* in dissert. posteriori ad h. l., qui etiam verbum κυβεία, cum coniugatis, triplicem significatum metaphoricum accipere

pluribus exemplis docet. Nempe per verbum κυβεύειν exprimitur interdum *incerto casui et periculo rem exponere*: interdum indicatur, *inconstantem aliquem, variabilem, lubricum esse:* denique significatur, *specie praetexenda ludificari alios.* Κυβεία a Paulo reprehensa sine dubio est *inconstantia*, et *anceps disciplina*, modo haec, modo illa probans, nec relinquens, in quo tandem firmo veluti gradu consistatur. Sic Epiphanius (adv. haer. T. I, p. 665. ed. Petau.) Manichaeis tribuit διδασκαλίαν κυβευτικήν, eam ob caussam, quod in Manetis disciplina omnia sint ἀσύστατα καὶ ἀσυνάρτητα, ita ut, quod positum sit, id mox tollatur, quod modo sit aedificatum, id rursus destruatur. Eandem significationem voci κυβεία tribuerunt veteres graecae ecclesiae doctores. In *Catena Oecumenii:* Κυβευταὶ λόγων λέγονται, οἱ ποτὲ μὲν τοῦτο, ποτὲ δὲ ἐκεῖνο διδάσκοντες, καὶ μεταβαίνοντες ἀεὶ ἀπὸ τούτου εἰς τοῦτο πανούργως. *Theodoretus:* κυβείαν γὰρ τὴν πανουργίαν καλεῖ, πεποίηται δὲ ἀπὸ κύβων τὸ ὄνομα, ἴδιον δὲ κυβευόντων, τὸ τῇδε κακεῖσε μεταφέρειν τὰς ψήφους, καὶ πανούργως τοῦτο ποιεῖν. Hi et alii quin intellexerint inconstantiam et fluctuationem disciplinae, quae audientes huc illuc incertos verset, vix dubitari potest, praesertim quum Epiphanii locus declaret, usu tritum fuisse, ut eiusmodi doctoribus διδασκαλία κυβευτικὴ tribueretur. Veram hanc esse huius loci interpretationem, contextus etiam confirmat. Describuntur enim tales doctores, quorum auditores erant κλυδωνιζόμενοι καὶ διδασκαλίας ἀνέμῳ περιφερόμενοι. Eiusmodi disputatores solent etiam habere hoc, ut sint πανοῦργοι, astuti ad mentes labefactandas, abstrahendasque a concepta sententia: quapropter bene iunxit Paulus κυβείαν et πανουργίαν, non

quo haec sint synonyma, sed quod res sunt connexae, et inconstans eiusmodi ac lubricus doctor ea ipsa re astute fallit. Iisdem doctoribus periculosis Paulus tribuit πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, *versutiam ad methodum deceptricem*, seu eos esse *ad artes fallendi versutos* conqueritur. Verbum μεθοδεία, (apud probatos scriptores graecos non obvium,) factum est ad formam verborum ἐφοδεία et περιοδεία. Et ut horum vis, *circuitio*, e verbis ἐφοδεύειν atque περιοδεύειν, *circuire*, secure concludi potest, ita e verbo μεθοδεύειν, quod est *certa via et ratione in aliqua re versari*, *methodo uti*, facile colligi potest, μεθοδείαν per se esse facultatem et consuetudinem faciendi aliquid via et ratione certa, et, si in malam partem capiatur, *artem fallendi*, *modum scienter fallendi*. Inde *Hesychius*: μεθοδείας, τέχνας. *Suidas*: μεθοδείας, τέχνας ἢ δόλους. Quum deinde Paulus μεθοδείαν τῆς πλάνης, hoc est, μεθοδείαν πλανῶσαν dixerit: tanto magis intelligitur, describi *methodum deceptricem*, artem ad fallendum compositam, aptam ad id, ut certa ratione et artificiosius implicentur alii erroribus.

15. Ἀληθεύοντες δὲ — ὁ Χριστὸς) *Sed ut, genuino amore pleni, ex omni parte incrementa capiamus, cum respectu ad eum, qui nobis praeest, Christum.* Ἀληθεύειν i. e. ἀληθῆ, ἀληθινὸν εἶναι, *verum* esse, in sentiendo, loquendo, agendo. *Philo* de Spec. legg. p. 787. C. μὴ κατεψευσμένον τὸ πάθος, ἀλλ' ἀληθεύον, *non fictus amor, sed verus.* Quum ἀληθεύειν hic oppositum sit τῇ πλάνῃ, ad verae doctrinae Christianae studium et professionem referri, et ἐν

ἀγάπῃ *concordiam* significare potest, ut Paulus itaque velit, amorem veri ita comparatum esse debere, ne obsit concordiae, mutuoque Christianorum amori. Potest vero etiam ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ verti: *sincere alios diligere;* vel, (ut Morus vertit,) *genuino amore plenum esse;* nam ἀληθεύειν significat etiam *integrum et sincerum esse*, ut supra monitum. Tum *genuinus amor* est, in quo conspirant sensus animi et facta; et ille nominatim intelligitur amor, qui movet quemque, ut sua bona conferre in aliorum usus non recuset, ut velit alios etiam participes eorum reddere, ut ita tandem universae societati consulatur. *Noesselt* (fasc. I. p. 254.) eam significationem verbi ἀληθεύειν praefert, qua de cognitione eius, quod proprie *verum* est, dicitur, sive de recta cognitione; propterea, quod Apostolus τοὺς ἀληθεύοντας perspicue disiungat ab iis qui (v. 14.) erant νήπιοι κ. τ. λ. Si hoc sumimus, Paulus commendat doctoribus veritatis studium, quod sit ἐν ἀγάπῃ, *cum amore coniunctum*, quae admonitio haec duo complectetur: ut et aequitatem, iustitiam, lenitatem ac misericordiam sequamur, et in proponenda defendendaque veritate ita caute versemur, ut non plus detrimenti quam adiumenti capiat res publica christiana. αὐξήσωμεν τὰ πάντα) *Ex omni parte incrementa capiamus.* Nam τὰ πάντα positum esse videtur pro κατὰ τὰ πάντα, ut plures Latinorum ceperunt, qui habent, *crescere per omnia.* Itaque αὐξεῖν τὰ πάντα erit *omnis generis incrementa capere*, in omnem partem proficere, scientia, persuasione, virtute. Εἰς Χριστὸν, i. e. *respectu ad Christum*, idque hoc sensu, illos profectus et illa incrementa referri ad Christum. Referuntur autem ad eum profectus nostri, quia illi

debentur, quia ille procurat, ut profectus faciamus, quia exhibet conservatque doctrinam suam in id, ut locus sit profectibus, quia ab illo quaerendi sunt et exspectandi, convertendi denique in eius laudem, in usus ecclesiae, convenienter eius voluntati, ut εἰς Θεὸν Rom. XI, 36. et εἰς Χριστόν Eph. I, 5. Coloss. I, 20. Κεφαλὴ vocatur Christus, quia nobis praeest, quia est Dominus ecclesiae.

16. Ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα — εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ) *Ex quo* (cuius vi et virtute) *universum* ecclesiae *corpus, coniunctum et copulatum per diversas commissuras inter se adiuvantes, pro modo quo unum quodque membrum aliquid operatur pro virili, crescit, ut per amorem perfectius evadat.* Pulchra haec allegoria docet, quemadmodum a capite partes corporis universae vitam, vigorem, motionemque trahunt, ut singulae singulas mutuo ministerio adiuvent: sic universum Christi corpus inter se ita concretum et coniunctum esse, virtute ea, quam a Christo, tanquam capite ducat, ut pars quaeque alteri modo suo vigorem sufficiat, quo crescere et incrementa capere omne corpus possit. Eleganter *Morus* hoc comma ita vertit: *Quo quidem* (Christo) *moderante integer coetus, multifario ministrandi vinculo cohaerens et copulatus, incrementa suo ipsiusmet commodo ita capit, mutui amoris beneficio, ut quilibet sodalis sua pro suo modulo agat.* Πᾶν τὸ σῶμα τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται, hoc est, *coetus capit incrementa sui ipsius;* quasi Paulus scripsisset: τὸ σῶμα τὴν αὔξησιν αὐτοῦ ποιεῖται. Nempe bis posuit idem substantivum, *corpus corporis incrementa capit*, quum altero loco reciprocum pronomen fuisset

ponendum, *corpus sui incrementa capit;* more Hebraeis usitato. Dicitur autem *coetus integer necti, singulis sua in commune conferentibus;* quod exprimitur his tropicis verbis, τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς, *cohaeret corpus colligaturque iunctura multiplici.* Συναρμολογεῖν, i. e. συναρμόζειν, et συμβιβάζειν sunt Synonyma: *coniungere, coagmentare, compingere.* Ἁφὴ, *iunctura,* ab ἅπτειν, nectere. Facile intelligitur, iuncturam seu nexum socialem comparari cum ligamentis, corporis articulos et membra nectentibus. Ἁφὴ τῆς ἐπιχορηγίας, *iunctura suppeditationis* est, iunctura, quae inest in suppeditando, quae hoc loco constat eo, quod quisque suppeditat aliquid in usus communes: tanquam si quis societatem tropice nominet corpus, et hoc corpus contineri dicat vinculis officiorum. Nam officia comparantur cum vinculis. Κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους. *Per operationem pro suo modulo uniuscuiusque partis,* (μέρους,) vel, ut alii legunt; μέλους, *membri;* i. e. dum unumquodque membrum aliquid suppeditat, *per operationem* (Wirksamkeit, Thätigkeit), ut agendo aliquid conferat ad commune bonum, et quidem ἐν μέτρῳ *uniuscuiusque,* pro suo modulo, pro suis viribus, quantum potest. Nempe Christus non ipse, nullius hominis interventu coetum suum ulterius provehit, sed per homines, per ministros quorum opera utitur, quos amor impellere debet, ut suam operam collocent in eo, quod fieri Christus vult, εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ (sc. τοῦ σώματος) ἐν ἀγάπῃ.

17. Τοῦτο οὖν—ἐν κυρίῳ) Μαρτύρομαι idem quod παρακαλῶ, *obtestor, graviter admoneo.* Ἐν κυ-

ρίῳ, per Deum, s. *per Christum*, cui haec omnia beneficia debetis. *μηκέτι—τοῦ νοός αὐτῶν*) *Ne amplius vivatis sicuti reliqui homines vivunt ex mente sua vana et improba.* Τὰ λοιπὰ ἔθνη, homines ex gentibus omnibus, ad Christum non conversi. *Vanitas mentis*, i. e. vanae, inanes opiniones. Vivunt in vanis opinionibus, qui imbuti sunt opinionibus, moralitati noxiis, die nach falschen Grundsätzen handeln. Ματαιότης saepe ponitur pro hebr. שְׁוְא תֹּהוּ, *improbitas*, Ps. XXVI, 4. XXXI, 7. Interdum הבל sinificat etiam *idololatriam*.

18. Ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ) *Quorum intellectus est obnubilatus*, depravatus; qui ignari sunt eorum quae ad religionem et salutem pertinent. Metaphorice σκοτίζεσθαι, *obscurari*, tenebris circumfundi dicitur διάνοια, *intellectus*, quum vera videndi facultate privatus, erroribus obnoxius est. Metaphora desumta est ab oculis, qui facultate videndi sunt privati. Tropus frequens. ὄντες—τοῦ θεοῦ) *Longe remoti a vita illa quae Deo probatur.* Ζωὴ τοῦ θεοῦ, vita Deo probata, sicut Ps. LI, 18. זִבְחֵי אֱלֹהִים *sacrificia Deo probata*. Philo de posterit. Cain T. I. p. 238. ἀνάγκη, τὸν ἀλόγως βιοῦντα τῆς τοῦ θεοῦ ζωῆς ἀτεσχοινίσθαι. διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς) *Propter ignorantiam* Dei et rerum divinarum, *quae ipsis inest*. Explicat id quod de tenebris modo dixerat. διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν) *Propter animi duritiem* et malignitatem. Πώρωσις, cf. Rom. XI, 7. 2 Cor. III, 1., est ἡ ἀναισθησία, stupor mentis, contumacia, qua quis rectum ne perspicit quidem et sentit.

Hesych. λέγοιτο καὶ ἐπὶ σαρκῶν πωρὸς ἡ ἀναισθησία. Durities animi igitur est, quum homo consuetudine peccandi omnem sensum boni et veri amisit. Sic et Latinis *callum obduxisse* dicuntur, qui bona monita non persentiscunt. Cf. Ies. VI, 10.

19. Οἵτινες—τῇ ἀσελγείᾳ) *Qui amisso omni sensu honesti, lasciviae dediti sunt.* Ἀπαλγεῖν, *doloris sensum amittere, keinen Schmerz empfinden.* Nihil differt a πορῶσθαι. Hesych. Ἀπηλγηκότες, μηκέτι θέλοντες πονεῖν, ἀναίσθητοι γενόμενοι, ἀποκαμόντες. Amplius explicat, quid per πώρωσιν intelligat. Sicut partes quaedam corporis a spiritu vitali destitutae dolorem nullum sentiunt, ita illis animus etiam, cum turpissima faciunt, nullo ob id dolore commovetur. Ἀσέλγεια, libido venerea. εἰς ἐργασίαν—ἐν πλεονεξίᾳ) *Ut adeo turpissima quaevis perpetrent, quaestus caussa.* Εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, pro εἰς τὸ ποιεῖσθαι ἀκαθαρσίαν πᾶσαν. Ἀκαθαρσία πᾶσα, *omnis generis lasciviae,* nefanda impuritatis scelera contra naturam, et similia, e. g. voracitas, compotatio, immensa profusio. Ἐν πλεονεξίᾳ, *quaestus caussa.* Ἐν, *propter.* Πλεονεξία, hebr. בֶּצַע, *quaestus, lucrum ipsum,* Iud. V, 19. Aristaenet. I, 14. οὔτε αὐλὸς ἑταίραν οἶδε προτρέπειν, οὔτε λύρα τις ἐφέλκεται πόρνους ἀργυρίου χωρίς. Κέρδει μόνον δουλεύομεν, οὐ θελγόμεθα μελῳδίᾳ. Hoc ideo addit Apostolus, quia multi mares etiam ob pretium se prostituebant. Sallustius: *avaritia corpus animumque effeminat.*

20. Ὑμεῖς δὲ — τὸν Χριστὸν) Χριστὸν, i. e. *doctrinam Christi.* Ἐμάθετε, pro ἐγνώκατε. Xeno-

phon hist. graec. I, 2. ἵνα ἀλλήλους μάθοιεν, ὁπόσοι εἵησαν. *Non ita didicistis doctrinam Christi*, ut liceat vobis imitari illa flagitia. Doctrina Christi quam didicistis, longe alios mores postulat.

21. Εἴγε—ἐν τῷ Ἰησοῦ) *Quandoquidem*, siquidem *eam recte intellexistis, et per eam edocti estis, quinam sit verus Christianismus.* Ἀκούειν, ut hebr. שָׁמַע saepe significat *intelligere*, ut 1 Cor. XIV, 2. et aliis locis. Ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ, videtur h. l. esse *sincerus Christianismus*, situs in iis rebus, de quibus deinceps agitur. Hoc ideo dicit Apostolus, quia post abitum suum quidam sub nomine Evangelii profanam quandam docuerant libertatem, ut et Corinthi. Aliis ἀλήθεια est *virtus*, אֱמֶת, *Rechtschaffenheit.* Καθώς ἐστι, pro ὅτι ἐστὶ. Ἐν τῷ Ἰησοῦ εἶναι, *discipulum Iesu esse.*

22. Ἀποθέσθαι ὑμᾶς—ἄνθρωπον) Edocti estis potius *vos abiicere debere veterem illam mentem* et sentiendi rationem, *convenientem priori vitae generi.* Ἀποθέσθαι Infin. ad ἐδιδάχθητε referri potest. Alii iungunt v. 17. λέγω καὶ μαρτύρομαι, ceteris omnibus parenthesi inclusis. Ἄνθρωπος, pro νοῦς, *mens*, et ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος, *mens, animus, qualis olim in vobis erat, quum nondum facti essetis Christiani, der alte, verkehrte Sinn.* Cf. annotata ad Rom. VI, 6. Ἀναστροφὴ, *vitae genus, mores.* Κατὰ τ. προτ. ἀναστροφήν, *convenientem priori vitae generi.* Fuerunt autem vel Iudaei vel gentiles. Τὸν φθειρόμενον—ἀπάτης) *corruptam cupiditatibus fraudulentis*, pravis. Ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης, concupiscentiae *fraudu-*

lentae, seducentes, quae hominem decipiunt et ad flagitia deducunt. Putat enim se vivere beate, si prava appetat et quaerat; sed hoc modo sibi nocet. Dulcis radix, sed fructus amarissimi.

23. Ἀνανεοῦσθαι — νοὸς ὑμῶν) *Renovari potius meliori sensu, qui in mente vestra est.* Πνεῦμα h. l. est melior sensus, quem accepimus per πνεῦμα, dum discimus doctrinam, Deique spiritu emendamur. Cf. Gal. V, 19. Τοῦ νοὸς additur, ut indicetur illa notitia, et ille sensus, qui est in animis nostris, ut Rom. VIII, 23., ubi ὁ νόμος τοῦ νοὸς, lex mentis, opponitur τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας, cupiditatis.

24. Καὶ ἐνδύσασθαι — τῆς ἀληθείας) *Et induere mentem novam, divinitus efformatam, ut sit virtutis studiosa et vere pia; wahrhaftig tugendhaft und fromm.* Ὁ καινὸς ἄνθρωπος, *mens prorsus immutata.* Col. III, 9. 10. Κατὰ θεὸν, pro διὰ, παρὰ, ὑπὸ θεοῦ. Alii explicant: *sensum qualem Deus postulat, congruam divinae voluntati.* Ne sic quidem male; nam κατὰ saepe similitudinem indicat, ut v. 22. Κτίζειν, *efformare*, hebr. ברא Ps. LI, 12. Ἐν δικαιοσύνῃ κ. τ. λ. i. e. ὥστε εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ ἀληθῶς ὅσιον. Δικιοσύνη, צדקה, *virtus.* Ὁσιότης τῆς ἀληθείας pro ὁσιότης ἀληθὴς, *pietas vera, haud fucata.* Philo de Abrahamo T. II. p. 30, 23. ὁσιότης μὲν πρὸς θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἀνθρώπους θεωρεῖται. *Plutarch.* Demetr. τοῦτο καὶ πρὸς θεοὺς ὅσιον, καὶ πρὸς ἀνθρώπους εἶναι δίκαιον.

25. Διὸ — πλησίον αὐτοῦ) *Quapropter abstinentes a mendaciis fraudibusque verum dicite alter alteri.*

ψεῦδος, *falsiloquium quodlibet.* Sed h. l. in hac voce latere *fraudis* significationem, apparet ex ratione adiecta. Ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ, hebr. אִישׁ, אֶת־רֵעֵהוּ, ἄλλος μετ' ἄλλου, s. μετ' ἀλλήλων. ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη) i. e. *ad mutuum auxilium nobis invicem praestandum sumus et facti et destinati.* Sicut nempe membra corporis humani non destruunt se invicem, sed iuvant, sibique mutuo prosunt; similiter nobis Christianis ab omni mutua fraude vel iniuria est abstinendum.

26. Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε) *Cavete ne irascendo peccetis.* Καὶ, pro hebr. ו, ἀλλὰ. Plena oratio esset: εἰ μὲν ὀργίζεσθε, s. ἐν τῷ ὀργίζειν ὑμᾶς, φυλάσσεσθε μὴ ἁμάρτητε. Similis constructio est Iac. V, 14. Peccatur vero tum *iniuste*, tum *intemperanter* irascendo. ὁ ἥλιος—παροργίσμῳ ὑμῶν) i. e. *ne ingruat vespera, durante adhuc vestra offensione*, ut pergatis offendere alios, et ad iram provocare; quam citissime facite finem offensionibus. Phrasis similis Deut. XXIV, 15. *Plutarch.* de am. fratr. εἶτα μιμεῖσθαι τοὺς πυθαγορικούς, οἱ, εἴποτε προαχθεῖεν εἰς λοιδορίας ὑπ' ὀργῆς, πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι, τὰς δεξιὰς ἐμβάλλοντες ἀλλήλοις, καὶ ἀσπασάμενοι διελύοντο. Παροργισμὸς saepe est ira temere contra ius fasque suscepta, h. l. vero est synonymum τῆς ὀργῆς, nam παροργίζειν, hebr. הִכְעִים, simpliciter denotat *ad iram provocare*, et de Deo ipso adhibetur, et παροργισμὸς tum est *exacerbatio*, tum vero etiam *ira ipsa*, respondens hebr. כַּעַס et קֶצֶף Ierem. XXI, 5.

27. Μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ) Haec verba duplici modo explicari possunt: 1) *Ne aures praebeatis calumniatori*, cuius calumniis nempe ad iram magis commoveri possitis. Nam διάβολος saepe est is, qui est *ad calumniandum proclivis*, 1 Tim. III, 11. 2 Tim. III, 3. Tit. II, 3. 2) *Nolite indulgere Satanae*, qui nempe pravas cupiditates quasvis, ideoque etiam iracundiam alere in animo hominis et vehementiores efficere annititur. Nam in aliis locis e. g. 2 Tim. II, 26. Hebr. II, 14. διάβολος sine omni dubio est *Satanas*. Facilior est prior explicatio.

28. Ὁ κλέπτων) Pro ὁ κλέψας. Nam Hebraei Participio praesentis etiam ad aoristos exprimendos utuntur. κοπιάτω — ταῖς χερσὶν) *Artem quandam utilem manuariam tractet.* 1 Cor. IV, 12. 1 Thess. IV, 11. Ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθὸν, *bonum facere*, ut ἐργάζεσθαι τὸ κακὸν est *malum facere;* sed quia additur ταῖς χερσὶν, est negotium vitae communis *utile* tractare. ἵνα — ἔχοντι) Laborandum esse homini, dicit, non tantum ut seipsum suosque nutriat, sed etiam ut habeat, unde possit sublevare egenos.

29. Πᾶς λόγος — ἐκπορευέσθω) Λόγος σαπρὸς, *sermo inutilis, spurcus;* interdum etiam scommata et convicia, imo calumniae, quae ab homine irato in alios evomuntur. Locum Arriani Dissert. Epict. III, c. 16. habet *Kypke* ad h. l. *Hesych.* σαπρὸν, παλαιὸν, ἀκάθαρτον. *Chrysost.* σαπρὸν, ὃ μὴ τὴν ἰδίαν χρείαν πληροῖ. Πᾶς μὴ, hebr. לא כל, *μηδεὶς. Exire ex ore* dicitur quod loquimur, Matth. IV, 4. ἀλλ' εἴ τις— χρείας) *Sed idoneus ad necessariam correctionem*

proximi. Ἀγαθὸς *aptus, idoneus.* Achilles Tatius L. IV. *ἀγαθὸν εἰς φιλίαν οἶδά σε, te idoneum esse ad amicitiam aliis probandam intellexi.* Οἰκοδομὴ τῆς χρείας, pro ἧς χρεία νῦν ἐστι. Theophylactus: ὅπερ οἰκοδομεῖ τὸν πλησίον, ἀναγκαῖον ὂν τῇ προκειμένῃ χρείᾳ. Possumus etiam vertere: *Sed utilis ad augmentum commodi nostri,* i. e. qui potest augere aliorum commodum. Ἀγαθὸς, *utilis,* χρεία, *utilitas, commodum.* Οἰκοδομὴ, *augmentum;* nam οἰκοδομεῖν saepe est *magis magisque crescere.* ἵνα δῷ—ἀκούουσι) *Ut gratus sit audientibus.* Euripid. in supplic. v. 414. ὁδ' αὖτίχ' ἡδὺς καὶ διδοὺς πολλὴν χάριν, εἰσαῦτις ἔβλαψ' *qui enim iam est suavis et dat magnam gratiam, rursus laedit.*

30. Καὶ μὴ—τοῦ θεοῦ) *Tristitia afficere Spiritum sanctum* est, facere id, quod ei displicet. In Deum enim non cadit tristitiae notio; ergo ex humano vocabulo est eruendum adiunctum, et hoc ad Deum transferendum. Τὸ ἅγιον et τοῦ θεοῦ, s. τὸ θεῖον idem valent. Saepe moniti sunt Israelitae ne angelum offenderent, Exod. XXIII, 23., ubi in Hebraeo אַל־תַּמֵּר בּוֹ, in Graeco μὴ ἀπείθει αὐτῷ. Iesaiae LXIII, 12. παρώξυναν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτοῦ. ἐν ᾧ—ἀπολυτρώσεως) *Per quem tuti redditi estis a metu miseriae et ipsa miseria usque ad discessum ex hac vita,* usque ad eum diem, quo ab omnibus miseriis liberati plenissima felicitate fruemini. Ἐν ᾧ (πνεύματι), i. e. per eas res, quas Spiritus sanctus efficit, per cognitionem doctrinae, animi persuasionem. Doctrina christiana, cuius auctor est Spiritus divinus, vos iam in hac vita liberat a miseria peccatorum et metu irae divinae, animosque

vestros tranquillos reddit. Sed in futuro seculo perfectissima erit vestra felicitas. De verbo ἐσφραγίσθητε vide ad c. I, 13. Ἀπολύτρωσις, cf. supra c. I, 14. εἰς ἀπολύτρωσιν.

31. Πᾶσα πικρία—κακίᾳ) Πικρία, *sermones acerbi et mordaces.* Θυμὸς καὶ ὀργὴ, *ira saeva.* Κραυγὴ, *hominum iracundorum clamores, Toben, Poltern.* Βλασφημία, *maledicentia, calumniae, obtrectationes,* 1 Tim. VI, 4. Ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν, *excludatur e coetibus animisque vestris.* Κακία in universum *omnis animi malignitas,* qua alia huiusmodi vitia tanquam genere suo continentur.

32. Χρηστοὶ, *benigni.* Χαριζόμενοι ἑαυτοῖς) *Condonantes,* nempe offensas. Χαρίζεσθαι, non tantum condonare peccata, sed et propitium esse alicui. καθὼς—ἐχαρίσατο ὑμῖν) Ἐν Χριστῷ, *propter Christum.* Καθὼς h. l. caussam exprimit, quae impellere debet Christianos ad similem benignitatem. *Ad exemplum Dei.*

CAP. V.

1. Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ θεοῦ) Cohaeret cum proxime antecedentibus. Imitamur Deum praecipue omnibus bene faciendo, Matth. V, 48. Nam sic homo homini Deus. ὡς τέκνα ἀγαπητὰ) Sc. τοῦ θεοῦ. *Quippe filii eius dilecti estis.* Liberorum est, Patrem moribus referre.

2. Καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ) *Et constanter diligite vos invicem.* Nam περιπατεῖν, non actum unum aut alterum significat, sed perpetuum vitae tenorem, vel: *vitam instituite ita, ut benevolentiam ostendatis*, convenienter praecepto de amore proximi. καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς — εὐωδίας) *Ad exemplum Christi, qui nos ita dilexit, ut seipsum pro nobis offerret sacrificium Deo longe acceptissimum.* Debemus imitari exemplum Christi, qui pro salute nostra omnia fecit et pertulit, adeoque cruentam mortem passus est. Προσφορὰ, מִנְחָה, *oblatio quaevis.* Θυσία, זֶבַח de *solis victimis* dicitur. Τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, hebr. רֵיחַ־נִיחוֹחַ לַיהוָה. Levit. I, 9. III, 16. Gen. VIII, 21. Phrasis desumta ab opinione omnibus gentibus communi, numen ipsum vel ipsis epulis sacris interesse, carnesque oblatas vere comedere (Hom. Iliad. α, 424. Od. α. 25. 26.), vel saltem auram fumi de victima concremata assurgentis naribus captare. Ergo sacrificium suavissime fragrans est sacrificium gratissimum Deoque acceptissimum. Haec autem res, quod Christus mortem et cruciatus pertulit, Deo eam ipsam ob caussam fuit gratissima, quoniam maxima et incredibilia emolumenta inde ad genus humanum redundarunt.

3. Πορνεία) Iam nominat vitia, quae Ephesi maxime regnabant. ἀκαθαρσία) *Foeditas* et *improbitas* quaelibet, praesertim autem *flagitia venerea.* πλεονεξία) *Lucri studium inhonestum, schändliche Gewinnsucht.* Alii intelligunt *libidinem veneream*, quia iungitur τῇ πορνείᾳ. Et sane πλεονεξία in universum videtur significare quamvis immoderatam cupiditatem rerum

illicitarum. Posset igitur hic locus intelligi de prostibulis, quae vulgato corpore quaestum lucrantur, non exclusis tamen aliis quaestus inhonesti generibus. μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν) *Ne nomine quidem audiantur inter vos;* tantum absit, ut flagitia ista a vobis patrentur. *Solche Laster müssen unter euch unerhört seyn.* ἅγιοι) *Christiani*, homines Deo sacri, a ceteris hominibus seiuncti.

4. Καὶ αἰσχρότης) *Neque inverecundia in sermonibus moribusque.* Καὶ μηδὲ, hebr. ו praecedente לֹא. καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία) *Neque stultiloquium aut scurriles ioci.* Μωρολογία, *Plautus* Milit. II, 3. 25. vertit: *stultiloquium.* Vocabulum ipsum in linguam etiam latinam transiit, et legitur apud eundem *Plautum*, Pers. I, 1, 50. *amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.* Εὐτραπελία, saepe honesto significatu est *urbanus.* Deinde vero sensu obscoeno εὐτράπελοι dicuntur ii, *qui inhonesto quovis modo urbanitates affectant*, γελωτοποιοὶ, *Lustigmacher. Isocrat.* Areopagit. τοὺς εὐτραπέλους δὲ καὶ σκώπτειν δυναμένους, οὓς νῦν εὐφυεῖς προσαγορεύουσιν, ἐκεῖνοι δυστυχεῖς ἐνόμιζον, *homines dicaces et ad irridendum paratos quos nunc facetos vocant, illi* (veteres Athenienses) *calamitosos iudicabant.* Glossarium: *Scurra*, γελωτοποιὸς, εὐτράπελος, σκώπτης, ἡδύλογος. *Scurrilitas*, εὐτραπελία. Etymol. εὐτράπελος, ὁ κοῦφος καὶ μωρὸς καὶ ἀπαίδευτος. τὰ οὐκ ἀνήκοντα) *Suidas:* ἀνῆκον, τὸ πρέπον. ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία) *Oratio gratiae plena.* Εὐχαριστία plerumque in epistolis Paulinis est *gratiarum actio.* Quoniam autem h. l. opponitur scurrilitati et

dicacitati, videtur potius esse gratia in sermonibus et dictis nostris, *das Gefällige und Angenehme in unsern Reden.* Sic λόγος εὐχάριστος, *sermo gratiae plenus*, Cyropaed. II, 2.

5. Τοῦτο γάρ ἐστε γινώσκοντες) *Scitote*, γινώσκετε. Pro ἐστε multi Codices, Verss. et Patres habent ἴστε ab ἴσημι, quae lectio omnino videtur esse vera. ὅτι πᾶς — οὐκ ἔχει) id est οὐδεὶς ἔχει, hebr. כל לא. Quis sit πλεονέκτης, patet ex v. 3. Ὃς ἐστιν εἰδωλολάτρης, referri potest etiam ad πόρνος ἢ ἀκάθαρτος, non tantum ad πλεονέκτης. Qui talibus vitiis indulget, pro idololatra habendus est; *facinorosissimus est et pessimus.* Iudaei enim quodvis facinus gravissimum vocant idololatriam, quae ipsis maxime abominabilis est. *Sota:* in quocunque homine fastus dominatur, Idololatrae aequiparandus est. *Ialk. Rub.* fol. 88, 4. Iracundus est tanquam idololatra. Dicit igitur Apostolus, Christianos, his vitiis deditos, etsi ab idolorum veneratione alienos, non esse meliores Idololatris. *Avaritia* vel potius *lucri inhonesti studium* non ideo idololatria dicitur, quoniam avarus divitias quasi pro idolo habeat; nam dicitur etiam de aliis sceleribus, sed quia hoc vitium inter gravissima facinora est referendum. οὐκ ἔχει — καὶ θεοῦ) *Non est particeps beneficiorum in regno Christi et Dei paratorum.* Κληρονομίαν ἔχει, pro simplici μέτοχός ἐστι: Nec est Christianus, nec consequetur felicitatem aeternam. Nam regnum Christi, quod idem est cum regno Dei, in his terris inchoatum, est ecclesia Christiana, et felicitas vere Christianorum, qua iam in hac vita fruuntur; quae felicitas in altera vita perficietur.

6. Μηδεὶς — λόγοις) Simile monitum 1 Cor. III, 18. Λόγοι κενοί, sermones vani, quibus homines improbi solent excusare haec et alia vitia. Notantur, ut existimant interpretes nonnulli, Philosophi Graecorum, qui docebant, nihil mali esse in incestibus, et ἀρτενοκοιτίᾳ, et qui putabant vendentibus et ementibus licitum, circumvenire se invicem, ideo quod volenti non fiat iniuria, et leges civiles id permittant. διὰ ταῦτα — ἀπειθείας) *Nam propter talia* flagitia *divina poena ingruit in immorigeros homines.* Ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ, *poenae divinae*, ut saepius notatum. Υἱοὶ τῆς ἀπειθείας, contumaces, non obsequentes doctrinae christianae. Vide ad II, 2. De poenis aeternis sermo esse videtur.

7. Μὴ οὖν — αὐτῶν) *Cavete igitur, ne similes illis sitis*, vel secundum alios: *ne eadem sors vobis eveniat.*

8. Ἦτε γάρ ποτε σκότος) *Nam olim quidem*, quum adhuc essetis Idololatrae, *in ignorantia versati estis;* quare non mirum, si talia perpetrastis. Σκότος, per meton. dicuntur, qui alias ἐν σκότει. *Tenebrae* autem Symbolum ignorantiae, ut omnibus notum. νῦν δὲ φῶς ἐν κυρίῳ) i. e. πεφωτισμένοι διὰ τοῦ κυρίου, *meliora edocti per Christum et religionem christianam.* Igitur vita illa ethnica vos non amplius decet. ὡς — περιπατεῖτε) *Vivite ut homines meliora edoctos decet.* Τέκνα φωτός, בְּנֵי אוֹר, φωτεινοί, φωτὶ χρώμενοι, *lumine divino illustrati, meliora edocti* per religionem christianam.

9. Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ φωτὸς — ἀληθείᾳ) *Nam fructus melioris huius cognitionis omnis generis virtutum exercitio conspicitur.* Καρπὸς τοῦ φωτὸς pro καρπὸς τοῦ πνεύματος habent multi Codd., Verss. et Patres, et πνεύματος ex Gal. V, 22. huc translatum esse, dubio carere videtur. Τὸ φῶς, *scientia religionis.* Καρπὸς, *fructus, effectus.* Ἐν ἀγαθωσύνῃ, sc. ἐστὶ, συνέστηκε. Ἀγαθωσύνη, δικαιοσύνη, ἀλήθεια quoad significatum non differunt, et synonymis exprimitur *omnis generis virtus, vitae mentisque integritas.* De voce ἀγαθωσύνης cf. Gal. V, 22. Δικαιοσύνη, צדקה, *omne virtutis et honestatis studium.* Ἀλήθεια, hebr. אמת, אמונה, *Rechtschaffenheit.*

10. Δοκιμάζοντες — τῷ κυρίῳ) *Explorate*, operam date ut accuratius cognoscatis, quid placeat Christo eique sit gratum. Δοκιμάζοντες, hebraico more participium positum pro Imperativo. Alii, commate 9. parenthesi incluso, referunt ad περιπατεῖτε.

11. Καὶ μὴ — τοῦ σκότους) *Et nolite participes vos facere pravorum operum, quae ex ignorantia proficiscuntur.* Ἄκαρπον, quoad sensum est Synonymum τοῦ ἄχρειον. *Opera inutilia, prava.* Plutarch. de audiend. poet. τὸ γλυκὺ τοῦ λόγου οὐκ ἄκαρπόν ἐστι οὐδὲ κενόν. Τὸ σκότος, pro οἱ ἐν σκότει, gentes, homines, qui in densissimis ignorantiae rerum divinarum tenebris versantur. Participes se faciunt scelerum, non tantum qui iis indulgent, sed et qui talia approbant et laudant. Rom. I, 32. μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε) Sc. τὸ σκότος. *Operam date, ut animadvertendo in eorum vitia, eos corrigatis.* Simile praeceptum vide Levit. XIX, 17.

12. Τὰ γὰρ — καὶ λέγειν) *Quae enim occulte ab ipsis perpetrantur, adeo sunt turpia, ut vel dicere de iis indecorum videri posset.* Redditur ratio, cur Christianos haud deceat imitari vivendi consuetudinem Ethnicorum; quia nempe turpissima sit illorum vita. Κρυφῇ rarius occurrit pro κρύφα. Τὰ κρυφῇ γινόμενα, *flagitia quaevis*, quae occulte patrari solent. Alii *nefanda mysteriorum facinora intelligunt.*

13. Τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα, ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦνται) Sic interpungendum videtur: *Omnia autem, quae manifestanda sunt,* (ut palam fiat qualia sint,) *a luce manifestari debent.* Redditur ratio, cur Christiani operam dare debeant, ut corrigant pravos mores Ethnicorum: μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε, v. 11. Quae in tenebris latent non possunt manifestari sine lumine. Sic etiam opus est lumine quodam, ut vitia Profanorum appareant qualia sint: talia lumina sunt Christiani. Ἐλέγχειν, *rem ex occulto in lucem protrahere.* Herodian. III, 12, 11. ἐπιστάμενος ὡς εἰ λάθοι ἡ ἐπιβουλὴ, καὶ μὴ ἐλεγχθείη, ὅλεθρος αὐτῷ οὐχ' ὁ τυχὼν ἐπήρτηται, *quum sciret, si laterent insidiae, nec in lucem protraherentur, exquisitissimum sibi impendere supplicium.* Ἐλεγχόμενα, praet. pro futuro, h. l. sunt flagitia illa, de quibus in praecedentibus sermo, quorum turpitudo in lucem est protrahenda. Τὸ φῶς, ut v. 8. φῶς ἐν κυρίῳ, Christiani meliora edocti, quorum est corrigere pravos, in mores eorum animadvertendo. Similis sententia Matth. V, 14. ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς κόσμου. πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον, φῶς ἐστι.) *Quicquid enim manifestum sit, lumine quo-*

dam collustratur, i. e. sine lumine nihil manifestum esse potest, ut, quale sit, appareat. Potest vero etiam *Φανερούμενον* sumi in Medio, et *πᾶν* pro Accusativo, ut constructio sit talis: *τὸ γὰρ Φανερούμενον πᾶν, Φῶς ἐστι*, *lux est id, quod rem quamvis detegit.* Sic etiam vestrum est, o Christiani, flagitia ista retegere, et pravos hominum mores corrigere. Aliter hunc locum interpretatur *Storrius* in dissert. exeget. p. 22. sq. Sumit cum *Kuinoelio* (in Interpret. grammat. loci Eph. V, 6—14.) *τὰ πάντα* et *πᾶν* hoc commate, neutro pro masculino posito, ut Galat. III, 22. Rom. III, 19. sq. XI, 32. de *hominibus ἐλεγχομένοις* et *Φανερουμένοις* dicta esse. Tum *ἐλέγχεσθαι* interpretatur *patere* monitis (*ἐλέγχῳ* lucis), ex iisque miseram, perditam, foedam conditionem suam (v. 11. s.) agnoscere et horrere, percipere fructum *ἐλέγχου* et incipere *μετανοεῖν*, quemadmodum *ἀκούειν* significat quoque id, quod *consequi* debet auditionem, idemque valet ac *dicto audientem esse, obtemperare*, et interpungit sic: *τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ Φωτὸς, Φανεροῦται*, ut sensus sit: *Quisquis ea, quae monitus est a luce, audit, is patefit*, emergit e tenebris, in quibus iacebat. *τὸ γὰρ Φανερούμενον πᾶν, Φῶς ἐστι, quisquis autem patefactus est, is luce collustratus est*, itaque uberius perfundi potest luce, cui nunc patet, is melior in dies atque beatior reddi potest.

14. Διὸ λέγει — ὁ Χριστὸς) Quaeritur, quem Paulus verbis *διὸ λέγει*, loquentem introducat? Variae sunt interpretum sententiae, quas *Wolfius* in Curis ad h. l. recenset ac diiudicat. Sic nonnulli *διὸ λέγει* referunt ad *τὸ Φῶς*, v. 13., quod sit positum pro *ὁ ἐν Φωτὶ π*

ριπατῶν. Alii putant respicere Apostolum ad Ies. LX, 1—3., vel ad Ies. XXVI, 19. vel ad locum utrumque. Sed neutrius loci prophetici sententia convenit cum loci nostri contextu. *Epiphanius* dicit, quae sequuntur verba esse ex Eliae prophetia. *Syncellus* et *Euthalius* ἐκ τῶν Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων excerpta statuerunt. Alii aliter. *Heumannus* (Poeciles Tomo II. Lib. II. p. 390.) verba διὸ λέγει esse vult pro: διὸ λέγεται, et existimat Paulum respicere ad *tres versus cantici, in ecclesiis tunc pie decantari soliti:*

Ἔγειραι ὁ καθεύδων
Καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν
Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς.

Sententiam suam superstruit his argumentis: Primum, quod Paulus v. 19. Psalmos et hymnos, et odas spirituales nominatim commendat; deinde, quod poetici modi satis fideles sunt iudices hymni sacri; denique, quod ceterae omnes de hoc loco sententiae a veri specie sunt remotae. Hanc sententiam probant *Storrius* in dissert. saepe laudata, p. 20. et 24. et *Michaelis* in annotat. ad h. l. Ille vertit: *Unde cani solet: patere te suscitari e somno, excitari a mortuis, atque Christus te illuminabit*, h. e. si experrectus fueris et excitatus a mortuis, illuminabit te Christus. *Dormientes* nihil vident; sunt in tenebris; nihil boni agunt. Sic Ethnicis nulla erat cognitio veri Dei, nullus sensus verae virtutis. *Mortui* vero ne quidem aliquid boni agere possunt in hac vita. His Ethnici erant similes. Sed excitandi erant per Christianos, ut erroribus et vitiis depositis Christianam religionem amplecterentur, eiusque praecepta sequerentur; vel, ut *Storrii* verbis utar: Qui Christianorum sanctimonia et hor-

tatu adducebatur ad perditam vitam suam agnoscendam et detestandam, uno verbo, ἐλεγχόμενος quisque, velut excitabatur ex somno incuriae et negligentiae rerum suarum, quarum nunc conscius sibi fiebat, imo a morte malorum, e quibus nunc emergere incipiebat. Atque ita Christus eum deinceps illuminare, et sensim ad christianae sanctimoniae ac beatitatis maiora incrementa provehere poterat.

15. Βλέπετε — περιπατεῖτε) *Operam date, ut accurate vitam instituatis.* Πῶς pro ἵνα. Ἀκριβῶς, *exacte, accurate, perfecte*, vel potest iungi verbo περιπατεῖτε, vel etiam quoad sensum referri ad βλέπετε, sensu hoc: *operam date, omni diligentia adhibita, ut vivatis* etc. μὴ ὡς — σοφοί) *Non sicut sapientiae* (verae et christianae) *expertes, sed tanquam sapientes.* Philosophos gentiles per allusionem nominis ἀσόφους vocat, quia inania sapiebant, nec verum Deum cognoscebant. Christiani vero sunt σοφοί, quia habent cognitionem Dei et rerum divinarum certam et accuratam. Hebraei saepe ponunt חָכְמָה, *sapientiam* pro *virtute*, et נְבָלָה *stultitiam* pro *vitiositate.*

16. Ἐξαγοραζόμενοι — πονηραί εἰσι) *Diligenter usi opportunitate; nam tempora haec sunt periculosa.* Varie explicantur haec verba, sed simplicissime ita: Καιρὸς h. l. non est *tempus*, sed ex propria nominis significatione *opportunitas*, et quidem, quod loci contextus postulat, *ad vitam meliorem redeundi*, sancte vivendi, aliosque nostro exemplo emendandi. Ἐξαγοράζεσθαι, *emere*, est *parare sibi aliquam rem;* proinde *emere opportunitatem* est, quaerere, parare

sibi opportunitatem agendi, *eine schickliche Gelegenheit zu seinen Handlungen wählen.* Itaque sensus etiam potest esse: Utimini opportunitate inter homines scelestos, quos vultis monere et arguere; nam quovis tempore et loco alios monere imprudentiae est, et fit inepte. Cf. Col. IV, 5. Ἡμέραι πονηραί, *tempora periculosa*, nempe virtuti et felicitati vestrae. Innumerae sunt hac vestra aetate voluptatum et calamitatum illecebrae, quibus a religione averti, et ad incredulitatem ac vitia quaevis seduci facile poteritis; vel: *tempora sunt calamitosa*; affligimur multis malis et calamitatibus. Cum igitur alios volumus corrigere et monere, fieri id debet opportuno tempore, ne ad iram provocemus eos, qui undique nos premunt. Haec est prudentia illa, de qua v. 15.

17. Διὰ τοῦτο — τοῦ κυρίου) Propterea gerite vos non tanquam sapientiae expertes, sed tanquam homines, qui sciant, quid probetur Domino nostro Iesu Christo. Γίνεσθε, pro ἐστε. Ὁ κύριος, *Iehova*, vel *Christus.*

18. Καὶ μὴ μεθύσκεσθε — ἀσωτία) *Et nolite inebriari vino, unde omnium scelerum origo.* Ἐν ᾧ, sc. μεθύσκεσθαι οἴνῳ. In vinolentia scelerum foedissimorum origo est et occasio. Ἀσωτία, *vita foedissima, ad omnem turpitudinem proiecta.* Graeci ἄσωτον, i. e. ἄσωστον dicunt, quem Latini *perditum*, hominem qui amplius servari nequit, specialiter eum, qui rem patriam avitamque prodigit. Verum transfertur etiam ad omne genus hominum, ita immersorum vitiis, ut eorum salus deplorata sit; quod plerumque

evenire solet ebriosis. *Gellius* VII, 11. *nequam hominem* graece vertit ἄσωτον, et aliis vocibus ἀνόλαστον, ἀχρεῖον, ἄχρηστον. ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι) *sed sensu pietatis a spiritu sancto effectae pleni estote.* Phrasis opposita superiori μεθύσκεσθαι. Τὸ πνεύμα, sensus pietatis, quem Spiritus divinus per doctrinam Christi in animis Christianorum efficit. Vino repleti dissolutam vitam agunt; spiritu repleti Deum potius laudant.

19. Λαλοῦντες — πνευματικαῖς) *Vosmet ipsos excitate ad gaudia* (non vino intemperanter bibendo, sed) *carminibus Deo Christoque canendis.* Λαλεῖν ἑαυτῷ, ex usu hebraici sermonis est *secum cogitare et reputare*, meditari, meditando se excitare, sc. ad pios sensus. Alii explicant: *excitate vos invicem*, ut in loco simili Col. III, 16. διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς. Sed prior explicatio genio hebraizantis sermonis est convenientior. ψαλμοὶ, תהלים, vocantur eximia illa carmina Davidis et aliorum, quae in templo citharis et nabliis aptari solebant. Ὕμνοι dici videntur *extemporales Dei laudes*, ex occasione natae, Act. XVI, 25. Ὠδαὶ; שירים, sunt carmina praemeditata, non sine arte aliqua, qualia illa Exod. XV, 1. Deut. XXXI, 19. sqq. Iudic. V. Hoc loco in genere *carmina quaelibet* sunt intelligenda. Πνευματικαῖς ex grammatica ratione ad ᾠδαῖς, quoad sensum vero etiam ad ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις est referendum. Carmina *spiritualia* sunt sacra, in religionis aliqua parte occupata, et opponuntur carminibus petulantibus, iocosis. Πνευματικὸν, quicquid vel a spiritu divino est inspiratum, vel piis sensibus excitandis

est idoneum. ἄδοντες — τῷ κυρίῳ) *Laudes Christi etiam in mente vestra celebrate.* ψάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ, secum tacita cogitatione Deum laudare. Τῷ κυρίῳ, *in honorem Christi.* Plin. Ep. X, 97. *carmen Christo quasi Deo dicunt secum invicem. Storrius* verba: ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς iungit cum sequentibus: ἄδοντες καὶ ψάλλοντες etc. ut sensus sit: *carmina Domino canite ex animo;* animo assentiente, ex intima animi sententia.

20. Εὐχαριστοῦντες — πάντων) Gratias agite semper pro omnibus bonis acceptis. ἐν ὀνόματι Χριστοῦ) *Secundum voluntatem,* ex praecepto Domini nostri I. Ch., aut eo modo, qui praeceptis religionis christianae consentaneus est. Nam tum etiam agimus aliquid *in nomine alterius,* si id facimus ex eius praecepto.

21. Ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν Φόβῳ Χριστοῦ) Omnino legendum est Χριστοῦ, pro eo quod alii habent θεοῦ. Sic enim habent optimi codices, consentientibus Versionibus et Patribus diversarum recensionum. Sensus est: *Obsequium* et honorem *exhibete vobis invicem cum pietate* (reverentia) *erga Christum.* Ὑποτασσόμενοι, sc. ἐστε, i. e. ὑποτάσσεσθε. Ἐν Φόβῳ Χρ., sicut hebr. ביראת יהוה.

22. Αἱ γυναῖκες — κυρίῳ) i. e. Sicut vos mulieres Christo paretis, sic et ob Christum viris parete. Nam vir Christi imago. Τοῖς ἰδίοις, *vestris.* Ex ipso Dei per naturam instituto uxor praestare debet venerationem et obedientiam marito. 1 Cor. XI, 8. 1 Tim. II, 13.

23. Ὅτι ὁ ἀνὴρ — γυναικὸς) Vir habet imperium in uxorem naturae privilegio et gentium iure. *Menander:* τὰ δευτερεῖα τὴν γυναῖκα δεῖ λέγειν, τὴν δ' ἡγεμονίαν τῶν ὅλων τὸν ἄνδρ' ἔχειν, *Philemon:* ἀγαθῆς γυναικὸς ἐστιν, ὦ Νικοστράτη, μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον· γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα, κακόν ἐστι μέγα. Κεφαλὴ, *quicquid in quolibet genere est princeps, praecipua auctoritate et dignitate conspicuum.* καὶ αὐτὸς — σώματος) *Et ipse* (Christus) *est servator (tutor) corporis sui*, nempe ecclesiae. Quemadmodum Christus ecclesiae suae non modo imperat, sed illam etiam amat: ita maritus non solum imperet uxori, sed eam etiam amet.

24. Ἐν παντὶ) *Nulla re excepta*, ubique in omnibus negotiis. Ad honesta quaevis hoc esse restringendum, per se patet.

25. Ἀγαπᾶτε) Hoc complectitur omnis generis curam et sollicitudinem pro incolumitate et salute uxoris; quod vel comparatio cum amore Christi erga ecclesiam docet. καθὼς καὶ — ὑπὲρ αὐτῆς) *Quemadmodum etiam Christus dilexit ecclesiam* (prospexit saluti omni coetus) *adeo, ut seipsum morti traderet pro eius salute.* Tit. II, 14. Gal. I, 4.

26. Ἵνα αὐτὴν — ῥήματι) *Ut eam redderet piam per doctrinam suam, postquam eam aquae lavacro abluit.* Ἁγιάζειν, קִדֵּשׁ h. l. non est veniam peccatorum conciliare, sed *probum reddere;* sic enim explicatur v. 27. ut sibi sisteret coetum macularum expertem, i. e. ut abstraheret eum a vitiis et sceleribus, ut-

que adeo esset sanctus et irreprehensus, in quibus verbis haud dubie inest pietatis et fugae vitiorum notio. Verborum καθαρίσας — ἐν ῥήματι, vulgaris interpretatio est: *Purgavit eam lavacro aquae coniuncto cum verbo* (Dei) i. e. baptismate. Τὸ λουτρὸν τοῦ ὕδατος h. l. omnino videtur esse *baptisma*, quo demersi in aqua novi Christiani sordibus quasi purgabantur. Act. II, 38. Sed quomodo ἐν ῥήματι sit explicandum, difficile dictu. Vulgo referunt ad τῷ λούτρῳ τ. ὑδ. et vertunt: *lavacrum aquae cum verbo Dei coniunctum*, et ῥῆμα ipsis est formula baptizandi cum precibus in baptismate adhiberi solitis, vel *promissio divina*. Utrumque durum. Alii totam hanc phrasin non de baptismate, sed de ipsa *religione* explicant, ita ut doctrina Christi lustrationibus per aquam comparetur, iisque opponatur. *Koppe*, qui has, aliasque nonnullas interpretationes merito duras esse censet, iungit ἐν ῥήματι cum ἵνα, ut tota phrasis sit hebraica עַל דָּבָר אֲשֶׁר s. Chald. כרברת די, pro simplici ἕνεκεν τοῦ, s. εἰς τὸ παραστῆσαι, eo fine ut sisteret etc. Sed in nullo eorum locorum, ad quae provocat, nempe Exod. XVIII, 11. Dan. II, 30. Eccles. VII, 14. LXX. interpretes utuntur nostra phrasi. Ἐν ῥήματι optime vertitur: *per doctrinam*, et coniungitur cum verbis: ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ. Nam per doctrinam, quam discimus, emendamur, reddimur pii, et abstrahimur a vitiis. Καθαρίσας ἡμᾶς τῷ λ. τ. ὑδ., *postquam nos aquae lavacro abluit;* sine tropis: removit peccata, quae comparantur cum maculis et sordibus. Quo vero sensu? Obligavit nos discedere a vitiis, et pie vivere. Cf. 1 Petr. III, 21. Rom. VI, 4. Quod igitur Christus *baptismate* dicitur *purgare* (puta a vitiorum sor-

dibus) Christianos, id non ita est cogitandum, quasi haec purgatio fiat propter vim aliquam aquae inditam. Contingit potius hoc beneficium iis qui baptizantur (adultis, de quibus hic et alibi est sermo), quoniam ipso hoc ritu solemni approbant, saltim approbare debent doctrinam fide, cui venia peccatorum et salus promissa est, et quoniam cum baptismate coniungunt μετάνοιαν, et promissam peccatorum veniam ad se transferunt. Marc. XVI, 15. 16. Act. II, 38. Luc. III, 3.

27. Ἵνα παραστήσῃ — καὶ ἄμωμος) Sensus est: *Ut sibi pararet ecclesiam, a quibusvis vitiorum sordibus liberam, castam et omnis labis expertem.* Christus nempe se tradidit morti, partim ut remitterentur nobis peccata, partim ut ad sanctitatem perduceremur. Pro αὐτὴν alii rectius legunt αὐτός. Ἔνδοξος, cum ceteris: μὴ ἔχουσα σπῖλον — ἁγία καὶ ἄμωμος, sunt Synonyma, nec in singulis argutandum. Ἔνδοξον, *quicquid nitet; omne pulcrum, venustum,* καθαρόν, ut ἱματισμὸς ἔνδοξος, pro ὡραῖος, Luc. VII, 25. Σπῖλος, *macula in facie, vel vestimentis,* ut loca apud Wetstenium docent. Ῥυτίδες, *rugae,* quae deformant faciem. Pollux IV, 146. ῥυτίδας ὀλίγας ἔχων ἐπὶ τοῦ μετώπου.

28. Ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα) i. e. *ut semetipsos.* Gen. II, 24. Sic Auctor Libri *Arbaa Turim. I. Debet homo diligere uxorem suam sicut corpus suum, et honorare illam supra corpus: tum etiam indulgere ei, et custodire illam, ut custodit unum e membris suis.* ὁ ἀγαπῶν — ἑαυτὸν ἀγαπᾷ) Sunt enim coniuges unum quid per individuam vitae societatem. Uxor altera pars est hominis, qui constat ex viro et

foemina. Ideo dictitant virum absque uxore tantum esse semihominem, sive hominem dimidiatum. Vid. Drus. ad h. l. Comparatione, quae hoc et sqq. Vss. continetur, intima necessitudo, quam coniux cum coniuge habet, apte describitur.

29. Οὐδεὶς—ἐμίσησεν) *Odio habet*, vel duriter tractat, nam hoc interdum est μισεῖν. Σάρκα pro σῶμα, בָּשָׂר. ἀλλ' ἐκτρέφει—τὴν ἐκκλησίαν) *Alit et fovet illud, sicut etiam Dominus ecclesiae*, tanquam corporis sui, *utilitatibus et commodis omni modo prospicit.* Nam ἐκτρέφειν et θάλπειν de Christo improprie dici, nemo non videt.

30. Ὅτι μέλη — σώματος αὐτου) Sc. Χριστοῦ. *Sumus Christo coniuncti arctissimo vinculo*, quemadmodum membra unius eiusdemque corporis. Τὸ σῶμα h. l. non est coetus Christianus (nam sequitur ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ κ. τ. λ.); sed Christus ipse, cui corpus tribuitur; et Christiani dicuntur eius membra. ἐκ τῆς—ὀστέων αὐτοῦ) *Consanguinitate quasi ipsi sumus iuncti.* Phrasis hebraica occurrit Gen. II, 23. XXIX, 14. 2 Sam. V, 1. aliisque locis, et exprimit consanguineorum per natales nexum. Nos Christi quasi consanguinei sumus, quia ipse humanam naturam assumsit, nobis in omnibus similis factus sine peccato. Huc pertinet praecipue Hebr. II, 14.

31. Ἀντὶ τούτου—εἰς σάρκα μίαν) Ante haec verba aliquid est subintelligendum e. c. *Valet hic dictum illud.* Nam Paulus non argumentatur e superiori, sed verba haec omnia sunt e Mose, Gen. II, 24. Ἀντὶ

τούτου, pro ἕνεκεν τούτου, sicuti habent h. l. LXX. Καταλείψει κ. τ. λ. verte: *Solet relinquere ipsos parentes et sequi uxorem.* Προσκολλᾶσθαι, hebr. דָּבַק, *constanter adhaerere alicui, non pati se avelli ab altero.* ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, *unum corpus erunt*, intimo vinculo erunt coniuncti.

32. Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν) *Arcanum hoc est memorabile;* est in hoc dicto sensus latens. Mysterium vocat Paulus eam rem, de quo antea sermo fuerat, nempe mutuum coniugum amorem, et mutuam benevolentiam. Μυστήριον autem h. l. est res, sub qua simul aliquid latet, quae connotat simul aliud aliquid, nempe amorem Christi erga coetum suum. Igitur addit: ἐγὼ δὲ — τὴν ἐκκλησίαν) *Ego nempe applico ad Christum et ecclesiam*, nimirum id, quod Moses de matrimonio dixerat. Hoc mysterium vocatur μέγα, *grave, memorabile.* Operae pretium esse, inquit Paulus, has res invicem conferre, cogitare, quomodo unum sub altero lateat. Hoc et similibus locis Paulus imitatus est Iudaeorum interpretandi modum mysticum, quo cum persona, historia, ritibus comparatur simul res alia, quae per illa illustretur. Inde scriptor allegoricus dici solet etiam mysticus. Non opus est, ut nos Pauli exemplo hunc modum interpretandi imitemur; nobis enim non est res cum Iudaeis, quorum ingenis nos accommodare debeamus. Lectu digna est *Ad. Ios. Onymi* disquisitio *de usu interpretationis allegoricae in novi foederis tabulis.* Bambergae et Wirceb. 1803. 8.

33. Πλὴν) *Enimvero.* Particula transeundi. *Ut ad rem redeam.* Nam sensum illum allegoricum obiter tantum attingere voluit. ἡ δὲ γυνὴ — ἄνδρα) ἵνα φοβῆται, pro φοβεῖσθω, s. θέλω, ἵνα etc. φοβεῖσθαι τὸν ἄνδρα, *revereri maritum.*

CAP. VI.

1. Ἐν κυρίῳ) *Propter Dominum,* quia doctrina Christi sic postulat, sive ob mandatum Dei (v. 2.). Δίκαιον, *iustum et aequum*, propter beneficia a parentibus in vos collata. Iam natura iubet, liberos obedire parentibus. Hoc agnoverunt et agnoscunt omnes gentes, incultissimae etiam nationes.

2. Τίμα) τιμᾷν comprehendit etiam curam, ne quid eis necessariorum desit, et omnis generis *pietatem.* Sic Graeci dicere solent τιμᾷν τὸν ἰατρὸν, *praemiis afficiendum esse medicum.* ἥτις — ἐν ἐπαγγελίᾳ) *Quod est primum praeceptum cum promissione*, cui promissio addita est. Sic plerique explicant. Nempe tribus prioribus praeceptis nulla addita est promissio; primo et secundo praecepto potius adiecta est severa comminatio. *Quartum* praeceptum sane primum est, cui benevole et amanter additur: *ut tibi bene sit* etc. Lege Exod. XX. Sed in decalogo non adeo differt, utrum promittatur commodum, an minae proponantur. Utrumque enim pariter ad singula praecepta pertinet, et dum Deus minatur malum, simul promittit commodum, si servatur lex illa, et sic vice versa. Igitur ἐντολὴ πρώτη videtur potius esse *primarium praecep-*

tum, unum e praecipuis, vel ad fructum, vel ad necessitatem observandi. Cf. Marc. XII, 28. sq. Samuel R. VII. *Honora patrem et matrem, maximum est praeceptum, et merces eius est vita longaeva.*

3. Καὶ ἔσῃ — ἐπὶ τῆς γῆς) *Et diu vivas in terra.* Apud Mosen promittitur diuturna vita in Palaestina, nam additur: *quam tibi dat Iehova Deus tuus.* Exod. XX, 12. Paulus vero, non Iudaeis sed Christianis scribens, applicat id, quod de Palaestina dicitur ad alios etiam, et promissionem Iudaeis propriam dilatat, atque communem facit. Moses nomine Dei totum populum allocutus est. Sensus igitur huius promissionis erat, rempublicam Iudaeorum fore felicem et diuturnam in terra promissa, si liberi bene educarentur. Hoc ad omnes alias nationes pertinet. Ubi nempe liberi bene educantur, ibi cuiusvis conditionis homines plerique recte et ex virtutis praeceptis vitam instituere, et quod suum est, agere solent. Non autem potest non florere respublica, in qua plerique cives sunt boni. Sed de diuturna vita singulorum hominum non est sermo.

4. Μὴ παροργίζετε) Παροργίζειν, *exacerbare*, ad iram concitare, duriter tractando. *Cavete, ne eos sine caussa male tractantes peiores reddatis. Macht sie nicht schlimmer durch unnöthige Strenge.* ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου) *Ita ut eos castigetis et instituatis convenienter praeceptis Christi.* Παιδεία, *disciplinam puerilem omnem* complectitur, sive illa fiat exemplo, sive beneficiis, sive admonitionibus, sive denique poenis. Νουθεσία, *informatio animi ad honesta quaevis.* Κυρίου, i. e. *Christi* additur, quia

haec omnia fieri debent secundum praecepta religionis.

5. Οἱ δοῦλοι) Non tollit Paulus morem tunc receptum, servis tanquam mancipiis utendi. Habet enim sua commoda, et licet eo recte uti. τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα) *Dominis qui secundum leges humanas ius in vos habent.* Addit Apostolus κατὰ σάρκα, quia alius est Dominus Christianorum proprie et κατὰ πνεῦμα, nempe Christus. μετὰ φόβου καὶ τρόμου) *Summa cum reverentia, verecundia, mit gröster Ehrfurcht.* De nostris erga Deum officiis usurpantur vocabula יִרְאָה et פַּחַד, φόβος et τρόμος, et significant *pietatem, reverentiam erga Deum;* nam omnis religio Iudaeorum inprimis cogitatione et admiratione potentiae divinae, adeoque etiam poenarum divinarum metu continebatur. Est igitur et hic φόβος, καὶ τρόμος *obedientia, et metus Dominis displicendi.* ἐν ἁπλότητι — Χριστῷ) *Candide, sine ulla fraude.* Ὡς τῷ Χριστῷ, quomodo Christo servimus, qui eminentiore sensu est dominus noster. Ita obedite animo integro, ut Christo.

6. Μὴ κατ' — ἀνθρωπάρεσκοι) *Non obsequio ad oculos tanquam hominum solum gratiam captantes.* Ὀφθαλμόδουλος, servus, qui inspectante hero se diligentem praestat et probum, oculisque eius quasi servit, sed alius est extra conspectum heri. Ἀνθρωπάρεσκοι, qui non cogitant, quid sui sit officii, sed quomodo per fas et nefas gratias captent. Tales videas servos comicos apud heros minores. Tales erant aulici Saulis. ἀλλ' ὡς — ἐκ ψυχῆς) *Sed tanquam in-*

genui Christiani, qui lubenter praeceptis Dei obsequuntur. In quocunque statu et conditione licet bene agere. Ἐκ ψυχῆς, lubenter, ex animi sententia.

7. Μετ' εὐνοίας—ἀνθρώποις) i. e. Respicientes praecipue non illos homines, quorum servi estis, sed Christum, qui id exigit, et qui praemium reddit; ita servientes, ac si Domino, neque hominibus serviretis. Εὔνοια servis erga dominos saepe tribuitur apud Graecos et Romanos scriptores. *Lucian.* bis accus. 16. ἀνδράποδον ὃ μόνον εἶχεν εὔνουν καὶ πιστόν. *Thomas M.* εὔνοια καὶ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος πρὸς τὸν μείζονα, καὶ ἀπὸ τοῦ μείζονος πρὸς ἐλάττονα.

8. Τοῦτο κομιεῖται) *Hoc referet*, i. e. *huius praemium referet*, per metonymiam satis frequentem, 2 Cor. V, 10. εἴτε δοῦλος, εἴτε ἐλεύθερος) Neque enim Christus haec discrimina aut nunc respicit, aut in iudicio respiciet. 1 Cor. VII, 22. II, 13. Gal. III. 28.

9. Τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτούς) Τὰ αὐτά, *eadem*, non pertinet ad ipsa ministeria et negotia servilia, sed ad alia, de quibus in praecedentibus sermo fuerat, ad integritatem, et sinceritatem, v. 5., benevolentiam et amorem, v. 7. Christiani omnibus Christianis fratres; itaque domini Christiani parem, imo maiorem bonitatem ostendere debent in servos Christianos, quam olim Hebraei in Hebraeos. ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν) i. e. *desinite eos duriter tractare.* Ἀνιέναι proprie est *remittere, relaxare quod nimis arcte constrictum est*; tropice significat *mitigare, minuere, intermittere.* Epict. 54. ἀνιέναι τὴν αἰδῶ τὴν τῶν ἄλλων πρὸς ἡμᾶς,

facere, ut alii minus nos revereantur, quam antea. εἰδότες — ἐν οὐρανοῖς) Alia lectio est: εἰδότες, ὅτι καὶ αὐτῶν καὶ ἡμῶν ὁ κύριος ἐστὶν ἐν οὐρανοῖς sensum habens egregium. *Ipsis et vobis idem Dominus imperat.* καὶ προσωπολημψία — αὐτῷ) Aeque Deus ornat servum, quam ingenuum, aeque punit servum, quam dominum, si defecerint ab officio.

10. Ἐνδυναμοῦσθε — ἰσχύος αὐτοῦ) *Fortes estote* (in calamitatibus) *per Dominum* (per religionem Christi) *et omnipotentiam eius.* Ἐνδυναμοῦσθε, *fortes estote*, nempe in calamitatibus perferendis, ita ut non patiamini iis a religione semel suscepta vos dimoveri. Ἐν κυρίῳ, *per Dominum*, per religionem Christi, quae constantiae argumenta suppeditat. Κράτος τῆς ἰσχύος, *fortitudo roboris*, i. e. fortitudo permagna, et quum Deo tribuitur, *omnipotentia. Freti eius omnipotentia.*

11. Ἐνδύσασθε — τοῦ διαβόλου) *Induite gravem armaturam, quam Deus exhibet, ut possitis resistere fraudibus diaboli.* Cohortatur Paulus Christianos, ut sint constantes in religione, similitudine desumta a milite, qui optime armatus in aciem procedit, fortiter pugnat, et victor evadit. Πανοπλία, occurrit in Graeco Iob. XXXIX, 20. 2 Sam. II, 21., pro hebr. חֲלִיצָה, et denotat *omnis generis arma, quibus corpus militis tegitur*, sed per usum loquendi gravem armaturam, quae levi opponi solet, *schwere Waffenrüstung*, clypeum, galeam, gladium, ocreas; quae omnia infra dicentur. Πανοπλία θεοῦ, *arma*

quae a Deo suppeditantur, i. e. adiumenta virtutis et perseverantiae in bono, in mediis etiam calamitatibus, quae vobis religio christiana suppeditat monendo, hortando, consolando, promittendo etc. Commemorantur haec arma infra v. 14. πρὸς τὸ δύνασθαι—τοῦ διαβόλου) *Ut possitis resistere insidiosis artibus Diaboli.* Στῆναι πρὸς, *resistere*, phrasi ex re bellica desumta. Antonin. de rebus suis L. VI. §. 41. πρὸς ἄνθρωπον στῆναι στάσιν πολεμίου, *contra homines hostiliter agere.* Μεθοδεύειν, unde vox μεθοδεία ducitur, proprie est *in arte aliqua tractanda versari.* Sed accipitur saepe etiam in malam partem. Sic μέθοδος pro *insidiis* et fraudibus vel *fraudulentis artibus* est apud Philonem L. II. Alleg. p. 63. B., ubi μέθοδοι et τέχναι ut Synonyma iunguntur. Suidas: μεθοδείας, τέχνας ἢ δόλους μεθοδεύει, τεχνάζεται Vid. not. ad c. IV, 14. Hic artes diaboli sunt ipsae illae calamitates, quibus homines christianos labefactare tentat. Διάβολος h. l. est *Satanas;* nam omnis calamitas, quam propter religionem perferebant Christiani, ad Satanam atque daemones improbos refertur. Cf. 1 Thess. II, 18. 1 Petr. V, 8. 9. Sensus igitur est: *Ut resistere possitis insidiosis artibus hominum imbroborum, (Iudaeorum et Ethnicorum.) qui instigante Satana sollicitant vos ad deserendam Christi religionem.* Satanae tribuitur, quod faciebant eius instrumenta.

12. Ὅτι οὐκ—σάρκα) *Non enim certamen nobis est cum hominibus imbecillis tantum.* Vocula *tantum*, quoad sensum est supplenda, ut saepius. Αἷμα καὶ σάρξ, *homines nostri similes, corpore et sanguine*

constantes. Cf. 1 Cor. XV, 50. Herodot. I, 17. *οὐ πρὸς ἄνδρας ἡμῖν γίνεται ἡ μάχη.* Opponuntur homines infirmi daemonibus, maiori vi pollentibus. *ἀλλὰ πρὸς — τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου*) Deest *τοῦ αἰῶνος* in nonnullis vetustis codicibus, consentientibus Versionibus et Patribus diversarum recensionum. *Sed cum omnis generis malis daemonibus, cum dominis mundi huius tenebrosi,* i. e. hominum in ignorantiae tenebris versantium. Per *τὰς ἀρχὰς*, et *τὰς ἐξουσίας* non possunt intelligi *homines* potentes; nam his non potest commode opponi *αἷμα καὶ σὰρξ. Daemones* esse intelligendos contextus docet, praecipue *τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ* v. 16. Eadem graduum nomina usurpantur de malis daemonibus, quae de bonis angelis: nam et Satanae imperium ordine constat, Matth. XII, 26. *Κοσμοκράτορος* vocem Iudaei civitate sua donarunt, et partim hominibus tribuunt, magnis sc. Regibus, qui vere sunt *κοσμοκράτορες*, partim *diabolo*, qui dicitur *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τοῦτου*, Io. XII, 31. Vaiikra R. 18. fol. 161. 3. *Quo tempore Israelitae steterunt ad montem Sinai, Deus vocavit angelum mortis, ipsique dixit: Quamvis te feci* קוזמוקרטור, *κοσμοκράτορα super homines, nulla tamen tibi in hanc gentem potestas est, quia sunt filii Dei. Iamblichus* de myst. Aegypt. Sect. 2. 3. *κοσμοκράτορες sunt daemonum archontum illi, qui sublunuria gubernant, οἱ τὰ ὑπὸ σελήνην στοιχεῖα διοικοῦντες.* cf. 2 Cor. IV, 4. *Τὸ σκότος* et *ὁ κόσμος* hic, ut saepe vocatur omne malum morale, omnes eius caussae ac detrimenta, et ipsi homines pravi. Vocatur etiam regnum diaboli, et diabolus, eius regni princeps, primus inter eos qui Deo renituntur, maxime abhorrens a

Dei consiliis et institutis, longe pessimus. Ergo, si huius loci sententiam spectes utique intelligendi sunt Imperatores et magistratus Iudaeorum et Ethnicorum, non tamen proprie, sed iidem homines maligni spirituum improborum impulsu ad vexandos Christianos excitati et agitati, vel similes spiritui illi maligno, qui renititur Deo, et deditus est rebus Deo contrariis. πρὸς τὰ πνευματικὰ — ἐπουρανίοις) *Cum malis daemonibus, ob caelestia commoda.* Τὰ πνευματικὰ pro: τὰς Φύσεις πνευματικὰς s. τὰ πνεύματα, opposita σαρκὶ καὶ αἵματι, i. e. σαρκικοῖς. Sic Graeci τὸ ἱππικὸν, στρατιωτικὸν, ναυτικὸν, sc. τάγμα. Τῆς πονηρίας, pro πονηρὰ, hebraico more. Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, non potest necti cum verbis: *luctandum est nobis,* nam luctandum nobis est in terris; nec cum πνεύματα; nam mali genii nunquam in coelo versari dicuntur. *Koppius* cum aliis per τὰ ἐπουράνια, sc. μέρη intelligit aërem. Et negari non potest, regnum daemonum quorumcunque, proborum et improborum a Iudaeis in aëre collocari solere. Vid. supra c. II, 2. ubi occurrit ἡ ἐξουσία τοῦ ἀέρος. Sed τὰ ἐπουράνια non sunt loca *sub coelo,* in nubibus, aëre; nam haec sunt ὑπουράνια. Proinde alii verba ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ad superiora referunt, et subaudiunt πράγμασι; *respectu coelestium illorum* (nempe bonorum) luctandum est nobis cum diabolo, ne illa nobis eripiantur. Subiungitur igitur caussa, quare tanto acrius sit luctandum. Cf. *Morus* ad h. l. Ceterum nemo mortalium definiverit, quid et quantum Satanas conferat ad malum morale, vel ad impediendum bonum morale. Nuspiam enim in sacris litteris dicitur, quomodo Diabolus id agat, quod ei adscribitur, nec uspiam excluduntur caussae aliae usitatae, e.

c. ignorantia, negligentia, cupiditates etc. Hoc unum monemur, eo diligentius cavendum esse a malo, et contra nitendum, propterea quod ad omnes eius causas etiam Satanas accedat; cui officio satisfieri potest, etsi non explicatur, quale sit, quod Satanae tribuitur. Nec est alius modus resistendi diabolo, quam qui est resistendi vitiis, sceleribus, hominibus pravis, per preces, doctrinam christianam, attentionem. Unde interdum resistere diabolo videtur simpliciter significare, resistere malo. Iac. IV, 7. Rom. XVI, 20. Vid. *Mori* Epit. th. christ. p. 82. sqq.

13. Διὰ τοῦτο — τοῦ θεοῦ) Verbum ἀναλαμβάνειν dicitur de rebus, quibus induimur, vel ornamur; deinde ἀναλαμβάνεσθαι ea dicuntur, quae vel ad vim repellendam, vel inferendam pertinent, hoc est vel arma, vel tela. *Philo* de vita Mos. III. ξίφος ἕκαστος ὑμῶν, φησὶν, ἀναλαβὼν, ἐφορμάτω διὰ παντὸς τοῦ στρατοπέδου, *arrepto unusquisque, ait, gladio, discurrat per castra.* ἵνα δυνηθῆτε — πονηρᾷ) *Ut possitis resistere tempore periculi*, tempore calamitoso: nam ἡμέρα πονηρὰ, יוֹם רָע, *malus dies* est tempus calamitosum. Calamitates autem intelliguntur externae afflictiones, vexationes. Pugnare cum adversariis h. l. est, has afflictiones et calamitates fortiter perferre. καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι) *Koppius* vertit: *et victo hoste quolibet stationem vestram tueri.* Ἅπαντα, Neutrum, positum esse putat pro masculino, uti πᾶν, Io. XVII, 2. vel singularem masculinum. Κατεργάζεσθαι, *debellare, prosternere.* Appianus bell. Parth. τοῦ κατεργάσασθαι Πάρθους, ad Parthos debellandos. Dionys. Hal. Ant. L. IX. τῷ πλήθει τῶν βε-

λῶν ἅπαντας κατειργάσαντο, *telorum multitudine omnes confecere.* Sed haec interpretatio non probanda esse videtur; nondum enim de victoria est sermo, sed de armatura. Christiani armare se debent, ut parati sint ad excipiendum hostem, quod ex sequentibus patet, ubi singula arma commemorantur. Igitur vertendum est: *Ut, si feceritis omnia*, quae sc. ad vos armandos pertinent, i. e. instructi sitis omnibus adminiculis ad resistendum necessariis, deinde *possitis stare*, adstare, et fortiter expectare venientem hostem. Κατεργάζεσθαι h. l. simpliciter est *facere.*

14. 15. Στῆτε οὖν—εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης) *Adstate igitur accincti lumbos vestros sinceritate, et indutithorace pietatis, subligantes pedes vestros firmitate doctrinae salutiferae.* Pergit Apostolus in commemorandis singulis πανοπλίας partibus, iisdemque ad Christianos accommodandis. Στῆτε, nempe in pugna contra adversarios. Milites ζωστῆρα habebant s. περίζωμα, propter vestes laxiores et demissiores, ne huc illuc diffluere possent. Ies. XI, 5. Cum cingulo militum comparatur ἀλήθεια, *veritas, sinceritas, Rechtschaffenheit*, quae haud dubie est adminiculum constantiae. Sensus: Integritas illa sit vestrum quasi cingulum. Θώραξ inde dicitur, quod pectus tegat, lorica Latinis. Δικαιοσύνη, צְדָקָה h. l. est *omnium virtutum christianarum perpetuum studium.* Hoc virtutum christianarum constanti exercitio inexpugnabiles quasi redduntur Christiani, ut facile resistant adversariorum malis artibus et minis. Quum autem variis calumniis etiam impeterentur illius aetatis Christiani, perpetuum virtutis studium et recti conscientia iis

erat instar loricae. Sic enim facile refutare calumnias et innocentiam suam tueri, innocentes autem damnati et vexati conscientia recti se consolari, atque virtuti suae se involvere poterant. Milites porro sunt caligati, ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας, ut stare possint firmiter. Ἑτοιμασία, ut adiectivum ἕτοιμος, respondet hebr. כֵּן, מָכוֹן, et significat *firmitatem constantiam* unde de *basi*, *fundamento aedium* etc. vox מָכוֹן, Esr. II. 68. III, 3. Ps. LXXXIX, 15., quam iisdem locis Alexandrini vertunt ἑτοιμασίαν. Εὐαγγέλιον, *universa doctrina Christi.* Εἰρήνη, שָׁלוֹם, felicitas, id, quod salutem affert. Ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης igitur erit *religio salutifera*, *cui tuto inniti possit*, *tanquam immoto fundamento.* Huic fundamento innisi Christiani, prosterni ab hostibus i. e. vinci calamitatibus non possunt. Potest tamen ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου etiam esse *apparatus evangelii* vel doctrinae christianae, si habeamus eam semper in promtu, in memoria. Si quis cogitet semper, quid religio postulet, calamitatibus non succumbet. Ceterum in singulis non est haerendum, nec quaerendum cur fidem appelliet clypeum, cur probitatem cingulum. Vid. notanda ad v. 17.

16. Ἐπὶ πᾶσιν — πίστεως) *Ad haec omnia arripite pro clypeo fiduciam* (in Deo et Christo collocandam). Ἐπὶ πᾶσιν, *praeter ista omnia. Koppius: omnino, ante omnia.* Θυρεὸν et ἀσπίδα distinguunt quidem Veteres, sed h. l. species clypei pro *clypeo quovis* ponitur. Πίστις *fiducia* in Dei potentia et benignitate collocanda. Nam a generali ad speciale

progreditur Apostolus. ἐν ᾧ δυνήσεσθε—σβέσαι) *Quo* (clypeo) *possitis omnia iacula Mali illius ignita extinguere*, i. e. qua fiducia possitis resistere omnibus tentationibus malorum hominum, qui Diaboli impulsu vos persequuntur, ut a Christi religione vos avertant. Τὰ πεπυρωμένα βέλη erant sagittae, in quarum capite, seu alveo excavato includebatur ignis, (hohl und mit brennbaren Materien angefüllt,) ut missae et agitatae per aërem, inflammarentur. Adhibebantur in proeliis ad incendia in operibus, machinis, navibus hostium excitanda, imo et ad scuta perforanda, hominesque prosternendos. Coniiciebant nempe tales sagittas in scutum hostis, ut in illo haererent; iam scutum exardescere incipiebat, et abiiciendum erat. Vid. Liv. XXI, 8. Romani illud missilium telorum genus dixerunt *falaricas* et malleolos. Vid. Wetsten. ad h. l. Τοῦ πονηροῦ est Synonymum τοῦ διαβόλου v. 11., in Nov. Test. satis frequens, Matth. XIII, 19. 38. coll. 39. 1 Io. II, 13. 14. V, 18. Potest autem ὁ πονηρὸς etiam sumi universe de eo, *qui nos vexat*, ut Matth. V, 39. Extinguimus tela ignea malefici, nos vexantis, si fortiter perferimus calamitates, quibus nos petit, ne illis succumbamus. σβεννύειν τὰ βέλη positum est propter πεπυρωμένα; nam tela *ignita* non tantum sunt repellenda, sed etiam, ne delapsa nocere possint, penitus exstinguenda. Quomodo clypei Veterum exstinguere potuerint tela ignita, hoc loco frustra quaeritur. Potuit enim Apostolus, qui voce clypei improprie utitur, suo θυρεῷ τῆς πίστεως vim aliquam insignem tribuere, qua clypei proprie tales carebant. Plerique tamen existimant, talia scuta fuisse aenea, vel etiam

ex corio bubulo, aqua aut aceto macerato confecta, Schilde mit Leder überzogen, und mit Essig getränkt.

17. Καὶ τὴν — ῥῆμα θεοῦ) *Prehendite etiam galeam spei salutis, et ensem spiritualem, qui est doctrina divina.* Περικεφαλαία generatim notat omne, quod circa caput est, omne, quo caput cingitur, ornatur et munitur, in specie *galeam, (Helm,)* quae cingit et munit caput. Hanc Paulus caeteris armaturae partibus addidit, quia *gravem* armaturam describere voluit, ad quam galea etiam pertinebat. Per σωτήριον hic metonymice intelligitur spes salutis aeternae ex Exangelio concepta, quod apparet ex 1 Thess. V, 8. ubi est: καὶ περικεφαλαίαν, ἐλπίδα σωτηρίας. Si nempe cogitamus, quae sint bona nostra, quae spes nobis sit parata, tum fortes reddimur et munimur adversus calamitates, hostium terrores et vexationes. Μάχαιρα τοῦ πνεύματος ut quidam volunt, idem est quod μάχαιρα τοῦ θεοῦ (cf. v. 11. πανοπλία τοῦ θεοῦ), τὸ πνευματικὸν enim et τὸ θεῖον in N. T. synonyma sunt. In utroque vero hoc epitheto πνεύματος et θεοῦ simul roboris virtutisque insignioris significatio inest. Sed πνεῦμα h. l. potius videtur esse *animus*, ut μάχαιρα τοῦ πν. sit animi ensis, non proprie dictus ensis, ut animi arma, animi pabulum. Ῥῆμα θεοῦ, *doctrina divina*, et inprimis promissiones Evangelii, nominatim promissio felicitatis aeternae, qua omnino tueri nos possumus adversus tentationes omnes ad deserendam religionem. Durior est *Koppii* interpretatio, qui intelligit comminationes divinas de hostibus Christianorum improbis puniendis.

Caeterum huic loco, accurate loquendo, non inest allegoria, nam semper additur explicatio, in allegoria autem nil nisi imago ostenditur, et explicatio relinquitur lectori. Est potius hic locus comparatio dilatata, cum perpetua explicatione. In hoc et similibus locis explicandis non est argutandum in singulis verbis; nam omnes species armorum, quae hic commemorantur, redeunt tamen ad genus unum — arma, in applicatione *adminicula constantiae*, cuius species sunt ἀλήθεια, δικαιοσύνη et sic porro. Proinde non quaerendum est, cur sinceritas comparetur cum cingulo, pietas cum thorace; firmitas cum ocreis etc. Ex natura cinguli, thoracis, ocrearum, non potest caussa comparationis erui; manet enim eadem applicatio, sive hoc cum illo, sive aliud cum alio cogitetur; et liberum manet scriptori, *ornare* sic vel aliter orationem. Si quis obiiciat, esse tamen magnum discrimen inter cingulum, thoracem, ocreas etc. huic respondemus, differre quidem haec arma, quia certis membris corporis destinata sunt, sed haec non posse transferri ad animum, in quo non possunt discerni varia membra, quibus etiam diversa adminicula adhiberi debeant. In animo nihil est cogitandum, nisi adminicula, Mittel für Verstand und Willen. Cf. *Morus* ad h. l.

Iam v. 18—20. aliud constantiae adminiculum commemoratur, quod non comparatur cum armorum quodam genere, nempe *preces*.

18. Διὰ πάσης — τῶν ἁγίων) *Ut simul preces faciatis studiosissime, quovis tempore, ex intimo pectore, et ob id ipsum vigiles* (solliciti) *sitis, ita ut*

assidue precemini pro omnibus Christianis. Priora verba coniungenda esse videntur cum praecedentibus, ut repetatur: sumite arma, adhibete omnia adminicula, ita ut preces faciatis. Sed προσευχόμενοι potest etiam positum esse hebr. pro προσεύχεσθε δὲ. Προσευχὴ et δέησις, Synonyma, sicut hebr. תְּפִלָּה וְתַחֲנוּנִים Dan. IX, 3. Alii sic distinguunt, ut προσευχὴ significet preces ad bona impetranda, δέησις deprecationem arcendis malis, quae metuimus. Nam deductum est nomen ἀπὸ τοῦ δέους. Προσεύχεσθαι διὰ προσευχῆς per Hebraismum est ardenter precari. Ἐν πνεύματι, *animo, herzlich.* Εἰς αὐτὸ τοῦτο, ut nempe firmi persistatis in religione, et alii etiam firmi maneant. Nam pertinent haec verba ad superiora omnia, quae de constantia in religione scripserat Apostolus. Ἀγρυπνεῖν, de quavis cura et sollicitudine dicitur. Ἐν προσκαρτερήσει, *per assiduitatem*, cui adiungitur δέησις, *precatio.* Ἀγρυπνεῖν ἐν π. προσκ. καὶ δεήσει ὑπέρ τινος, *assiduum et sollicitum esse in precando pro aliquo.* Οἱ ἅγιοι, *Christiani*, Cf. c. 1, 1.

19. Ἵνα μοι δοθῇ—τοῦ εὐαγγελίου) *Ut mihi concedatur occasio dicendi, nempe cum fiducia et libere docendi doctrinam Iesu Christi hactenus reconditam.* Λόγον διδόναι est, *potestatem loquendi concedere*, quae locutio de iis praesertim usurpatur, quibus publice aut in iudiciis libere caussam dicere permittitur. *Ioseph.* Ant. XVII, 12. λόγου οὖν τοῖς Ἰουδαίων πρέσβεσι δοθέντος. Dionys. Hal. Ant. L. VII. Brutus consules rogabat, δοθῆναι λόγον αὐτῷ, *ut dicendi sibi daretur potestas.* Aliis ὁ λόγος h. l. est

facultas docendi. Ne sic quidem male. Ἄνοιξις στόματος ac παῤῥησία significatu non multum differunt; nam vox posterior, quae *rem signatam* notat, explicat verba priora, quae *signum* exprimunt, ut adeoque *apertio oris* loquendi fiduciam et libertatem, imo praeterea loquendi promptitudinem et desiderium innuat. 2 Cor. VI, 11. Ἐν παῤῥησίᾳ, *palam, libere, non vinculis constrictus in carcere latens,* opponitur τῷ ἐν ἀλύσει. Τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου, *doctrina Iesu Christi hactenus recondita.* C. I, 9.

20. Ὑπὲρ οὗ — ἁλύσει) *Cuius caussa nunc legatione fungor in vinculis.* Ὑπὲρ οὗ sc. εὐαγγελίου, i. e. quia gentibus tradidi doctrinam Christi. Ἅλυσις, *vincula* Act. XXVIII, 20. 2 Tim. I, 26. Πρεσβεύειν, *legatione fungi.* Aelian. Var. Hist. XIV, 39. πρεσβεύειν ὑπὲρ εἰρήνης. I, 21. πρεσβεύειν ὑπὲρ πατρίδος. Nostro loco idem est ac ἀπόστολον εἶναι τοῦ Χριστοῦ. ἵνα — λαλῆσαι) *Ut libere eam profitear, sicut decet me.* Referenda sunt haec verba ad ἀγρυπνοῦντες ἐν δεήσει ὑπὲρ ἐμοῦ. Ἐν αὐτῷ sc. τῷ εὐαγγελίῳ. Ἵνα παῤῥησιάσωμαι λαλῆσαι iungenda sunt. Sensus est: ὥστε λαλεῖν (διδάσκειν) με τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ μετὰ παῤῥησίας, καθὼς ἀξιόν ἐστι.

21. Τὰ κατ' ἐμὲ, τί πράσσω) *Res meas, quid agam.* Τὰ κατ' ἐμὲ, supple πράγματα. Sic Demosth. epist. 3. περὶ μὲν τῶν κατ' ἐμαυτὸν, *de iis rebus, quae ad me pertinent.* Τί πράσσω, *quid agam, quaenam sors mea sit.* Aelian. Var. Hist. L. II, 25. ἤρετο (aegrotum Gorgiam) τί πράττοι, *quomodo*

se haberet. πάντα ὑμῖν — ἐν κυρίῳ) Τυχικὸς, ex Asia proconsulari oriundus, Act. XX, 4., Pauli diaconus, cuius nomen praeter hunc locum occurrit etiam Col. IV, 7. 2 Tim. IV, 12. Tit. III, 12. Διάκονος h. l. est, qui Evangelio navat operam, et socius est in annuntianda doctrina Christi. Ἐν κυρίῳ, pro διὰ τὸν κύριον, κυρίου ἕνεκα, *in negotiis Domini nostri Iesu Christi.* Πιστὸς διάκονος, qui munere suo accurate fungitur.

22. Καὶ παρακαλέσῃ τὰς καρδίας ὑμῶν) *Et consoletur vos,* nempe de calamitatibus tum vestris, tum meis.

23. Εἰρήνη — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Fausta quaevis, sed et charitatem et fidem largiatur fratribus Deus Pater etc.* Εἰρήνη, שָׁלוֹם, *omnis generis felicitas.* Alii sine Hebraismo intelligunt *concordiam.* Ἀγάπη μετὰ πίστεως, amor coniunctus cum *persuasione* de veritate doctrinae Christi. Cum cognitione et persuasione coniungi debet amor, ex qua fluit omnium virtutum Christianarum exercitium.

24. Ἡ χάρις — ἐν ἀφθαρσίᾳ) Ἡ χάρις, sc. τοῦ θεοῦ. Ἀγαπᾷν τὸν Χριστὸν, *grato animo colere Christum.* Ἐν ἀφθαρσίᾳ, *Wetstenius* ad Χριστὸν refert: *Christum immortalem et gloriosum. Grotius* iungit cum ἀγαπώντων, et vertit *constanter;* recte. Nam ἀφθαρσία est incorruptibilitas, perpetuitas, ubi quid sine fine fit. Amare sine fine, est amare indesinenter. Indicatur amor, qui non desinit.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Philippi erat urbs praecipua Macedoniae trans Strymonem fluvium, in veteris Thraciae parte, aurifodinis dives, et colonia, olim dicta *Crenides*, a Philippo rege Macedonum deinde munita, quia opportuna erat bello adversus Thracas gerendo. Cur a Luca Act. XVI, 12. vocetur πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, satis certo non constat. Vide tamen annotata nostra ad Actor. XVI, 12. Cf. et *Ioh. David Michaelis* Introductionem in Libros N. T. §. 187. qui omnino hic legendus, et *Ioh. Henr. Heinrichs* Prolegomena, praemissa Vol. VII. partic II. editionis Koppianae N. T. p. 2., qui putat hanc urbem sic appellari eam ob causam, quoniam inde ab urbe maritima Neapoli interiora petentibus, rectamque inter Strymonem et Nestum fluvios viam legentibus, prima ea occurrit. *Paulus* ipse ibi praedicaverat Evangelium, ut apparet ex Act. XVI, 12. sqq. optimo successu, conversa muliere purpuraria, eiecto Spiritu Pythonico, converso per miraculum commentariensi, accepta a magistratibus ob iniuriam acceptam satisfactione. Coetus erat mixtus ex Iudaeis et Gentibus ad Christum conversis. *Philippenses* prae

omnibus aliis coetibus Christianis se gratos et beneficos exhibuisse Apostolo, discimus ex Phil. IV, 15. 16. 1 Cor. XI, 9.

Scripsit Paulus hanc ad Philippenses Epistolam, quum prima vice Romae esset in vinculis, c. I, 13. IV, 22. *Oederus* tamen in progr. Onoldi 1731. scripto, hanc epistolam *Corinthi* scriptam esse contendit, refutatus a *Wolfio* in Curis Tom. III. pag. 168. sq. et 271. sq. *Paulus* vero *Caesareae* eam scriptam esse suspicatur in Progr. Pasch. 1799., cui titulum fecit: *de tempore scriptae prioris ad Timoth. atque ad Philipp. epistolae Paulinae.* Argumenta, quibus ad confirmandam suam sententiam usus est, examinavit et refutavit *Heinrichs* I. c. Proxima occasio scribendi erat munus, quod Philippenses per *Epaphroditum* Paulo miserant, pro quo Paulus gratias agit in his litteris, c. IV, 10. sqq. Sed pro more suo utitur hac occasione Apostolus, ad hortandos et confirmandos Christianos. Gratias agit Deo et preces fundit pro laeto Philippensium flore, c. I, 3. seqq. Certiores facit eos de statu suo praesenti, et bona spe in posterum, v. 12. sqq. Hortatur eos, ut vitam agant dignam sua professione v. 25. sqq. Post varii generis exhortationes monet, ut caveant homines similes illis quos ad Galatas notat, qui illis, quos Paulus e gentibus converterat, suadebant Iudaismum, occasione capta ex vinculis Pauli, et malis, quae Christianis non Iudaizantibus imminere videbantur, cap. III. Hortatur deinde iterum ad omnia praeclara, eorumque liberalitatem laudat cum gratiarum actione. Scripta videtur Epistola circa a Ch. 62. aut 63.

Qui plura desiderat, adeat *Heinrichsii* et *Rheinwaldi (Commentar üb. d. Br. Pauli an d. Philipper.* Berlin u. Landsberg a. d. W. 1827.) Prolegomena, qui etiam varias suas et aliorum proposuerunt coniecturas. Haec examinare alienum est a nostri instituti ratione, qui ea tantum exhibemus, quae sacrarum literarum studiosis utilia et cognitu necessaria esse censemus.

CAP. I.

1. Παῦλος καὶ Τιμόθεος) *Timotheus* in utroque Philippos itinere Paulum erat comitatus, Act. XVI. XX., notus ob id, carusque Philippensibus. Videtur Paulus Timotheo dictasse hanc epistolam. δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Servi, ministri* Iesu Christi omnis generis doctores nominantur, quia Christo serviunt in annunciando Evangelio. Apostolicam auctoritatem Paulus hic opus non habebat sibi adstruere, quando ea Philippis in controversiam non vocabatur. σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις) Ἐπίσκοπος in Graecis versionibus respondet Hebraeis פָּקִיד Iudic. IX, 28. Nehem. IX, 14., פָּקוּד Num. XXXI, 14. et מִפְקָד 2 Paral. XXXIV, 12. 17. et notat *quemvis praefectum, antistitem, cuius curae administratio alicuius rei commissa est.* Hinc in N. T. *inspector coetus alicuius christiani,* παρὰ τὸ ἐπισκοπεῖν, quod illum opporteat in doctrinam, et mores commissi gregis inquirere. Act. XX, 28. coll. v. 17. 1 Tim. V, 17. Interdum etiam πρεσβύτερος vocabatur; sed post Apostolorum aetatem is, qui in ordine presbyterorum primas tenebat, κατ' ἐξοχὴν dice-

batur ὁ ἐπίσκοπος, unde factum, ut id ei nomen proprio quodam iure manserit. *Diaconi* erant, qui curabant externa ecclesiae. Act. VI.

2. Χάρις — Χριστοῦ) Cf. Rom. I, 7. 2 Cor. I, 2. Gal. I, 3. Eph. I, 2.

3. Εὐχαριστῶ — τῇ μνείᾳ ὑμῶν) *Quotiescunque vestri memini, Deo gratias ago.* Ἐπί interdum significat *in*, Matth. XVIII, 5. Rom. V, 2. *in omni memoria vestri*, i. e. toties, quoties recordatio vestri mihi redit.

4. Πάντοτε — πάντων ὑμῶν) *Et quidem semper, quotiescunque preces pro vobis facio.* Ὑπὲρ pro περί, ut saepius. Πάντοτε populari usu est *saepissime*, *quotidie.* μετὰ — ποιούμενος) *Quas prèces cum gaudio facio.* Hoc addit, quia audiebat de plerisque eorum, quae vellet.

5. Ἐπί — τὸ εὐαγγέλιον) [Nonnulli vertunt: *Propter liberalitatem vestram erga Evangelium, quam probastis a primo tempore* (ex quo suscepistis doctrinam christianam) *ad hoc usque tempus.* De vocabuli κοινωνίας significatione in tali contextu vid. Rom. XV, 26. 2 Cor. VIII, 4. IX, 13. Εἰς εὐαγγέλιον, in usum Evangelii, ad utilitatem rerum christianarum, quo pertinet liberalitas erga Apostolos, alios doctores, et egenos Christianos. Huius liberalitatis a primo tempore, quo accesserant ad christianam religionem utique egregia documenta dederant Philippenses. Sed κοινωνία εἰς τὸ εὐαγγέλιον h. l. potius videtur esse, *participatio*

doctrinae christianae, accessio ad christianam fidem, ut 1 Cor. I, 9. Gal. II, 9. Vid. *Heinrichs* ad h. l. Εἰς pro ἐν, ut saepe. Alii: *Propter sincerum vestrum studium, quo amplexi estis doctrinam Christi.* Alii: *Quod constantes estis in professione doctrinae Christi.* Nam participes sunt Evangelii, qui id pro vero atque divino habent. Ἀπὸ πρώτης ἡμέρας, sc. ex quo participes facti estis Evangelii. Secundum alios significat Apostolus, *sese, ex quo primum die ipsos cognoverit,* non destitisse de ipsorum perseverantia gratias agere, ut quae perpetua fuisset.

6. Πεποιθὼς — Ἰησοῦ Χριστοῦ) Nonnulli vertunt: *Spe confisus, fore, ut qui inter vos coepit bene facere, idem illud conficiat usque ad diem Iesu Christi.* Ἔργον *beneficentiam* complectitur et bene facta, ut 2 Cor. VIII, 6. Alii rectius ἔργον ἀγαθὸν explicant de eo opere, quod Philippenses credidissent Evangelio, et vitam secundum eius praecepta instituerent. Hi vertunt: *Spe confisus, fore, ut qui incepit in vobis hoc egregium opus,* emendationem mentis per doctrinam christianam, *ad finem perducat usque ad diem Iesu Christi.* Ἐπιτελέσει, *absolvet, ad finem perducet,* ut in fide et omnium virtutum studio crescatis, et spem retineatis summae aeternaeque felicitatis in coelis. Ἄχρις ἡμέρας Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Dies* Iesu Christi est, quo gloriose ad iudicandum universum genus humanum apparebit. Tum enim Deus veri nominis Christianos, quos iam in hac vita beneficiis cumulavit, perfectissime felices reddet.

7. Καθὼς — πάντων ὑμῶν) *Par est enim, ut ita sentiam de vobis omnibus.* Δίκαιόν ἐστι, *convenit, par est.* Act. IV, 19. Cur autem omnia optima

speret Apostolus statim indicat. διὰ—ὑμᾶς ὄντας) *Propterea, quod animis vestris me teneatis in vinculis meis, quum caussam dico, quum religionem confirmo, et omnes ad vos pertinere putetis, quae munus meum spectant.* His verbis, parenthesi includendis, indicat Paulus, quae caussa sit, cur iam bene speret de suis Philippensibus. Nisi enim sincerum et ingenuum fuisset eorum studium in religionem, certe non misissent munera doctori suo, Romae captivo, quod tamen fecerant, ut patet e cap. IV. 10. sqq. Alii vertunt: *propterea, quod animo teneam vos* etc. ut sensus sit: *Haud secus quam par est accidit, ut tanto studio futurae vestrae saluti precibus meis prospiciam; semper enim animo (meo) obversamini vos: sive sim in carceris solitudine, sive extra carcerem coram iudicibus.* Sic *Heinrichs.* Sed verbis δίκαιον ἐμοὶ Paulus omnino indicare voluisse videtur caussam, cur optima omnia speret de suis Philippensibus. χάρις hic est munus Apostolicum, ex divina gratia concessum, ut Rom. XII, 3. Huius erant Philippenses συγκοινωνοί, quod de prosperis successibus praedicationis Evangelicae gauderent. *Noesselto* (fasc. I. p. 340.) χάρις videtur esse *beneficium*, quod erat in adversitatibus Pauli, quas is Dei beneficio tribuit v. 19. 20. 29. cf. IV, 14. Laudat igitur Paulus Philippenses quod in societatem adversitatum eius, quas Dei beneficio tribuit, venissent. Interdum χάρις est *gaudium*, Philem. v. 9. Tob. VII, 18. Vulgata: *Socios gaudii mei.* Sic intellexerunt etiam Ambrosiast. Pelag. Primas. Sedul. et χαρᾶς habent codd. clar. germ. boern. Ἀπολογία, apud Iudaeos, qui Romae erant, de qua Act. XXVIII, 17. sqq.

8. Μάρτυς — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Testis enim mihi est Deus, quod propense amem vos omnes, simili amore quo Christus nos complectitur. Amor Christi*, qualis esse debet vere cultorum Christi. Connectenda sunt haec verba cum v. 4. sqq. Ὡς *quod.* Ἐπιποθεῖν *propense amare*, ut hebr. יָאַב Ps. CXIX, 131. Σπλάγχνα, רַחֲמִים, *intimus amoris affectus.* Ἐν, hebr. ב, interdum similitudinem notat. Col. II, 6.

9. Καὶ τοῦτο — αἰσθήσει) *Et hoc precor, ut amor vester indies augeatur per* (rerum divinarum) *cognitionem et sensum* (vel experientiam). Ἡ ἀγάπη ὑμῶν) Intelligitur amor erga Deum et omnes homines, ut ex sequentibus patet, fons omnium reliquarum virtutum christianarum. Augetur autem amor ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει, *cognitione* rerum divinarum *et experientia.* Αἴσθησις, *sensus, experientia.* Quo magis intelligimus beneficia Dei et Christi; quo magis experimur vim et virtutem veritatum coelestium: eo magis noster amor erga Deum et Christum augetur. Cf. 1 Ioh. II, 4. 5. Ἐν potest etiam recte verti *cum*, sicut hebr. ב.

10. Εἰς τὸ δοκιμάζειν — Χριστοῦ) *Ut explorare possitis meliora, ut sitis sinceri et vitiorum expertes ad diem usque Christi.* Διαφέροντα, *meliora, unicuique convenientia, vel utilia*, proprie: *differentia* (ut probe distinguatis, quid tenendum sit). Εἰλικρινὴς, i. e. ἀκέραιος, ἄμεμπτος, c. II, 15., *integer, sincerus.* Sic Plutarchus (discr. adul. et am.) eum, qui alteri detrahit, seipsum iactans, ὡς δή τις εἰλικρινὴς καὶ ἀπαθὴς, *quasi sincerum et vitii expertem*, mole-

stum esse dicit, nisi aut aetate aut virtute supra alios emineat. Ἀπρόσκοπος, *nihil offendens*, i. e. *nihil peccans per temeritatem et negligentiam.* ἡμέρα Χριστοῦ, tempus adventus Christi, quo iudicium instituet.

11. Πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν — θεοῦ) Pro καρπῶν δικαιοσύνης τῶν omnino legendum est καρπὸν — τὸν, quomodo habent praeter optimos codices, Versiones nonnullae et Patres quidam. Post πεπληρωμένοι subintellige κατὰ, ut Col. I, 9. ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν. Δικαιοσύνη, *omnis generis virtutes*, et bona opera. Ὁ καρπὸς τῆς δικαιοσύνης sunt ipsa bona opera, quae saepe cum fructibus arborum comparantur. Bona opera autem fiunt διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, si doctrinae eius convenienter sentimus et vivimus; tum enim auctor censendus est eorum bonorum operum, quae ob eius mandatum, et ex amore eius peragimus. Sensus igitur huius commatis est: *Ut large feratis fructum bonorum operum vere Christianorum, quibus Deus honoretur atque laudetur.*

12. Ὅτι τὰ — ἐλήλυθεν) *Res meas in incrementum Evangelii cessisse;* occasionem dedisse, ut doctrina Christi latius propagaretur. Τὰ κατ' ἐμὲ, sc. ὄντα πράγματα, *meine Umstände.* Erat autem tum in vinculis Romae. Paulus igitur eos solatur, animosque eorum erigit spe felicis eventus, quem habitura sint sua vincula. Voce προκοπὴ saepe utitur Polybius, e. g. L. II, cap. 13. μεγάλην ἐποιεῖτο προκοπὴν, *multum proficiebat.* Hesych. προκοπὴ, αὔξησις.

Ἐλθεῖν, *eventum* s. *exitum* significat, quem praesens Apostoli sors et conditio habuerit.

13. Ὥστε τοὺς δεσμούς μου — λοιποῖς πᾶσι) *Ita ut innotuerit me vinctum esse* (tantum) *Christi caussa*, (non ob flagitium quoddam) *omnibus Praetorianis et ceteris omnibus.* Vincula mea in Christo nota facta sunt; i. e. innotuit, me vinctum esse tantum Christi caussa. Πραιτώριον, vox latina, καθ' ὑπαλλαγὴν h. l. significat *praetorianos*, atque ita congrue sequitur, καὶ τοῖς λοιποῖς, *apud praetorianos et ceteros omnes*, seu coram his; ut si diceretur alia forma, celebratam fuisse pietatem et virtutem vincti Apostoli in tota aula, et apud alios omnes. Romae Caesarum domus *palatium* dicebatur; sed provinciales assueti vocabulo praetorii, appellabant et hanc πραιτώριον, ut nonnulli volunt. Sed tempore imperatorum *custodia corporis imperatoris, cui, qui praeerat, praefectus praetorio* appellabatur, πραιτώριον dicebatur. Hinc per metonymism *castra praetoriana*, ad urbem Romae posita. Cf. Act. XXXIII, 16., ubi narratur, Paulum praefecto praetorio Romae custodiendum traditum, et catena militi praetoriano alligatum fuisse. Solebant enim, qui ex provinciis Romam mittebantur vincti, tradi praetorianis custodiendi.

14. Καὶ τοὺς πλείονας — τὸν λόγον λαλεῖν) *Et plerisque fratrum Christianorum additus sit animus, quum audirent quam honeste habear in vinculis meis, ut audeant impavide docere Evangelium.* Ἀδελφοὶ ἐν κυρίῳ, *fratres Christiani.* Πεποιθότες, *beherzt, muthig.* Τοῖς δεσμοῖς μου, i. e.

honestate vinculorum meorum. Cf. Act. XXVIII, 30. 31., ubi Paulus dicitur per biennium mansisse in suo conducto domicilio. Quum igitur alii viderent, Paulum tam honeste haberi, et ipsi, abiecto metu mortis cruentae, impavide praedicarunt Evangelium.

15. Τινὲς μὲν — κηρύσσουσιν) *Sunt quidem etiam, qui invidia concitati et contentioso animo, sunt tamen etiam, qui propensa in me voluntate doctrinam Christi annuncient.* Loquitur de iis, qui tum temporis Romae Evangelium praedicabant. Erant inter hos et falsi Apostoli, qui hac occasione arrepta, Paulo detrahebant. Alii vero propensa in Paulum erant voluntate, agnoscentes veram atque divinam esse doctrinam, ab ipso annunciatam. διὰ φθόνον, *cum invidia*, odio contra Paulum. ἔριν, *contentio*, in eo, quod doctrinam Pauli impugnabant.

16. 17. Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας — τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι) Transponunt commata 16 et 17 codices satis vetusti, versiones Syr. Erp. Copt. Aeth. Vulg. It. Basil. Marcion, Ambrosiaster, Pelag. Aug. probante *Griesbachio*. Οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης, sc. τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν, quod repetendum est ex v. 13. Εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, *quia sciunt, me propugnando Evangelio destinatum esse*. De phrasi κεῖσθαι εἰς τι vid. notata ad Luc. II, 34. Nostro igitur loco Paulus hoc vult: se ab amicis et collegis amanter lubenterque adiuvari, quoniam sciant, se, Paulum, *destinatum esse* agendis perferendisque omnibus, quae ullo modo faciant ad propagandam doctrinam, ad caussam eius agendam dicendo, faciendo,

perpetiendo. Nimirum sciebant, fieri non posse, ut quaevis laeta Paulo contingerent, ut semper doceret, et ex alio in alium locum transferret religionem, sed et mala subeunda, impedimenta superanda, atque hoc etiam modo pro religione pugnandum esse, et plura talia etiam in posterum exspectanda. Hac re commoti Pauli amici et collegae haud illibenter partes eius susceperunt, ne, quod ipse nunc in vinculis Romae detentus non posset facere, id omnino infectum maneret. Quod autem Paulus perferendis malis propter religionem *destinatus* esse dicitur, id non intelligendum est de fatali quadam necessitate; sed hoc, quod in Paulum ingruebat, ita evenire debuit per rerum naturam, per Iudaeorum, quibus Paulus propemodum non poterat non displicere, ingenium et indolem. Vid. *Mori* dissertatt. theol. et philolog. p. 137. s. Οἱ δὲ ἐξ ἐριθείας, sc. ὄντες, *contentiosi*, iidem falsi Apostoli, de de quibus modo sermo fuerat. Hi, inquit, doctrinam Christi annunciant οὐχ ἁγνῶς, *non caste* vel sincere, multa addentes aut silentio praetereuntes. Οἰόμενοι θλῖψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου, *existimantes se sic calamitatem vinculorum meorum posse augere*, i. e. meam caussam reddere exosam, liberationemque e vinculis difficiliorem. Οἴομαι cum Infinit. constructum omnino significat *existimo*. *Plato* in Apol Socr. οἰόμενοι βλάπτειν τι, quod Cicero in Quaest. Tuscul. L. I. c. 51. vertit: *mihi nocere crediderunt*. Ἐπιφέρειν denotat *addere*, *adiicere*. Hanc significationem saepe habet apud Philonem, velut Leg. ad Cai p. 109. E. τὸ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν πῦρ ἐπιφέρων πυρί, *iuxta quod in proverbio dicitur ignem addens incendio*.

18. Τί γάρ;) Sc. διαφέρει. *Quid enim refert?* vel quomodo diceretur latine: *quid tum postea? Sey es doch!* πλὴν — καταγγέλλεται) *Veruntamen quovis modo, sive fiat simulate, sive sincero animo, annunciatur Christi religio.* Πρόφασις h. l. est *simulatio*, ut Matth. XXIII, 14. Per ἀλήθειαν, h. l. *animi sinceritas et integritas* intelligitur, uti 1 Cor. V, 8. ubi εἰλικρίνεια et ἀλήθεια coniungitur. Mens Apostoli non est, perinde esse, sive hoc sive alio modo doceatur Evangelium, sed melius esse dicit, Ethnicos et Iudaeos aliquam, quam nullam de Christo habere notitiam. καὶ ἐν τούτῳ — χαρήσομαι) *De hoc quoque gaudeo et gaudebo.* Quamvis nec sincere, nec recte a multis doctrina Christi proferatur, gaudeo tamen, qualicunque modo hoc fieri.

19. Οἶδα γὰρ—σωτηρίαν) *Scio enim, hoc in meum commodum esse cessurum.* Τοῦτο, omnis conditio, de qua antea dixit. Σωτηρία, *emolumentum, utilitas.* De salute aeterna h. l. non est sermo. Quodnam emolumentum de vinculis suis expectaverit Paulus, id in sequentibus satis clare docet. διὰ τῆς — Ἰησοῦ Χριστοῦ) Praesertim *vobis pro me precantibus, et adiuvante Spiritu Christi.* Ἐπιχορηγία h. l. est *auxilium.* Πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ videtur esse animus et sensus, similis Christi menti, ut Rom. VIII, 9. et aliis locis, vel τὸ πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ est ipse Christus, ut sensus sit: *adiuvante Christo.*

20. Κατὰ — ἐλπίδα μου) De voce ἀποκαραδοκίας cf. Rom. VIII, 19. *Confidentissime enim spero.* ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι) *Quod in nulla re pudefiam.*

αἰσχυνθ., pudore affici, vitii convinci, spe sua falli. Paulus sperat, suam spem in nulla re ad religionem pertinente frustratum iri. μεγαλυνθήσεται—σώματί μου) *Celebrabitur Christus* (s. honor et gloria Christi) *per id quod corpori meo eveniet.* εἴτε διὰ ζωῆς — θανάτου) Si enim incolumis e vinculis evasero (διὰ ζωῆς), tota mea reliqua vita gloriae Christi consecrata erit. Si moriendum fuerit pro Christo, morte mea veritas doctrinae Christi confirmabitur.

21. Ἐμοὶ—κέρδος) *Nam vita mea consecrata est Christo; et si moriar, lucro id mihi erit,* vel ut alii malunt: *Dum vivo, ad Christum* (i. e. ad Christi doctrinam), *dum morior, ad me praecipuus fructus redit* (quoniam aerumnis omnibus liberabor), sensu haud multum diverso. Χριστὸς, *doctrina Christi.* In ea Paulus quasi vivebat; totus in eo erat, ut eam propagaret. Τὸ ζῆν, pro ἡ ζωὴ, *vita.* Alii sic exponunt hoc comma, ut Christus utrobique sit subiectum: ὁ Χριστὸς ἐμοὶ (κατὰ) ζῆν καὶ (κατὰ) τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, *Christus et in vita et in morte mihi lucrum est,* i. e. sive vivam, sive moriar, nullum aliud lucrum exspectabo quam Christi favorem et benevolentiam.

22. Εἰ δὲ—ἔργου) *Quodsi vero vita mea in corpore utilitatem afferret muneri meo,* vel, ut *Reichardus* vertit: *Quodsi vita longior maiorem docendi occasionem attulerit.* Nam τὸ ἔργον saepe κατ' ἐξοχὴν est munus tradendi Christianam doctrinam, ut 1 Thess. V, 13. Τὸ ζῆν, pro ἡ ζωὴ. Καρπὸς a probatissimis Scriptoribus pro *fructu, utilitate,* bonarum rerum effectuumque proventu ponitur; h. l. fructus ex

munere redundans. Vita mea eo pertinet, ut muneris mei fructus multi percipi possint. καὶ τί — γνωρίζω) *Sane quid eligam, nescio.* Καὶ, *sane.*

23. Συνέχομαι δὲ ἐκ τῶν δύο) *Distineor duarum rerum cura.* Duo mala sibi repraesentat Apostolus, absentiam a Christo, et absentiam ab ecclesiis, quae e munere suo apostolico fructum capere debebant; et animo pendere se ait, quodnam ex his praeferendum sit. τὴν ἐπιθυμίαν — Χριστῷ εἶναι) *Cupiens discedere ex hac vita, et versari cum Christo.* Apud Graecos ἀναλύειν generatim *discedere* notat. *Mors* vero plurimis vocabulis, quae *abitum* indicant, exprimi solet; hinc pro scribentis arbitrio mors uti discessus a convivio sive e diversorio, sive e domo, sive e carcere spectari potest. *Cicero* de senect. circa finem: *Ex vita discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit.* Apostolus vero discessum suum e vita ut exitum e domo et carcere repraesentare videtur. Opponit enim τὸ ἀναλῦσαι et τὸ ἐπιμένειν ἐν σαρκὶ v. 24., sive μένειν v. 25. adeoque aptissimum est, ut post ἀναλῦσαι quasi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ subaudiatur ἐκ τῆς σαρκός. Cf. 2 Cor. V, 1. 2. πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον) *Quod quidem multo satius fuerit;* mihi nempe optabilius. Ratio est in promptu. Praeoptavit nempe mortem, ut liberaretur ab huius vitae molestiis, et consortio Christi frueretur. Vocula μᾶλλον abundat. Sic μᾶλλον περισσότερον Marc. VII, 39. Andocides orat. 4. μᾶλλον δικαιότερον.

24. Ἀναγκαιότερον (ut bene notat *Loesnerus* ad h. l.) reddi potest, *praestat, melius est.* Nam ἀναγκαῖος saepius adhibetur de rebus *gravibus expetendis, magni faciendis.* Philo de Musica, p. 17. D. οἱ ἄνθρωποι — ἀναγκαιοτάτην καὶ ὠφελιμωτάτην τέχνην τῷ βίῳ παρέδοσαν, *homines artem praestantissimam utilissimamque vitae communi tradiderunt.* δι' ὑμᾶς) *Propter vos*, ut vos porro in religione Christi corroborem, alios vero instituam.

25. Καὶ τοῦτο — πᾶσιν ὑμῖν) *Et hoc persuasus*, (sc. melius esse, ut vestra caussa diutius perdurem in vita) *scio me mansurum esse apud vos* (in hac mortali vita). εἰς τὴν — πίστεως) Ut adiuvem profectum in cognitione et virtute, et gaudium, quod ex fide promanare solet.

26. Ἵνα τὸ καύχημα — ἐν ἐμοὶ) *Ut laetitia vestra de successu doctrinae augeatur per me.* Ἐν pro διά. Χριστὸς, doctrina Christi, eiusque successus. Nam ex eo, quod vobis incolumis reddar, cognoscetis, Christum vobis favere, reddito vobis doctore, quem vel maxime amatis atque desideratis. διὰ τῆς — πρὸς ὑμᾶς) *Quum rediero ad vos, e vinculis liberatus.*

27. Μόνον — πολιτεύεσθε) *Tantum vos gerite ita, ut decet eos, quibus Evangelium Christi est revelatum.* Πολιτεύεσθαι, *rempublicam gerere, in republica versari*, usurpatur etiam de quavis conversatione et vitae genere, de moribus, quibus aliquis se gerit, hebr. הִתְהַלֵּךְ. Translatio ducta a civibus, qui secundum civitatis suae leges vivunt. τὰ περὶ ὑμᾶν)

Τὰ, pro ταῦτα, *haec.* Optat Apostolus semper audire de Philippensibus ea, quae statim sequentibus verbis commemorantur. ὅτι—πνεύματι) *Vos perpetuo pariter esse affectos. Dass ihr immer Eines Sinnes bleibt.* Nam πνεῦμα *affectum* significat, et animum, 1 Cor. IV, 21. et alibi saepe. μιᾷ—τοῦ εὐαγγελίου) *Unanimi consensu certantes pro utilitate Evangelii.* Certat autem pro fide Evangelii, vel pro religione, qui constanti animo eam profitetur, nec sibi eam eripi vel afflictionibus patitur. Potest etiam συναθλεῖν simpliciter positum referri ad Paulum cum ceteris Apostolis, et πίστει casu sexto accipi, quo modus et instrumentum denotetur: *Una decertantes* mecum, nempe contra adversarios, *per fidem Evangelii.* συναθλεῖν, *socium esse certaminis.* Grotius: Certantes quasi facto agmine contra hostes Evangelii, idque per fidem, habitam et servatam ipsi Evangelio.

28. Καὶ μὴ—ἀντικειμένων) *Et nihil territi illorum hostium minis.* Πτύρεσθαι, *consternari, terreri,* terrore subito et vano. Proprie vox de animalibus, praesertim equis adhibetur, repentino quodam obtutu perturbatis, Diod. L. XVII, c. 34. Translate πτύρεσθαι de hominibus consternatis, imperata facere detrectantibus usurpat Plutarch. in reip. ger. praec. *Satis haberi debet, si multitudo* μήτε ὄψει μήτε φωνῇ πτυρόμενον, ὥσπερ θηρίον ὕποπτον καὶ ποικίλον, ἐνδέχοιτο τὴν ἐπισταστίαν, *nullo visu adituve consternata, veluti suspecta et inconstans bellua, rectorem admittat.* ἥτις — σωτηρίας) *Quod (terrere) illis quidem exitii est indicium, vobis autem* (hoc *terreri*, affligi et vexari ab adversariis indicium est) *futurae salutis.* Di-

xit ἥτις, non ὅπερ, vel ὅ, τι, quia sequitur ἔνδειξις. Potest etiam subintelligi ἐπιχείρησις, vel simile nomen. Scholion ap. Matthaei: ἐπιχείρησις δηλονότι· ἐκείνους μὲν ἐπιβουλεύειν, ὑμᾶς δὲ μὴ θορυβεῖσθαι. Hesychius: ἔνδειξις, ἀπόδειξις. Quum videant minas suas nihil proficere, vos autem in mediis malis a Deo sustentari, inde capere argumentum debent, quis futurus sit utrorumque exitus. καὶ τοῦτο ἀπὸ θεοῦ) Sc. γενήσεται. *Et hoc Deo sic moderante eveniet*, ut illi tandem sentiant, sibi ipsis perniciei esse conatus vos vestramque religionem infestandi; vos autem sentiatis, constantiam in religione vergere vobis in salutem. Referenda igitur sunt haec verba ad utrumque membrum superius.

29. Ὅτι ὑμῖν — πάσχειν) Pro: ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη οὐ μόνον τὸ εἰς Χριστὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ πάσχειν. Ἐχαρίσθη ὑμῖν, *digni habiti estis*. Sicut fides dicitur Dei donum, Eph. II, 8., sic etiam occasiones illae pro Christo dura patiendi, qui honos summus.

30. Τὸν αὐτὸν — ἐν ἐμοὶ) *Dum easdem molestias sustinetis, quas scitis me sustinuisse*, (quum apud vos essem,) *et nunc me sustinere auditis*. Ἔχοντες pro Dat. ἔχουσι. Ἀγῶν, proprie *certamen*, deinde quaevis *molestia* et *aerumna*. Ἐν ἐμοὶ, *de me*, quomodo accepere Syrus et Latinus. Verbis: οἷον εἴδετε ἐν ἐμοὶ, tangit historiam, quae est Act. XVI, 19. et sequentibus.

CAP. II.

1. Εἴ τις οὖν—οἰκτιρμοί) *Si igitur tanquam Christiani mihi solatium afferre vultis, si qua animorum coniunctio et similitudo inter nos intercedit, si quis amoris affectus.* Sic Syrus intellexisse videtur. Est valde blanda et pathetica oratio. Παραμύθιον, *levamen, solatium.* Παράκλησις ἐν Χριστῷ, *consolatio ex charitate profecta*, sunt Synonyma. Verba εἴ τις παράκλησις ἐν Χριστῷ sic etiam exponi possunt: *Si exhortatio nomine Christi instituta locum apud vos habere potest*, vel tandem: *Si qua consolatio in Christianis est*, h. e. si quid discipuli Christi solatii alii aliis afferre possunt; ἐν Χριστῷ, *per Christum*, in eius discipulis, quae verba etiam ad omnia membra sequentia referri possunt. Εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης, *si charitas*, qua Christiani inter se devincti sunt, quod solamen animo afferre potest. Εἰ in talibus vehementer affirmat, quasi dicat: scio Christianos Christianis maximum solamen afferre posse. Κοινωνία πνεύματος, animorum coniunctio, qualis inter amicos esse solet. Σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, רַחֲמִים, *intimae charitatis sensus.*

2. Πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν) *Cumulum afferte gaudio meo. So macht meine Freude dadurch vollkommen.* ἵνα τὸ αὐτὸ — φρονοῦντες) *Ut non tantum in doctrina consentiatis, sed etiam inter vos sit mutuus amor, et plena animorum coniunctio.* Τὸ

αὐτὸ φρονεῖν et τὸ ἓν φρονεῖν per se idem significare possunt; sed hoc loco ipse sermonis ordo discrimen harum locutionum satis ostendit. Nempe τὸ αὐτὸ φρονεῖν *consensum* notat in doctrina, ut infra III, 15. τὸ ἓν φρονεῖν consensum notat in vita, et mutuis charitatis officiis, ut Rom. XV, 5. Demosthenes de pace: ὅσοι γε δὴ τὰ αὐτὰ τούτοις φρονοῦσι, *qui cum his consentiunt.* Dionys. Hal. Ant. L. VII. ἕως οὗ τὸ αὐτὸ φρονήσωσιν ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα λόχοι, *donec nonaginta septem centuriae inter se consentirent.*

3. Μηδὲν — κενοδοξίαν) Sc. πράσσοντες, ποιοῦντες. *Sic ut nihil faciatis contentiose, vel vanae gloriae studio.* Cf. Gal. V, 26. ἀλλὰ — ὑπερέχοντας ἑαυτῶν) *Sed ex modestia quisque vestrum alios se praestantiores existimet.* Hoc est modestiae ingenium, de aliis magnificentius semper, quam de se opinari.

4. Μὴ τὰ — ἕκαστος) Vel, ut alii legunt: ἕκαστοι. *Quisque non tantum ea spectet, quae ipsius gloria postulat, sed et ea curet, quae aliis debentur,* iisque sunt praestanda. Hortatur igitur Apostolus Philippenses, ut modestiae sint studiosi, et aliis libenter se submittant, ut contextus tum antecedentium tum consequentium docet. „Τὰ ἑαυτῶν atque τὰ ἑτέρων non unice sunt nostra vel aliorum commoda, sed omnia, quae ad nos vel alios pertinent, adeoque etiam ea, quae nobis aut aliis ob dotes animive indolem aut conditionem et munus, vel ulla alia de caussa debentur, iureque ab aliis possunt postulari.“ Sic *C. A. Th. Keil*, in huius loci v. 5 — 11. explicatione, omnino hic conferendus. Commentatatio eius in

hunc locum, quae Lips. 1803. prodiit, inserta est Volumini VII. *Sylloges Commentatt. theoll. editae a D. I. Pott*, Helmst. 1806. p. 20. sqq.

5. Τοῦτο—γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ) *Itaque sensus is sit in vobis, qui in Christo Iesu fuit.* Φρονεῖσθω impersonaliter, quasi dicas: sentiatur. Christus autem ita animo affectus fuit, ut humilem se tenuemque gereret, alienus a vana gloria, v. 4., nec sua spectaret, sed aliorum hominum commoda, et hoc cum maximis suis incommodis et laboribus, v. 4. Utrumque horum conspicitur in exemplo Christi, quod nunc v. 6. sqq. uberius describitur et ad imitandum proponitur.

6. Ὃς ἐν μορφῇ — ἴσα θεῷ) *Qui, quum similis Deo esset, non ostentavit se similem Deo.* Μορφή, ὁμοίωμα, σχῆμα v. 6. et 7. tanquam aequipollentes a Paulo usurpantur, ut ex cohaerentia sequentis sententiae, et ex antithesi v. 7. (μορφὴ δούλου) apparet. Itaque ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν erit divina auctoritate praeditum esse, divinam auctoritatem ac maiestatem referre. Hanc autem Christus, quum inter homines degeret, docendo, inprimis vero stupendis et variis miraculis edendis retulit. De conditione Christi ἀσάρκου, naturaque eius augustiore, de qua sola illa similitudo cum Deo potest praedicari, vereque praedicatur, sermonem esse, recte *Keilius*, aliique monuerunt. Cf. Col. I, 15. Hebr. I, 3. οὐχ ἁρπαγμὸν—ἴσα θεῷ) Proprie: *Non rapinam* aut spolium alicui detractum *duxit, esse similem Deo*, i. e. non ostentavit dignitatem suam divinae similem; non festinanter vel cupide usus est potentia et maiestate sua divina; non cupide arri-

puit, non sibi arrogavit. Raptores res aliis ereptas mordicus retinere, itemque interdum etiam iactitare solent; unde qui cupide aliquid arripiunt, vel rebus suis superbiunt, interdum dicuntur res suas *rapinae loco ducere*. Heliodor. L. VIII. ἅρπαγμα τὸ ῥηθὲν ἐποιήσατο, rapinae loco habuit, i. e. *cupide arripuit illud consilium*. Apud Latinos *rapere* interdum est cum festinantia trahere, auferre. *Vopisc.* in vita Taciti: Discant, qui regna cupiunt, *non raptum ire imperia*, sed mereri. Vid. etiam *Telleri Wörterbuch des N. T.* sub voce *Raub*, et cf. *Langii* librum: *zur Beförderung des nützlichen Gebrauchs des Tellerischen Wörterbuchs*, Tom. IV, p. 49. Varias aliorum sententias vid. apud *Wolfium* in Curis ad h. l. ἴσα Θεῷ, *instar Dei*. Neutrum plurale ἴσα, quod more Graecorum saepe adverbialiter ponitur, ubi verbis εἶναι vel γίνεσθαι iungitur, pro adiectivo usurpatur. Sic Iob. X, 10. ἐτύρωσάς με ἴσα τυρῷ, *compegisti me, ceu caseum*, et c. XL, 15. χόρτον ἴσα βουσὶν ἐσθίουσιν, *gramen aeque ac boves, instar boum comedunt*. Articulus τὸ h. l. ponitur δεικτικῶς. *Illud*, puta *quod esset instar Dei*. Quanquam homines, inter quos versatus est, ignorabant eius dignitatem, quod nempe instar Dei esset, non tamen ostendere gestiit maiestatem, quae ipsi tanquam filio Dei competebat.

7. Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε) *Sed humilem, tenuem se gessit;* er hat sich selbst herabgesezt. Matth. VIII, 20. Hebr. הֵרִיק, *extenuavit, depressit se ad humilitatem*. Inde *inopes, humiles*, dicuntur κενοί, Gen. XXXI, 42. Luc. I, 53. et κενοῦν significat *dignitatem suam amittere*, Rom. IV, 14. 1 Cor. I, 17. Chry-

sostomus iam ἐκένωσε recte explicavit ἐταπείνωσε. μορφὴν δούλου λαβὼν) *Dum servi* et ministri Patris *provinciam in se suscepit.* Christus propterea appellatur δοῦλος, *minister Dei*, quod Patris mandata in se suscepit, iniunctumque sibi negotium gessit. Nam duo membra orationis, ἐκένωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν δούλου λαβὼν, et ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, ὑπήκοος γενόμενος, ita sibi respondent, ut unum, ὑπήκοον γινέσθαι, explicando alteri, δούλου μορφὴν λαβεῖν, inserviat. (Vid. *Mori* dissertatt. p. 313. s.). Quum igitur instar Dei esset, tamen submisit se Deo, perficiendo negotio sibi a Patre tradito. Alii δούλου nomine omnino tenuem humilemque conditionem expressam existimant, ut Paulus dicere velit: Christus non tantum aliunde nihil rapuit, verum etiam, quod habebat, abdicavit; quumque filius Dei esset, et omnium Dominus, sese ad servilem conditionem, ut alii de vulgo homines, demisit. Matth. XXI, 34—38. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος) Hebraismus pro: ὅμοιος τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις γενόμενος. Sensus est: *hominum similis redditus est eo, quod et ipse homo factus, humanam formam induit.* Recte notant Graeci interpretes, mentionem factam ab Apostolo ὁμοιώματος, quod in Christo etiam fuerint quaedam ὑπὲρ ἄνθρωπον, ut quod Deus esset, quod expers peccati, quod natus de virgine. Ut vero δούλου provinciam gerere, negotium docendi subeundaeque mortis peragere posset, necesse erat ut homo esset, humanoque more ac ritu viveret.

8. Καὶ σχήματι — ἑαυτὸν) *Et similis factus hominibus, depressit se* in statum humilem et tenuem. Priora verba ad sequentia referenda sunt, ita ut parti-

cula καὶ, verba finita: ἐκένωσε et ἐταπείνωσεν, non vero participia γενόμενος et εὑρεθεὶς iungat. Proinde comma 8. non cum verbo ἐταπείνωσεν demum, sed, ut factum iam est in editione Reineccii, Bengelii, Matthaei et Knappii, cum illis potius: καὶ σχήματι etc. incipiendum est. Vocabulum σχῆμα non tantum habitum atque formam externam, sed quamcunque etiam similitudinem exprimit, quae uni rei aut personae cum altera intercedit, et nunc est synonymum vocabulorum ὁμοίωμα et μορφή. Εὑρίσκεσθαι autem saepe poni pro γίνεσθαι, et particulam ὡς ex usu hebraici כ non semper similitudinis, sed etiam saepe veritatis notam esse, notum est. Ταπεινοῦν ἑαυτὸν, *se demittere*, ita ut minoris deteriorisque conditionis appareas aliis, quam sis. γενόμενος — σταυροῦ) *Obedivit usque ad mortem, ad mortem crucis.* Obediens fuit, nempe Patri, et quidem in omnibus, adeo ut etiam gravissimis cruciatibus et ignominiosae morti se offerret, consilio Patris obsecundans, eiusque voluntati se accommodans. Nam Patris amore ductus Iesus morti se obtulit. Io. XIV, 31. X, 18. Grotius locum nostrum explicat de eo, quod Iesus non opposuit vim illam divinam capientibus se, damnantibus, interficientibus; quod tantas iniurias libenter pertulit, bono humani generis, et, quod maximum est, passus est crucis supplicium, summe atrox et despectum. Sed hoc ipso Iesus mandata Patris exsequutus est, ei obedivit.

9. Διὸ καὶ — πᾶν ὄνομα) *Quapropter etiam Deus eum in summam sublimitatem evexit, et donavit ei dignitatem, quae alias omnes dignitates longissime superat.* Διὸ, quoniam Patri obediens, tenuem se

gesserat, et ignominiosae morti etiam se obtulerat, Deus eum praemii loco ad summam dignitatem evexit, ut sit iam omnium Dominus. Ὑπερύψωσε, opponitur τῷ ἐταπείνωσεν ἑαυτόν. Ex homine despectissimo factus est omnium honoratissimus, maxima conspicuus dignitate. Ὄνομα, שֵׁם, *dignitas, Würde, Hoheit,* ut: *vir magni nominis, magnum nomen.* Hoc Christi exemplo Paulus confirmare vult, eum hominem, qui obediens Deo se submittat in miseriis etiam perferendis, a Deo ad summam provehi felicitatem. De quanam dignitate nunc cogitaverit Paulus, indicat v. 11., omnes nempe agnoscere debere, *Iesum Christum dominum esse.* Cf. Rom. XIV, 9. Hebr. II, 9. cap. XII, 2. et alia loca.

10. Ἵνα ἐν—καταχθονίων) *Ut hunc Iesum colere debeant omnes in coelis, et in terra et inferis terrae locis versantes.* Vocabulum ὄνομα, et praepositionem ἐν, tanquam notam dativi ex Hebraeorum more abundare, vel etiam hanc praepositionem per *propter* vertendam, et vocabulum ὄνομα de eadem dignitate explicandum esse, censet Keilius l. c., ut sensus sit: *Ut propter hanc ipsam dignitatem Iesu concessam, eum adorent* etc. Κάμπτειν γόνυ, *genu flectere,* summae subiectionis et reverentiae signum, h. l. est: *subiectum esse tanquam domino,* eum adorare et colere ut statim v. 11. explicatur. Ἐπουράνιοι sunt angeli in coelis, ἐπίγειοι, homines in terra, καταχθόνιοι, qui sunt in שְׁאוֹל, ᾅδῃ, apud inferos. Hebraei nempe cum omnibus fere gentibus antiquioribus, omnium rerum creatarum ambitum perscribere solebant sic, ut coelum,

teram atque loca subterranea et omnia, quae in iis sint, commemorarent. Exod. XX, 4. Deut. IV, 17. 18. Ps. XCVI, 11. Ezech. XXXVIII, 20. Eundem dicendi morem etiam N. T. scriptores secuti sunt, ut Act. IV, 24. Apoc. V, 13. Paulum igitur h. l. de angelis in coelo, de hominibus in terra, et de mortuis, qui apud inferos propriam quasi sedem habere existimabantur, haud dubie cogitasse, ex aliis etiam N. T. locis intelligitur, e. gr. Eph. I, 21. 1 Petr. III, 22. et Rom. XIV, 9. Alias aliorum sententias recensuit et refutavit *Keilius* l. c. Quodsi quaeritur, quomodo mortui et apud inferos versantes Iesum colere et venerari debere dici possint, respondendum est, ex Iudaeorum illius aetatis, hincque N. etiam T. scriptorum sententia non omnem iis, qui apud inferos degant, sui conscientiam demtam esse, sed eam iis in orco quoque superesse, Luc. XVI, 19. sqq. vel, quod magis placet, mortuos, et apud inferos versantes spectari nunc, tanquam in vitam revocandos, eosque hinc Christum dici colere debere, quippe in vitam olim redituros. Rom. XIV, 9.

11. Καὶ πᾶσα — πατρός) *Et omnes creaturae intelligentes in honorem Dei patris agnoscere debeant et colere Iesum Christum tanquam dominum.* Πᾶσα γλῶσσα, improprie; nam desumta sunt haec verba ex Ies. XLV, 23. *omnis lingua iurabit.* Verba εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς non sunt coniungenda cum proxime antecedentibus verbis Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, sed cum remotiore vocabulo ἐξομολογήσηται, ut sensus sit, Iesum Christum ab omnibus dominum esse agnoscendum, atque talem colendum in honorem Dei Patris. Nam, ipso Paulo docente, Deus est is, qui eum ad istam digni-

tatem evexit, eamque et ideo decrevit, ut obedientiam sibi ab eo praestitam, declaratamque ea re ταπεινοφροσύνην remuneraretur.

12. Ὥστε — κατεργάζεσθε) *Quapropter* (Christi exemplum imitantes), *dilectissimi mei*, *obedite* Evangelio *ut semper* fecistis, *non tantum in praesentia mea, sed nunc multo magis me absente. Omni reverentia et verecundia id agite ut salutem consequamini aeternam.* Ὑπηκούσατε est Imperativus, et subaudiendum est τῷ εὐαγγελίῳ, ut 2 Thess. I, 8., aut τῷ λόγῳ, ut 2 Thess. III, 14. Post verba ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου pone punctum. Μετὰ φόβου καὶ τρόμου, cum omni reverentia et verecundia, sc. reliquis, vel potius *Deo* debita. Cogitare debebant, omnia referenda esse ad Deum, sine cuius ope nihil boni efficere possint, v. 13. Alii sic connectunt: μὴ ὡς ἐν — κατεργάζεσθε) *Non tantum me praesente, sed et nunc multo magis me absente, summo studio et cura id agite, ut salutem consequamini aeternam.* Φόβος καὶ τρόμος hic iterum iunguntur αὐξήσεως caussa, ut 1 Cor. II, 3. et τρόμος per metonymiam est *sollicitudo summa*, vel potius verecundia et reverentia. Verorum amicorum est, etiam absentium mandata memore animo retinere, et fideliter implere.

13. Ὁ θεὸς — εὐδοκίας) *Deus enim in vobis efficit et voluntatem et facultatem* (ad agendum id, quod saluti vestrae conducit), *pro summa sua in nos benevolentia.* Τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, pro nominibus substantivis. Ἐνέργημα, *vis, facultas*, 1 Cor. XII, 6. Εὐδοκία, רָצוֹן, *benevolentia*, propensa

voluntas. Non autem excluditur nostrum studium et opera; debemus enim κατεργάζεσθαι (v. 12.); sed monemur ut in nostro studio simus verecundi, non tribuentes nobis solis omnia, ea de caussa, quia Deus est is, qui per doctrinam Christi efficit, ut possimus et velimus discere, credere, animum et mores emendare, et qui nostrum in usu doctrinae studium successu secundat, ut adeo omnem successum et fructum debeamus divino beneficio. *Consulendum essē saluti*, Vs. praeced. dixerat Paulus, ad quam rem, docente hoc Vs., Deus benigne omnia suppeditat, et vires, et alia. Quare et haec verba ad modestiam in Christianis efficiendam dicta sunt.

14. Πάντα — διαλογισμῶν) *Sine murmurationibus*, i. e. *indignatione* respectu aliorum; nam amori adversantur non modo rixae et clamores, sed etiam murmurationes. *Sine dubitationibus*, respectu vestri, *ohne bei euch lange anzustehen.*

15. Ἵνα — ἀκέραιοι) *Ut sitis irreprehensi et integri (homines vitae integerrimae et sanctistimae).* Eustath. ad Hom. Il. β. v. 853. ἴσως δὲ τοῦ ῥηθέντος (sc. κεραΐζειν pro *laedere, perdere,*) ἀκέραιος, ὁ ἁπλοῦς καὶ πρᾴθυμος καὶ μή τινα κεραΐζων, i. e. ἀκέραιος, homo simplex, *moribus lenis, neminemque laedens.* Ioseph. Ant. I, 2, 2. de simplicitate vitae primorum hominum: ἀκέραιον αὐτοῖς ὄντα τὸν βίον, *quum ipsis esset vivendi ratio simplex et integra.* Τέκνα θεοῦ ἀμώμητα, *filii Dei omnis vitiositatis expertes.* ἐν μέσῳ — διεστραμμένης) *Inter medios improbos et perversos huius aetatis homines.* Σκολιὸς, con-

tortus, pravus, perversus. Διαστρέφειν, *torquere,* saepe etiam est *corrumpere, pervertere, vitiosum reddere,* unde et διαστρέφεσθαι, ad animum translatum, de iis dicitur, qui perversis imbuti opinionibus veritatem repudiant, vel moribus sunt pravis et perversis. Cf. Act. II, 40. Merito. Erant enim eo tempore mores Iudaeorum et gentium non conversarum ad Christum corruptissimi. ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ) *Inter quos splendetis,* sive splendere debetis, *sicut soles et stellae in mundo.* Φωστῆρες, מְאֹרֹת Gen. I, 14., sol et luna, quibus recte comparantur ii, qui vere sunt Christiani Matth. V, 14. Etiam Hebraei dicere solent: quod luminaria in coelo, id sapientes in terra.

16. Λόγον ζωῆς ἐπέχοντες) *Doctrinam salutarem* vita factisque spectandam *exhibentes.* Λόγον ζωῆς ἐπέχειν est *doctrinam salutarem prae se ferre,* i. e. vita factisque spectandam exhibere, demonstrare, ut alii eius vim et praestantiam agnoscant et adamare incipiant. Hunc sensum quum linguae ratio, tum series orationis (v. 15.) admittit. Vid. *Mori* dissertatt. p. 64. s. Alii h. l. ἐπέχειν accipiunt pro κατέχειν, et vertunt: *Firmiter tenere doctrinam salutiferam.* Hesychius: ἐπέχοντες, κρατοῦντες. Λόγος, *doctrina Evangelii.* Ζωή, quod *vitam,* salutem affert. Ἐπέχοντες, sc. ἐστε. Εἰς καύχημα — ἐκοπίασα) *Ut aliquando in iudicio Christi gloriari mihi liceat, in vobis labores minime fuisse frustraneos.* Ὅτι a καύχημα pendet. Τρέχειν, pro eo, quod statim additur κοπιᾶν Gal. II. 2. Εἰς κενὸν, *frustra, irrito conatu.* Simili loquendi formula utitur Iosephus Ant. XIX, 1. 4.

17. Ἀλλ' εἰ καὶ—τῆς πίστεως ὑμῶν) *Etiamsi vero immolari quasi debeam propter sacrificium et ministerium fidei vestrae; (si vitam et sanguinem profundere me opporteret, in hoc meo munere, quo vos ad fidem adduxi.)* Sic circumscribenda haec verba, ut sensus pateat. Θυσία h. l. vel praedicationem doctrinae christianae, vel ipsos homines significat, qui per religionem christianam Deo grati et accepti redduntur, coll. Rom. XV, 16. 1 Petr. II, 5. Λειτουργία h. l. est *munus apostolicum*, cuius administratio nunc λειτουργία τῆς πίστεως vocatur. Ἐπὶ, *propter*. Σπένδεσθαι non tantum dicitur sanguis animalis mactati et mortui, sed etiam animal vivens arae destinatum, quum illud vino affuso libatur. Posteriori sensu accipitur et hic, et 2 Tim. IV, 6. Hoc verbo autem utitur Apostolus, quia operam suam in annuncianda doctrina Christi comparare volebat cum munere Sacerdotum V. T. Sicuti enim Sacerdotes victimas praeparabant solemni ritu, et offerebant: ita etiam Paulus Philippenses fecerat Deo victimas. Rom. XII, 1. XV, 16. Eos doctrina et exemplo suo ita paraverat, ut Deo grati essent. Videbat facile fieri posse, ut ipso sanguine fidem et Philippensium et aliorum confirmaret. Id hic vocat σπένδεσθαι, *libari*. χαίρω—ὑμῖν) *Gaudebo et gratulabor vobis omnibus.* Nam ad vos et fideles omnes fructus mortis meae perveniet. Praesens pro futuro.

18. Τὸ δ' αὐτὸ—συγχαίρετέ μοι) *Ob id ipsum vero et vos* (ut spero) *gaudebitis, et mihi gratulabimini.* Latine etiam dicimus: *Hoc gaudeo.*

16. Ἐλπίζω — πέμψαι ὑμῖν) *Spero autem fore, Christo adiuvante, ut Timotheum ad vos mittam*

quam primum possim. Lubentissime Timotheum misisset; quia id vero nondum fieri poterat, nunc Epaphroditum praemittebat, v. 25. sq. Ἵνα κἀγὼ — περὶ ὑμῶν) *Ut et ego iterum bono animo esse possim, cognito statu vestro.* Εὐψυχεῖν est *bono, forti et tranquillo animo esse.* Sic Iosephus Ant. V, 1, 29. Iosuam vocat εὔψυχον καὶ μεγαλότολμον, *animosum et audacem.*

20. Οὐδένα — μεριμνήσει) *Neminem enim habeo pari affectu animi praeditum, qui res vestras adeo germane* et sincere *curare soleat.* Ἰσόψυχον, intellige ita animatum, ut Apostolus animatus erat. Elliptice: ἐξ ἴσου πρόθυμον, vel ὁμοίως ἐμοὶ πρόθυμον οὐδένα ἔχω ἢπερ τὸν Τιμόθεον, nemo est, qui aeque studeat mecum vobis atque Timotheus. Γνησίως, *sincere*, in Glossario.

21. Οἱ πάντες — Χριστοῦ Ἰησοῦ) *Omnes enim magis suis commodis quam gloriae I. C. student.* Hoc minime intelligit Apostolus de omnibus doctoribus sibi notis, sed de iis, qui tum Romae socii erant muneris, et quos ad Philippenses mittere potuisset. Tum etiam πάντες saepe dicitur de plerisque.

22. Τὴν δὲ δοκιμὴν — εἰς τὸ εὐαγγέλιον) *Hunc* (Timotheum) *autem probatum esse nostis, quod sicut Patri filius mecum inserviverit religioni.* Τὴν δοκιμὴν αὐτοῦ γινώσκετε, *probationem eius nostis*, i. e. nostis quam sit probatus; substantivo posito pro adiectivo, per Hebraismum. Commendatio eius, inquit Paulus, non nititur solo testimonio meo. Ipsi nostis

quam sit probatus. Εἰς τὸ εὐαγγέλιον, h. e. *Evangelio*, religioni christianae docendae et propagandae. Nam Dativi casus notam Graeci vertunt per εἰς. Non dicit Paulus: Timotheus *mihi* servivit, sed, *mecum* servivit, et quidem Evangelio, et ita quidem ut me ut Patrem filius observaret, mihique in omnibus obsequentem se praeberet. Timotheus una cum Paulo Philippis fuerat, Act. XVI, 1—3. XVII, 14. Cf. *Paley horae Paulinae*, ex versione Henkiana p. 230. sq.

23. Τοῦτον — ἐξαυτῆς) *Hunc igitur talem spero me propediem ad vos missurum, simul atque videro, quid de me futurum sit*, quo res meae in hac mea captivitate sint inclinaturae, ut vobis certi aliquid de me nunciare possim. Ἐξαυτῆς construe cum verbo πέμψαι. In Glossario: ἐξαυτῆς, *actutum, e vestigio.* Ὡς ἄν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ, *ubi videro, quid de me futurum sit.*

24. Πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ) *Fiduciam pono in Deo;* a Domino me hoc consecuturum spero, ut supra ἐλπίζω ἐν κυρίῳ.

25. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην) *E re esse iudicavi.* Ἐπαφρόδιτον — πέμψαι πρὸς ὑμᾶς) Epaphroditi et infra meminit c. IV, 18. Hunc vocat συνεργὸν, *adiutorem, participem laboris in annunciando Evangelio*, et συστρατιώτην, *commilitonem participem periculorum;* quod egregie significatur tralatione sumta a re militari. Sic et Philem. com. 2. Ὑμῶν δὲ ἀπόστολον, *vestrum autem legatum.* Epaphroditus igitur a Philippensibus missus erat Romam ad Paulum, ut ei perferret

munus, ad sublevandam eius egestatem. *Theodoretus* ἀπόστολον ὑμῶν bene reddit per τὸν παρ' ὑμῶν ἀποσταλέντα πρός με, et ex verbis contextus sequentibus addit: δι' αὐτοῦ γὰρ ἦσαν στείλαντες αὐτῷ τὰ πρὸς χρείαν. Λειτουργὸν τῆς χρείας μου, *quo subministrante accepi quibus mihi opus erat.* Χρείαν non vocat ipsam necessitatem, sed quibus egebat in ea necessitate constitutus. Πέμψω. *Mittere*, dixit pro *remittere.* Simplex pro composito.

26. Ἐπειδή — πάντας ὑμᾶς) Sc. ἤδειν, quod addunt nonnulli Codices satis vetusti, et recentiores haud pauci Syr. Copt. Aeth. clar. germ. Damasc. Ἀδημονῶν) *Gravissime angebatur.* Vulg. *moestus erat.* Ἀδημονεῖν est paene exanimari et deficere prae dolore. διότι — ἠσθένησε) Vehementer dolebat, *vos de morbo eius audivisse.*

27. Ἠσθένησε παραπλήσιον θανάτῳ) חָלָה לָמוּת, Ies. XXXVIII, 1., ubi Graeci quidam ἐμαλακίσθη ἕως θανάτου, alii ἕως τοῦ ἀποθανεῖν, alii εἰς θάνατον, *profecto enim ad mortem decubuerat.* ἵνα μὴ — σχῶ) Nempe si ad vincula accessisset iactura amici. Hebraice fuisset צָרָה עַל צָרָה. Sed et graeci ita loquuntur, e. g. Plutarchus de sanit. tuenda: ἵνα μὴ πῦρ ἐπὶ πυρὶ — πλησμονή τις ἐπὶ πλησμονῇ, καὶ ἄκρατος ἐπ' ἀκράτῳ γένηται, *ne ignis igni, crapula crapulae et vinum vino superaddatur.*

28. Σπουδαιοτέρως) *Festinantius,* ut habet Latinus. Est enim haec genuina huius vocis significatio, a σπεύδειν. Inde translata altera, quae diligentiam significat.

Ἔπεμψα pro ἀνέπεμψα, *remisi.* ἵνα—χαρῆτε) Distinctio ponenda post πάλιν. Ut, ipsum iterum conspicientes, ob id gaudeatis. κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ) Nempe ubi eum salvum ad suos venisse cognovero.

29. Ἐν κυρίῳ) *Propter Dominum:* ut Christianos decet. Καὶ ἔχετε, et *tales*, qui propter Evangelium se exponunt periculis, *in pretio habete.*

30. Ὅτι διὰ—λειτουργίας) *Etenim ad curandum negotium Christi non dubitavit periculum mortis adire, et vitam discrimini coniicere, ut defectum vestri erga me officii suppleret*, h. e. vestro omnium nomine mihi in vinculis detento inserviret. διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ) In negotiis Christum eiusque religionem concernentibus. μέχρι θανάτου ἤγγισε) i. e. προεχώρησε μέχρι θανάτου, eo usque processit, non consulens vitae suae, ut periculum adiret mortis. παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ) *Non habita ratione vitae.* Παραβουλεύεσθαι significat *perperam consulere*, uti faciunt, qui se in apertum vitae periculum coniiciunt. Verior lectio autem videtur esse παραβολευσάμενος, ut habent vetusti Codices diversarum recensionum, Syr. utr. Arr. Aeth. *Vulgata: parabolatus de anima sua;* clar. germ. boern. Damasc. ex Eusebio, Chrys., ut videtur. Sed sensus est idem, nam etiam παραβολεύεσθαι τῇ ψυχῇ est *vitam periculis exponere.* Plinius in Epistolis: *Periculosa*, utque Graeci melius exponunt, παράβολα. Et latine parabolani dicuntur, qui cum vitae periculo aegrotis adsunt. Utra lectio sit genuina, post alios disputarunt *Gablerus* (Neuest. theolog. Iournal 1799. p. 504—517.) et *Hein-*

richs, Excurs. II. ad hanc epistolam, pag. 141. sqq. Exposuit autem Epaphroditus vitam suam periculo, dum morbo affectus, noluit usquam in itinere subsistere et valetudinis suae curam habere, sed properavit ut perveniret ad Paulum, et defungeretur officio, antequam penitus opprimeretur a morbo. Voluit igitur negotium sibi demandatum, ex amore erga Paulum et Philippenses etiam cum vitae periculis curare et perficere. ἵνα ἀναπληρώσῃ — λειτουργίας) Ut, quae obsequia vos per absentiam mihi praestare non potestis, ipse suppleret. Similis sensus Philem. v. 13. Loquendi genus non dissimile 2 Cor. IX, 9.

CAP. III.

1. Τὸ λοιπὸν — ἐν κυρίῳ) *Quod superest laetamini, vos esse Christianos.* Χαίρειν ἔν τινι, laetari de aliqua re. Ies. XXXIX, 2. Laetantur autem de Christo, qui felices se esse existimant, quod Christum agnoscant. Videtur hic Apostolus finire epistolam voluisse, ut facere solet per vocem τὸ λοιπὸν aut τοῦ λοιποῦ (ut 2 Cor. XIII, 11. Gal. VI, 17. Eph. VI, 10. et aliis locis), sed postea, quum temporis aliquanto plus accepisset, addidisse ea, quae sequuntur. Unde nonnulli verba χαίρετε ἐν κυρίῳ pro formula salutandi habent, et vertunt: *Dominus vobis quaevis fausta evenire iubeat.* τὰ αὐτὰ) *Eadem illa*, quae nempe saepe ex me audistis. Respicere videtur Paulus ad ea, quae praesens ore tradiderat. Nam plures eum epistolas ad Philippenses scripsisse, ex his verbis effici nequit. Ceterum verba: τὰ αὐτὰ — ἀσφαλές iungenda

sunt sequentibus. *Non piget me*, inquit Apostolus, etiam in literis meis repetere, quae vobis inculcavi, quum praesens apud vos essem, ut nempe vobis a doctoribus Iudaizantibus caveatis. *Heinrichs* suspicatur, inde a verbis: τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν incipere novum epistolium, quod peculiari schedula seorsim descriptum, priori illi addiderit Apostolus, non dicatum ecclesiae omni, sed nonnisi certis quibusdam in ea hominibus, quos penitius cognitos, aut hac illave copula sibi haberet devinctiores, quosque in re Christi magis δυνατοῦς, τελείους sciret. Quod additamentum quo ingenio differat ab epistola ipsa, in prolegom. p. 31. sq. ostendere conatur. Est mera coniectura, quam aliis diiudicandam relinquimus. ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν) *Mihi non grave est*; me non piget. Ὀκνηρόν hic ponitur sensu passivo, ut Prov. XXXI, 27. ὑμῖν δὲ ἀσφαλές) *Tutum*, utile. Saepe enim repetita eo melius haerent animo. Syrus non male: *ut vos cautiores sitis*. *Heinrichs* vocabulum ἀσφαλές refert ad Paulum, et sic construit haec verba: ὑμῖν δὲ (ταῦτα γράφειν) ἀσφαλὲς (ἐστι μοι) ut sensus sit: „Non piget repetere literis ea, quae quum vobiscum essem, toties ore vobis inculcavi; atque quum *vobis* ea scribam, tanto amore mihi devinctis, tutus ero (ἀσφαλὲς ἐμοὶ), neque timendum, ne quis vestrum Iudaeis haec ostendendo, capitis periculum aut alia mala mihi afferat.“ Sed nemo non videt, verba ὑμῖν δὲ ἀσφαλές coniungenda esse, et prorsus arbitrarie, atque coniecturae firmandae caussa post ἀσφαλές suppleri ἐστι μοι.

2. Βλέπετε τοὺς κύνας) Βλέπετε, *cavete vobis*. *Videre* pro cavere etiam Latini usurpant. Non tamen

repugno, si quis cum *Heinrichsio* malit vertere: *considerate*, *intuemini* (ut 1 Cor. X, 18.); nam omnino usitatius est dicere: *βλέπειν ἀπό τινος*, ut Marc. VIII, 15. c. XII, 38. Κύνας autem vocat homines et inverecundos et avaros. Tangit illos Iudaismi commendatores, durius eos tractans, ideo quod animum ipsorum penitus noverat. Impudentes autem erant, quia ritus Iudaicos obtrudere volebant. Iudaei solebant gentiles appellare canes, Matth. XV, 26.; sed potiori iure adversarii, contra quos Paulus disputat, sic appellari poterant. *τοὺς κακοὺς ἐργάτας*) *malos doctores*, *ἐργάτας δολίους*, 2 Cor. XI, 13., qui in Evangelio non versantur bona fide. *τὴν κατατομήν*) *concisionem verius quam circumcisionem.* Κατατομὴ h. l. est vocabulum significantius et efficacius, viel bedeutend, *σημαντικὸν*, ut Graeci rhetores talia appellare solent. Respicit enim Paulus iactationes adversariorum de necessitate circumcisionis, et simul exponit conditionem doctrinae ipsorum, quod veram doctrinam mutilantes se ipsos et alios a Christo velut abscinderent. In Glossario: *κατατομή*, *concisio.*

3. Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή) Sc. *ἀληθινή*, *veri nominis circumcisi*, nempe corde, quod ut praecipuum urgent prophetae. Cf. Rom. II, 29. *πνεύματι*) *Animo*, non externis ritibus, sicut Iudaei. Ioann. IV, 24. *καυχώμενοι ἐν* Χρ. I.) In eo gloriam quaerentes, quod Christum colamus, eiusque doctrinam perceperimus. *καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες*) *Nec confidimus in rebus externis*, ad animum non pertinentibus, ut Iudaei facere solent. Σάρξ, ut saepe, *res externae*, conditio externa.

4. Καίπερ—ἐν σαρκί) *Quanquam et ego gloriari possem de rebus externis.* Πεποίθησιν, confidentiam, gloriam, gloriationis argumentum. Εἴ τις—μᾶλλον) *Si quis alius ex eiusmodi vanis rebus gloriam quaerere potest, mihi id multo magis liceret.* Id iam probat.

5. Περιτομῇ ὀκταήμερος) Sensum esse: *Circumcisus sum octavo die,* quisquis facile videt. Sed constructio est inusitata. Explicant nonnulli: Περιτομῇ, *quod ad circumcisionem quidem:* circumcisioni si quicquam tribuendum sit, ὀκταήμερος περιτμηθείς, *octavo die circumcisus.* Alii περιτομὴ legunt primo casu, ut περιτομὴ ὀκταήμερος, circumcisio, quae fit octavo die, sit pro: *Circumcissus octavo die.* Cf. Bowyeri coniect. ad h. l. ἐκ γένους Ἰσραήλ) Prognatus ex gente Israelitica, non proselytus, et ne parentibus quidem natus proselytis. Chrysostomus: ἀπὸ μὲν γὰρ τοῦ ὀκταήμερος περιτμηθῆναι, οὐχὶ προσήλυτος, ἀπὸ δὲ τοῦ ἐκ γένους Ἰσραήλ, οὐδὲ προσηλύτων γονέων. *Ex eo enim, quod octo dies natus circumcisus est, non proselytum, ex eo autem quod genere Israelita fuerit, ne parentibus quidem natum proselytis, patet.* Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων) sc. ὤν, s. πεφυκώς. Indicat Apostolus, se longa serie ex Hebraeis ortum esse, nullo quasi viliori proselytorum sanguine stirpi suae admixto. Sic Xenophon de laudib. Agesil. sub. init. de claritudine generis Agesilai laudat, quod ad ipsum Herculem genus referens, maioribus ortus sit οὐκ ἰδιώταις, ἀλλ' ἐκ βασιλεῦσιν, *non plebeiis, sed regibus, e regibus procreatis.* Demosth. adv. Androtion: ἀνθρώπους καὶ τοὺς βελτίους, καὶ ἐκ βελτίων. κατὰ νόμον Φαρισαῖος) *Quoad sectam Phari-*

saeus. Νόμος hic videtur esse *secta*, *doctrina*, aut *disciplina:* disciplinae Pharisaeorum addictus.

6. Κατὰ ζῆλον διώκων τὴν ἐκκλησίαν) Quod ad zelum, severum religionis iudaicae studium, attinet, etc. Διώκων, i. e. διώξας. Praesens pro Praet. κατὰ — ἄμεμπτος) Δικαιοσύνη ἡ ἐν νόμῳ, virtus, quae circa observationem legis Mosaicae occupatur. Ἄμεμπτος, *inculpatus.* Nihil unquam feci morte aut verberibus dignum.

7. Ἀλλ' ἅτινα — ζημίαν) *Sed haec omnia, quae mihi prodesse valde poterant, nihili feci propter Christum,* damno mihi esse existimavi. Κέρδος, *quod utile est, prodest.* Aelian. V. H. Lib. IV, c. 7. οὐκ ἦν ἄρα τοῖς κακοῖς οὐδὲ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, *ergo malis ne mori quidem prodest.* Ζημία, oppositum τοῦ κέρδος, quod nihil prodest, damnum affert. Potuisset Paulus magnus et eximius fieri in oculis hominum, honores et opes adipisci (κέρδη), si Iudaeus mansisset, et Christianos vexare perrexisset. Sed horum omnium iacturam fecit propter Christum, Christi doctrinam, et felicitatem cultoribus Christi promissam. Omnia illa, quae commemoraverat v. 6., non amplius attendebantur et spectabantur in Paulo, ex quo Christianus factus fuerat.

8. Ἀλλὰ — ζημίαν εἶναι) *Quin etiam omnia alia pro nihilo duco;* non illa tantum, quae dixi, sed et honores et bona huius vitae omnia, et ipsam vitam. διὰ τὸ ὑπερέχον — κυρίου μου) *Propter excellentissimam cognitionem Christi Iesu, Domini mei,* i. e.

propter praestantiam religionis christianae, quae tanta est, ut maxima huius vitae commoda et lucra ei comparata, ne in censum quidem veniant, sed prorsus nihili sint aestimanda. Τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, graeca constructio, pro τὴν γνῶσιν τὴν ὑπερέχουσαν. δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην) *Propter quam* libenter *rerum aliarum omnium iacturam feci*, secundum praeceptum Christi Matth. XVI, 24. Σκύβαλα) *Purgamenta, excrementa*, adeoque res vilissimae. De *stercore* vocem usurpat Iosephus de B. I. Lib. VI. in fine, Plutarchus de Is. et Osir. etiam *capillos, ungues et ovium lanam* uti περίσωμα τροφῆς καὶ σκύβαλον, *ciborum excrementa et purgamenta*, impura esse dicit. Idem Sympos. L. VI. Qu. 7. *purgamentis frumenti* hoc nomen imponit. Achilles Tatius L. II. θαλάσσης σκύβαλον, *purgamentum maris* commemorat. Pro σκύβαλα ἡγεῖσθαι Themistius or. 21. *Explorat.* phrasi simili utens dixit: σκυβαλίζειν καὶ διαπτύειν τινὰ, *aliquem excrementi instar aversari et conspuere.* ἵνα Χριστὸν κερδήσω) *Ut lucrifaciam Christum*, i. e. Christi favorem.

9. Καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ) *Ipsique totus sim deditus. Inveniri*, pro *esse. In Christo esse* significat *Christianum esse.* μὴ ἔχων—ἐκ νόμου) *Siquidem non ex legis Mosaicae observatione hanc meam felicitatem ortam esse scio.* Δικαιοσύνη, צְדָקָה, saepe denotat favorem Dei, benignitatem, ut in Epist. ad Rom. vidimus. Hoc loco per novam metonymiam videtur esse status hominis, quem Deus favore suo amplectitur. Hanc significationem contextus commendat; nam v. 8. dixerat, se omnia alia abiecisse, ut favorem Dei sibi conciliaret. Nunc igitur commemorat bene-

ficia, quae sibi per Christum contigissent, v. 9. sqq. Νόμος, lex Mosis. ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ) Sc. δικαιοσύνην ἔχων. *Hanc meam felicitatem*, animi tranquillitatem, spem vitae aeternae etc. *debeo religioni Christi.* Πίστις Χριστοῦ opponitur τῷ νόμῳ, et fiduciam in meritis mortis Christi includit. τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην) *Felicitatem a Deo donatam.* Nam quod Christiani sumus, est donum Dei. ἐπὶ τῇ πίστει) *Propter fidem* Christo eiusque doctrinae habitam, non propter obsequium legi Mosis praestitum. Non repugno tamen, si quis per δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, qua se nunc carere dicit Apostolus, intelligere velit virtutem legi Mosaicae conformem, de qua v. 6. dixerat. Illa enim Pharisaica iustitia et virtus erat manca et potissimum in observandis ritibus consistebat. Huic opponitur ἡ δικαιοσύνη διὰ πίστεως Χριστοῦ, ἡ ἐκ θεοῦ ἐπὶ τῇ πίστει, virtus, quae in fide habita cernitur, quae oritur et fovetur per doctrinam Christi, cuius pars nobilissima constat fide promissionibus divinis habita, et a Deo donatur sub conditione fidei (ἐπὶ τῇ πίστει), quae virtus est multo praestantior et perfectior illa Iudaica virtute et iustitia, cui etiam promissa sunt multo maiora et aeterna praemia. Ceterum nonnulli verba ἐπὶ τῇ πίστει connectunt cum sequentibus, hoc modo: ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ γνῶναι αὐτόν. Sed prior ratio praeferenda videtur.

10. Τοῦ γνῶναι αὐτόν) Cohaeret cum antecedentibus: δικαιοσύνην τοῦ γνῶναι αὐτόν, *felicitatem*, inquam, *cognoscendi eum.* Cf. v. 8. διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ. Fortassis tamen rectius connectuntur haec verba cum verbis v. 8. ἡγοῦμαι σκύβα-

λα εἶναι, omnia ista, quae mihi olim lucrosa esse videbantur, nunc flocci facio, eo consilio, ut Christum eiusque doctrinam solide cognoscam. Videtur Paulus hic, ut saepe excidisse constructione, ἵνα v. 8. καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ) i. e. quanti momenti nobis sit, scire, eum resurrexisse ex mortuis, quantam vim habeat eius reditus in vitam ad animos erigendos et beandos. Δύναμις, vis et potestas, quae rei inest. Resurrectio autem Christi plurimum valet ad excitandam et confirmandam spem nostram felicitatis aeternae. καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ) i. e. Quam hoc sit mihi honorificum, tolerare calamitates, similes illis, quas ipse pertulit. συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ) Si forte simili supplicii genere moriendum esset mihi. συμμορφοῦσθαι, habitum quendam cum alio induere, similem alii reddi, fieri.

11. Εἴπως—τῶν νεκρῶν) *Ut assequar felicitatem illam aeternam, quae resurrectionem mortuorum consequetur.* Εἴπως h. l. non est dubitantis, sed positum est pro ἵνα, *ut, ut tandem aliquando, quo tandem*, ut Rom. I, 10. XI, 14. Καταντᾷν, *pervenire, assequi, consequi*, Act. XXVI, 7. Eph. IV, 13. Ἐξανάστασις est illa plena resurrectio quam nulla mors, nihil mali consequetur, vel illa ipsa post resurrectionem vita beata. Nam alioquin etiam mali resurgent, sed in perpetuas poenas, quae vocantur mors aeterna. *Heinrichsii*, et aliorum, quos ipse ad h. l. commemorat, interpretationes, mihi duriores esse videntur; igitur his immorari non lubet.

12. Οὐχ ὅτι—τετελείωμαι) *Scio equidem, me nondum esse consecutum* (τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν,

v. 11.), *neque ad metam pervenisse.* Ἔλαβον, pro κατέλαβον. Τελειωθῆναι dicuntur, qui in stadio cursores metam attingunt, et praemio honorandi sunt. Philo 2 Alleg. pag. 74. C. Apud Ecclesiae Patres τελειοῦσθαι nonnunquam dicitur pro *martyrium subire*, e. g. apud Euseb. H. E. VII, 15. Dicit igitur Paulus se nondum assecutum esse praemium, nempe fidei, virtutis et adversorum cum Christo eiusque caussa susceptorum (v. 9. 10.). Qui hunc locum de absoluta fere virtute et animi bene morati perfectione explicarunt, ii nec vim verborum nec contextum attenderunt. διώκω — καταλάβω) *Contendo autem, ut capiam, assequar.* Εἰ καὶ non est dubitantis, sed affirmantis, et significat *ut*, quemadmodum Actor. VIII, 22. Totus autem sermo respicit ad morem stadiorum vel circi. Cf. *Loesner* ad h. l. ἐφ' ᾧ — Χριστοῦ) *Postquam et ipse captus sum a Christo Iesu.* In verbis εἰ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καταλήφθην (vid. *Noesselt* Opusc. fasc. 2. p. 222.) videtur esse διλογία. Καταλαμβάνεσθαι eo sensu h. l. sumitur, quo secundum Gellium (Noct. Attic. I, 12.) virgines Vestales, omninoque alii qui sacra facere deberent, *capi* dicebantur pro *creari* aut seligi et in ordinem sacrum cooptari. Deinde etiam in hoc verbo haec certe videtur esse vis, a sacris Scriptoribus ab hebraica consuetudine ad graecam traducta, ut quemadmodum activa verba vim coniugationis Hiphil, sic passiva coniugationis Hophal imitentur. Quo sumto, καταλαμβάνεσθαι hic erit de Paulo adhibitum, quoad is eo esset a Christo per Evangelii doctrinam deductus, ut posset capere praemium, h. e. tanquam a braheuta invitatus et provocatus. Sic sensus verborum εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ' ᾧ κατελήφθην erit: *Ut consequar*

praemium, siquidem et me ad consequendum provocavit Christus. Cf. v. 14. Si vertas: *Quo ut pervenire possem, Christus prior me velut manu sua prehensum deduxit in hoc stadium,* respicit Paulus ad modum, quo Christus eum ad sui cognitionem perduxerat, Act. IX. et est πλοκὴ in verbo καταλαμβάνειν et καταλαμβάνεσθαι. Καταλαμβάνειν est לָבַד, *apprehendere,* quomodo vertitur in Glossario Graeco-Latino.

13. Ἀδελφοὶ — κατειληφέναι) *Ipse mihi nondum videor metam iam assecutus esse,* iam moriturus esse pro Christo. Supra c. I, 25.

14. Ἓν δὲ) Sc. μεριμνῶ, λέγω. Hoc unum dicere volo. τὰ μὲν ὀπίσω—ἐπεκτεινόμενος) *Vanis rebus omnibus a tergo relictis, ad ea contra, quae ante me sunt, contendens.* Τὰ ὀπίσω h. l. sunt vetera iactata a Iudaeis et laudata; τὰ ἔμπροσθεν, praemia Christianis proposita. Phrases desumtae sunt a Cursoribus, *qui non curant ea quae sunt a tergo, sed cursum intendunt ad ea quae a fronte sunt.* Τὰ ὀπίσω, sc. ὄντα. Ἐπιλανθάνεσθαί τι, *rei alicuius non habere curam;* nam eorum obliviscimur, quae non curamus. Sic Paulus dicit, se non amplius curare illa Iudaica, sed omnes curas cogitationesque intendere in id, ut coelestis regni consequatur praemia. Ἐπεκτείνεσθαι, *se porrigere et protendere,* metaphorice est: *summo studio eniti, omnibus viribus contendere.* Imago desumta est a cursoribus, qui omnia corporis membra, praesertim caput ac manus protendere solent, ut quam citissime currant, et scopum attingant. Diog. Laërt. L.

VI, c. 2 §. 6. *Quum diceretur ipsi,* (Diogeni Cynico) *senex es, iam quiesce a labore:* Quid vero, inquit, *εἰ δολιχὸν ἔδραμον, πρὸς τῷ τέλει ἔδει με ἀνεῖναι, καὶ μὴ μᾶλλον ἐπιτεῖναι, si in stadio currerem, num ad finem me cursum oporteret remittere, et non potius intendere? κατὰ σκοπὸν — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) Festino cursu tendo ad scopum, ad palmam, ad quam Deus e coelo quasi me provocat per Christum. Διώκειν* h. l. est *currere, festinare,* intransitive. Dionys. L. I. de Faustulo dicit: *Cum alveo, in quo infantes expositi fuerant, paulo post ἐδίωκεν εἰς τὴν πόλιν, in urbem currebat. Κατὰ σκοπὸν* nihil amplius innuit ac *εἰς* s. *πρὸς σκοπὸν,* imo *κατὰ* idem est, quod sequens *ἐπὶ. Τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ θεοῦ, palma ad quam Deus quasi provocat e coelo. Ἄνω* h. l. est *coelum et omne quod coelum continet,* et *ἡ ἄνω κλῆσις τοῦ θεοῦ, futura illa felicitas a Deo promissa. Κλῆσις τοῦ θεοῦ, felicitas quam Deus offert,* ut *θεοῦ* sit genitivus caussae. Solebant *οἱ βραβευταὶ* sive *ἀγωνοθέται* sedere in sublimi loco, atque inde per praeconem citare cursores singulos. His Apostolus Deum comparat, qui ex loco sublimissimo, ex coelo nempe, nos per Christum vocat. Hanc autem coelestem invitationem Dei per Christum Iesum factam esse per Christi doctrinam, per se patet.

15. *Ὅσοι οὖν — φρονῶμεν) Quicunque igitur perfectiores sumus (ad* hanc *perfectam conditionem contendimus), ita simus animati,* nempe ut (v. 17. *συμμιμηταί μου*) obliviscamur eorum, quae retro sint, (v. 14.) vetera iactata et laudata a Iudaeis, et conten-

damus ad anteriora, ad praemia Christianis proposita. Τέλειοι, *adulti*, opponuntur pueris. Philo 1. vit. Mos. p. 605. C. τελειότερον δὲ τῆς ἡλικίας ἰδοῦσα. Aegypti regis filia *videns* Mosen *firmiorem quam pro aetate*. Hoc loco τέλειοι sunt, qui religionem christianam recte intelligunt, quibus magna praestare convenit. Cf. 1 Cor. XIV, 20. Hebr. V, 14. Τοῦτο φρονῶμεν, *hoc sentiamus*. Nos omnes ita, ut modo dixi, affectos esse decet. καὶ εἴ τι — ἀποκαλύψει) *Si vero qua in re aliter sentitis, Deus vobis hoc quoque revelare, de his meliora vos edocere velit.* Erant sine dubio inter Philippenses etiam infirmiores, qui humiliorem sentiendi consuetudinem sequebantur. Hos, ut meliora edocere Deus velit, optat Apostolus. *Noesselt* (l. c. pag. 223.): Si nondum eo profeceritis, ut haec Iudaica omnia contemnenda putetis, sed aliquam tamen laudem in his quaeratis, meliorem vobis aliquando mentem dabit Deus, ut vel haec propter excellentiorem Christi doctrinam contemnatis.

16. Πλὴν — στοιχεῖν) *Dummodo secundum id, quod assecuti sumus, vitam instituamus*, i. e. secundum institutionem doctrinae christianae (Gal. VI, 16.), quae nobis excellentissimum praemium promittit, cuius nobilitate percepta, non erit quod magnificiamus quae Iudaei praecipua ornamenta putent. Omittunt verba κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν cod. Al. et 17. Copt. Aeth. Hilar. Aug. saepe, Facund. Κανόνι omittunt DEFG. Nempe τὸ αὐτὸ φρονεῖν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν D * E clar. germ. Ambrosiast. τὰ αὐτὰ φρονεῖν τῷ αὐτῷ συνστοιχεῖν F. G. boern. τὸ αὐτὸ φρ. τῷ αὐτῷ σ. κανόνι 23. 31. item. 37. Vulg. Spuria igitur videntur

esse verba: κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν) *Dummodo secundum id, quod assequti sumus, vitam instituamus*, i. e. exprimamus interim eas doctrinas, quas iam recte percepimus, vita et moribus, dum ad maiora adspiraverimus. Unusquisque debet suae cognitioni convenienter vivere, quaecunque tandem ea sit. *Φθάνειν εἴς τι*, *consequi*, *assequi aliquid*, Rom. IX, 31. Deinde *mente assequi*, *percipere*. Hanc notionem comma 15. postulat. Στοιχεῖν, הָלַךְ, *vitam instituere*. Est autem hic infinitivus pro imperativo, attice. Ceterum est hic figura rhetorica, quam κοινωνίαν vocare solent.

17. Συμμιμηταί μου γίνεσθε, ἀδελφοί) *Omnes pari studio me imitamini*. Vel est pro μιμηταί μου γίνεσθε, ut 1 Cor. IV, 16. XI, 1. aliisque locis. καὶ σκοπεῖτε — τύπον ἡμᾶς) Σκοπεῖτε, *attente considerate*, ut solemus ea, quae imitari volumus. Τύπος hic est exemplar, ut Act. VII, 44. Imitamini meum exemplum, et exempla eorum, qui mecum sentiunt, inprimis in contemnendis illis Iudaicis nugis et in studio consequendi praemia illa coelestia Christianis proposita, v. 14.

18. Πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσι) Sc. ἑτέρως, quod Syrus addit, et ex natura ἀντιθέτου intelligitur. οὓς πολλάκις—τοῦ Χριστοῦ) Quos vobis saepius significavi. Λέγειν hic est *appellare*, *significare*. *Hostes crucis Christi* sunt tales homines, qui nihil non faciendum existimant, ne calamitates similes illis, quas Christus pertulit, perferre cogantur. Gal. VI, 12. Σταυ-

ρὸς τοῦ Χριστοῦ posset etiam explicari: doctrina de cruce et morte Christi. Saltem haec notio hic non excluditur. Illa enim doctrina multis erat offensae, maxime vero Iudaeis. Quare eam corrumpere studuerunt.

19. Ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια) *Quorum exitus erit miseria.* Τὸ τέλος hic deteriori sensu est rei exitus s. poena. ὧν ὁ θεὸς — αἰσχύνη αὐτῶν) *Qui gulae pro Deo serviunt, qui in turpissimis factis gloriam quaerunt.* Κοιλία h. l. sunt voluptates, quae ventre, sive ex cibo et potu percipiuntur. Apud Xenophontem dict. et fact. Socrat. L. I. Socrates ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς, *Veneris et ventris* abstinentissimus fuisse dicitur, et ibidem δουλεύειν γαστρὶ, λαγνείᾳ distinguitur. Αἰσχύνη, *res pudendae*, inprimis *Venus illicita. Voluptates venereae,* quemadmodum sua natura ex gulae intemperantia sequuntur, ita et a scriptoribus τῇ γαστρὶ subiungi solent. Eiusmodi homines voluptatibus mancipati, dicuntur τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν, *felicitatem ex ventre et rebus turpissimis metientes.* οἱ τὰ ἐπίγεια Φρονοῦντες) *Qui rerum terrenarum tantum studiosi sunt,* quaerunt satietatem, opes, gloriam. Iac. III, 15.

20. Ἡμῶν — ὑπάρχει) *Nostra autem civitas,* aut *ius civitatis in coelo est.* Πολίτευμα denotat societatem hominum uni alicui civitati adscriptorum, iisdem legibus iuribusque utentium; deinde vero etiam *ius civitatis.* Opposita sunt haec verba Apostoli ei, quod praecessit: τὰ ἐπίγεια Φρονοῦντες. Nos vero, inquit, animo iam in coelo sumus; coelestia co-

gitamus; curamus ea quae illuc ducunt; coelestibus legibus regimur. Sumus hic quasi peregrini; quod de se Iacob dicebat, Gen. XLVII, 9. Cf. Hebr. XII, 22. XIII, 14. Anaxagoras coelum sibi patriam esse dicebat, teste *Laërtio*. ἐξ οὗ—Χριστὸν) Ἐξ οὗ non ad ἐν οὐρανοῖς referendum est, quasi scriptum esset pro ἐξ ὧν, sed ἐξ οὗ adverbialiter positum est, et vertendum: *unde*. Si ἐξ οὗ refertur ad πολίτευμα, sensus erit: *Ex qua* (civitate) *servatorem exspectamus*. Si quis ex nobis quaerat, quomodo in coelestem illam civitatem perventuri simus, respondemus, nos exspectare servatorem, qui nos ibi deducat. Hoc statim a morte corporis fiet; nos enim Christiani aut hic sumus, aut ibi in coelis; supra c. I, 23. Tertium non relinquitur. Cf. etiam 2 Cor. V, 1 — 10.

21. Ὅς — ταπεινώσεως ἡμῶν) *Qui transformabit corpus humile nostrum*. τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως, pro τὸ σῶμα ταπεινὸν, ut mox σῶμα τῆς δόξης pro ἔνδοξον. Humile vocatur corpus nostrum, quia variis morbis, infirmitatibus, ipsique morti est obnoxium. Cf. 1 Cor. XV, 42—44. εἰς τὸ γενέσθαι — δόξης αὐτοῦ) Verba εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ desunt in nonnullis codd. Verss. et Patribus. Σῶμα τῆς δόξης est corpus *excellens*, immortale, ut 1 Cor. XV, 43. Ergo corpus hoc nostrum caducum et vile Christus reddet simile suo corpori excellentissimo et immortali. Hoc ideo fiet, quoniam in civitate illa coelesti non erit locus corpori nostro vili, terreno, corruptibili et infirmo, 1 Cor. XV, 50. κατὰ τὴν ἐνέργειαν — τὰ πάντα) *Pro sua potentia, qua omnia quae vult, efficere potest*.

Potest ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα, etiam mortem, 1 Cor. XV, 25. 26.

CAP. IV.

1. Ἐπιπόθητοι) *Exoptati. Hebr.* נְחֻמְדִים Virg. Nec dulces natos, *exoptatumque* parentem. χαρὰ καὶ στέφανός μου) Et Latini *gaudium suum* vocant eum, ob quem gaudent. *Corona*, i. e. dulce decus meum, ornamentum. Genus ex specie. οὕτω στήκετε ἐν κυρίῳ) *Firmi estote in fide* et religione.

2. Εὐωδίαν—ἐν κυρίῳ) Ἐν κυρίῳ *in rebus ad Dominum* (doctrinam Christi) *pertinentibus.* Συντυχὴς est etiam virile nomen. Sed de mulieribus esse sermonem patet ex v. 3. Nonnullis Evodia et Syntyches sunt Diaconissae, inter quas, ut hic ipse locus indicat, dissidia orta fuerant.

3. Καὶ ἐρωτῶ—γνήσιε) Pro καὶ legunt ναὶ codices plurimi et optimi, cum Versionibus et Patribus nonnullis, quod ναὶ est precantis ad modum נָא Hebraei. Ἐρωτῶ, precor. Σύζυγος non tantum dicitur de matrimonio iunctis, verum etiam de collegis, ut sit pro συνεργὸς. Intelligit igitur Episcopum, vel primum inter Presbyteros Philippenses. Epaphroditum nonnulli fuisse existimant, ad quem per ἀποστροφὴν se vertat oratio, tanquam praesentem futurum, ubi epistola haec in ecclesia Philippensium legeretur. Alii Σύζυγον existimant fuisse nomen proprium. Συλλαμβάνεσθαι hic est *opitulari.* Αἵτινες — μοι) *Quae me in doctrina*

Christiana tradenda et progaganda *omnibus modis adiuvarunt.* Nam *συναθλεῖν* metaphorice significat *communem operam dare, studiose adiuvare laborantem.* Quis ille *Clemens* fuerit, cuius hic meminit Paulus, nobis ignotum est. Nonnulli Clementem Romanum intelligunt, sine idonea caussa. *ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς*) בְּסֵפֶר חַיִּים, Ps. LXIX, 29. Phrasis desumta a more optimarum civitatum, scribendi in albo publico cives. Sic dicitur Deus *ἀνθρωποπαθῶς* librum habere, in quo piorum nomina descripserit, quibus vitam aeternam daturus est.

4. Χαίρετε — *χαίρετε*) Supra III, 1. Nunc id repetit, et quidem voce bis posita, ad significandum affectum eximium.

5. Τὸ *ἐπιεικὲς* — *ἀνθρώποις*) *Moderatio vestra omnibus hominibus innotescat.* Id agite, ut omnes homines experiantur et sciant, quam libenter pacis et concordiae caussa de iure vestro remittatis, quam sitis faciles in condonandis iniuriis, quam omnia aequi bonique consulatis, et aequam in rebus arduis servetis mentem. Τὸ *ἐπιεικὲς*, sive quod idem est, *ἐπιείκεια, mansuetudo, lenitas, bonitas.* Hoc sensu *ἐπιεικὲς* cum *μέτριος* iungitur apud Iosephum Ant. VI, 12. 7. Μέχρις οὗ *μέν εἰσι ἰδιῶταί τινες καὶ ταπεινοὶ — ἐπιεικεῖς εἰσι καὶ μέτριοι, καὶ μόνον διώκουσι τὸ δίκαιον, lenes sunt et moderati, ac quod iustum est, unice persequuntur.* Sic Philo *ἐπιείκειαν* et *φιλανθρωπίαν* coniungit 1. de Vit. Mos. Sic Dominis tribuitur nimis erga servos lenibus et blandis *τὸ ἐπιεικὲς.* Philo de Somn. p. 1148. D. *ὁ κύριος ἐγγύς*)

sc. ἐστὶ. Ὁ κύριος h. l. esse videtur *Deus, summum numen. Dominus prope est*, quippe ubique praesens; non tantum facta nostra sed mentes etiam vestras inspicit. Is igitur nos probabit et tandem remunerabitur, si aequi erga alios fuerimus; non approbabit, sed puniet iniquos et moderatione uti nescios. Ps. CXXXIX, 7—13. Quum autem *prope esse* ex usu hebraicae linguae sit *opitulari*, verti possunt haec verba: Dominus favore et auxilio suo vobis adest. Ps. CXLV, 18. Tum vero cohaerent haec verba non cum praecedentibus, sed cum v. 6., a quo non debebant avelli.

6. Μηδὲν μεριμνᾶτε) De anxiis curis sermonem esse, ipsum hoc verbum, quo utitur Apostolus, indicat; praecipue vero tunc pericula persecutionum erant metuenda. ἀλλ' ἐν—πρὸς τὸν θεὸν) *Sed omni tempore* (in omnibus negotiis) *precibus cum gratiarum actione desideria vestra deferte ad Deum.* Αἴτημα h. l. metonymice est obiectum petitionis, *desiderium.* Ἐν παντὶ, *omni tempore*, quavis data occasione. Subaudi: χρόνῳ, vel etiam πράγματι, *in omni negotio*, quicquid adversi vel laeti acciderit. Non tantum a Deo expetite quicquid vobis utile est et necessarium ad veram salutem et felicitatem, sed gratias etiam ei agite pro beneficiis acceptis, etiam pro adversis; nam haec etiam ad augendam Christianorum felicitatem faciunt. Rom. VIII, 28. Τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, cf. Eph. VI, 18. Μετὰ εὐχαριστίας, nam optimus hic character est soluti a curis animi, et orationis cum resignatione voluntatum humanarum coniunctae.

7. Καὶ ἡ εἰρήνη — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) *Ita fiet, ut summa animi tranquillitas, omni humana cogitatione maior, animos vestros communiat et firmos reddat in religione Christi Iesu.* Καὶ connectit haec verba cum praecedentibus v. 6. Si hoc, quod modo dixi, faciatis. Ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ, animi securitas et tranquillitas maxima. Τοῦ θεοῦ est genitivus caussae efficientis, ut *tranquillitas Dei* sit animi tranquillitas, quam nemo nisi Deus per religionem efficere possit. Hebraea phrasi etiam quae summa sunt et maxima, *Dei* dici, notum est. Haec a Deo per religionem effecta tranquillitas ὑπερέχει πάντα νοῦν, omnem humanam cogitationem superat; tanta est, ut mens humana maiorem sibi fingere non possit. Haec igitur *animos vestros et cogitationes vestras firmabit et muniet in religione*, efficiet ut religioni constanter adhaereatis, nec ob ulla adversa ab ea deficiatis. Καρδίαι et νοήματα, *animi et cogitationes*, h. l. synonyma. Verbum φρουρεῖν est metaphora a praesidiis militum desumta. Haec animi tranquillitas vos *muniet* adversus hostium impetus, qui vos ad defectionem a religione allicere conantur. Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, i. e. *in religione christiana.* Sensus igitur huius commatis est: Si quod (v. 6.) dixi, facietis, tum Deus animos vestros per religionem tranquillabit, et haec animi tranquillitas omni humana cogitatione maior, vos laetos reddet in mediis etiam adversis, et efficiet, ut firmi maneatis in religione, cuius haec laeta animi conditio effectus est et fructus. Alii, sed nec usui loquendi nec contextui satis accommodate, sic vertunt: *Sic Deus pro suo favore, qui omni cogitatione maior est, efficiet, ut semper ita sitis affecti, quemadmodum Christianos*

decet. Ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ, *Dei favor*, metonymice; quia, qui pacem inter se habent, solent aut debent aliis benefacere.

8. Τὸ λοιπὸν — ταῦτα λογίζεσθε) Ἀληθὲς h. l. est *rectum, honestum*, ut *verum* apud Latinos, e. c. Horat. Epist. I, 1. 11. Quid *verum* atque *decens*, curo et rogo. Σεμνὸν, *honestum, decorum*, quicquid est viro gravi et honesto dignum, vel honestatem et decorum in moribus, verbis ac omni habitu externo spirat. *Diog. Laërt.* II, s. 24. de Socrate: αὐτάρκης δὲ ἦν καὶ σεμνός. Προσφιλῆ, *amabilia.* Sir. XX, 12. (13.) ὁ σοφὸς ἐν λόγῳ ἑαυτὸν προσφιλῆ ποιήσει. Εὔφημα, *quae bonam famam pariunt.* Εἴ τις ἀρετὴ, si quae res est, quae in censu virtutum apud cordatos venit. Ἔπαινος, meton. *quicquid est laude dignum.* Ταῦτα λογίζεσθε, *haec animo recolite*, nempe ideo, ut et in actionem producatis.

9. Ἃ καὶ — ἔσται μεθ' ὑμῶν) Ἐμάθετε hic, ut μαθητεύσατε Matth. XXVIII, 19., significat primam institutionem. παρελάβετε, et ἠκούσατε, sunt Synonyma. Εἴδετε vero ad ipsas Pauli actiones refertur. Ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus benignus*, omnis felicitatis auctor. Ἔσται μεθ' ὑμῶν, *vobis opitulabitur.*

10. Ἐν κυρίῳ) *propter Christum*, doctrinae Christi caussa. Ὅτι ἤδη — φρονεῖν) *Quod iam aliquando reviruistis in vestra pro me cura.* Syrus: quod (denuo) coepistis mei curam habere. Ἀναθάλλειν proprie usurpatur de plantis flaccescentibus et revirescentibus;

metaphorice est *vires recipere, alacrem fieri.* Τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ Φρονεῖν, i. e. κατὰ τὸ ὑ. ἐ. Φρ. Vel est Enallage, pro: ἐχάρην ὅτι ποτὲ ἀνέθαλεν ἐν ὑμῖν τὸ Φρονεῖν ὑπὲρ ἐμοῦ. Φρονεῖν, pro Φροντίζειν. Alii: *quod statu meliori utimini, ita ut mei curam gerere possitis.* ἐΦ ᾧ καὶ ἐΦρονεῖτε) *qua de re tamen solliciti eratis*, ut Beza vertit, i. e. περὶ οὗ, seu καθὼς. Καὶ pro μέντοι, ut Hebr. ו ponitur pro adversativa. Hoc autem Paulus addit, ut mitiget, quod dixerat, ipsorum studium reviruisse. ἠκαιρεῖσθε δὲ) *Sed occasione eratis destituti.* Καιρὸς *temporis occasio.* Erat nempe nemo idoneus, et paratus suscipiendo itineri, quem mitterent.

11. Οὐχ — λέγω) *Non ideo hoc dico, quod in penuria* constitutus fuerim, vel magna penuria laboraverim. Sapiens enim, ut statim aliis verbis addit Paulus, tenui etiam sorte est contentus, nec multis eget. Κατὰ h. l. *propter*, quo sensu etiam apud Profanos occurrit. ἐγὼ γὰρ — αὐτάρκης εἶναι) *Didici enim sorte conditioneque mea contentus esse.* Ἐν οἷς εἰμι, *qua sorte conditioneque sum.* Sic Ioseph. Ant. L. X. *Aegyptius* autem, quum audivisset, ἐν οἷς ἐστιν ὁ σύμμαχος αὐτοῦ Σεδεκίας, *quonam loco res Sedeciae socii ipsius essent.* Xenophon Cyropaed. L. III. νῦν δ' ἴδατε δὴ, ἐν οἵῳ ἐστε, *iam vero videtis tandem, quanam conditione sitis.* Supple: πράγματι. Αὐτάρκης et res dicitur, quae sufficit, et homo, qui eo, quod habet, contentus est.

12. Οἶδα — περισσεύειν) i. e. Novi in rebus exiguis patienter me gerere, et rebus abundantibus cum modo uti. Est enim in utroque verbo Metonymia. Ταπει-

νοῦσθαι, *humilem* esse; deinde vero *pauperem esse;* nam qui pauper est, ab omnibus fere contemnitur. Posset etiam verti: Contemtu et honore uti recti possum. Nam יתר est *excellens.* Ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι—ὑστερεῖσθαι) *Initiatus* (institutus exercitatione et experientia) *sum in omnibus* huius vitae casibus, *ita ut non minus saturitatem quam inediam, non minus abundantiam quam inopiam aequanimiter ferre possim.* Ἐν παντὶ sc. χρόνῳ vel τόπῳ, *ubique,* et ἐν πᾶσι, sc. χρήμασι, *in omnibus rebus* vel negotiis. Alii verba ἐν παντὶ iungunt praecedentibus, ut sensus sit: *Novi et humilem me gerere, et honore quovis tempore (s. modo) recte uti.* Καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι, *et omnibus* (vitae temporibus quasi) *initiatus* etc. Μεμύημαι, *initiatus sum,* i. e. institutus sum. In Glossario: μύω, *initio, imbuo. Hesychius* interpretatur πεπείραμαι, *expertus didici,* forte ad hunc locum respiciens. *Theodoretus* et *Theophilactus:* πεῖραν ἔλαβον, eodem sensu. Scriptores profani hoc verbum de iis adhibere solent, qui mysteriis, e. c. Eleusiniis initiabantur. Putant nonnulli, Paulum hoc verbo ideo usum esse, quod illis, qui initiabantur, variae molestiae essent superandae. χορτάζεσθαι, ex magna rerum copia sumere, quod satis est. Πεινᾷν, non tenuiter tantum pasci, sed et famem pati, aequo animo. 1 Cor. IV, 11.

13. Πάντα—Χριστῷ) *Omnia possum per eum qui me corroborat, Christum,* per usum doctrinae Christi. Πάντα ἰσχύω, possum omnia, h. e. ferre vitae casus, res adversas, et quod multo difficilius est, etiam secundas. *Per eum, qui me corroborat,* nempe per doctrinam suam, et promissiones, auxilio etiam. De-

est Χριστῷ in nonnullis Codicibus, Verss. et Patribus.

14. Πλὴν — τῇ θλίψει) *Attamen bene fecistis, quod mihi in calamitate mea opem tulistis.* Πλὴν, *attamen, veruntamen.* Exempla huius significationis habes apud *Elsnerum.* Non haec, ait, eo dico, ut vobis gratias non agendas existimem. Καλῶς ἐποιήσατε, formula gratias agentis. *Laudandi estis.* Phrasis: καλῶς ἐποιήσατε συγκοινωνήσαντες est bene graeca. Ita *Aeschines* Socraticus Dial. II. cap. 12. καλῶς δὲ καὶ σὺ ποιεῖς παραινῶν. Συγκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει, quod in *societatem calamitatis meae venistis,* i. e. ostendistis, tangi vos sensu calamitatum mearum. Hoc autem re ipsa ostenderunt, dum ei opem tulerunt.

15. Ὅτι — Μακεδονίας) *Quod initio* traditi a me *Evangelii, quum e Macedonia discederem,* i. e. quum Evangelium tradere coepissem in Macedonia. τοῦ εὐαγγελίου, pro τοῦ εὐαγγελίζεσθαι τὸ εὐαγγέλιον, ut 2 Cor. II, 12. Gal. II, 14. Οὐδεμία—ὑμεῖς μόνοι) *Nulla fere ecclesia mecum communicavit ad rationem dati et accepti,* i. e. nulla fere ecclesia in usum et necessitatem meam misit, aut mihi tribuit beneficium, pro quo gratias agere possim. Λόγος δόσεως καὶ λήψεως, *ratio datorum et acceptorum.* Nam λόγος h. l. significat *rationem, die Rechnung.* Εἰς, *quod attinet ad.* Quae a Philippensibus accepit, in rationes Dei remuneratoris refert Paulus, titulo depositi. Dicit igitur Paulus, solos Philippenses tum sibi aliquid contulisse, nec alium coetuum eorum, quos in Macedonia condiderat, sibi aliquid largitum esse.

16. Ὅτι καὶ — ἐπέμψατε) Ἐν Θεσσαλονίκῃ, pro εἰς Θεσσαλονίκην, nam ea fuit, excepta Beroea, extrema urbium Macedoniae, quam vidit Paulus. Καὶ ἅπαξ καὶ δίς, *saepius*. Latini dicerent: *semel atque iterum*. Prius καὶ a codicibus nonnullis abest, tanquam superfluum. Praeter rem. Nam *Herodotus* etiam Lib. II, habet: καὶ δὶς καὶ τρὶς ἀνοίξαντι, *iterum ac tertio aperienti* et alias.

17. Οὐχ — τὸ δόμα) Διόρθωσις, et deest ταῦτα γράφω, aut λέγω. Non eo haec dico, quod largitionem, seu impensam quaeram, i. e. quod aliquid dari mihi velim. Δόμα est δόσις, non δῶρον. ἀλλ' — λόγον ὑμῶν) *Sed exopto fructum abundantem in rationem vestram* (auf eure Rechnung); opto, ut Deus beneficia vestra cum lucro referat in rationem vestram. Retinet cogitationem λόγου δόσεως καὶ λήψεως, i. e. rationum. Dicit, se quaerere, non ut ipse accipiat, sed Philippenses ut fructum aliquem percipiant eumque copiosum, et quo abunde impensa sarciatur. Non tam istis datis gaudeo, quam quod ex ista liberalitate ingens ad vos fructus redibit, Deo scilicet eam repensante.

18. Ἀπέχω δὲ πάντα) Multi interpretes vertunt: *Recte omnia accepi*, et ita accipiunt haec verba, quasi omnia a Philippensibus missa, recte se accepisse dicat Apostolus, idque ceu ἀποχὴν quadam testatum faciat. Sed rectius haec verba redduntur: *habeo vero omnia, sufficit mihi* quod accepi, nihil amplius desidero. Hunc sensum requirunt proxima, περισσεύω et πεπλήρωμαι quae idem dicunt, et cumulat Apostolus verba, quia

amoliri a se volebat suspicionem, quasi hac gratiarum actione Philippenses ad plus dandum invitare vellet. Eodem sensu accipitur verbum ἀπέχειν apud profanos, e. c. apud *Arrianum* Epict. III, 24. τὸ γὰρ εὐδαιμονοῦν ἀπέχειν δεῖ πάντα, ἃ θέλει, καὶ πεπληρωμένῳ τινὶ ἐοικέναι. *Id enim, quod beatum est, habere debet omnia, quae vult, et expleto alicui simile esse.* Cf. Marc. XIV, 41. ἀπέχει, sufficit. Epist. ad Philem. v. 15. αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς. καὶ περισσεύω) Plus habeo, quam desiderem. Πεπλήρωμαι, *abundo*, satis habeo. Τὰ παρ' ὑμῶν, sc. δόματα. Ὀσμὴν — τῷ θεῷ) (tanquam) *sacrificium odoris suavissimi, oblationem probatam et Deo gratam*, i. e. quae munera Deo sunt gratissima et acceptissima, acceptiora quam sacrificia et victimae omnes. Ὀσμὴν εὐωδίας, vide Eph. V, 2. Ita h. l. nominat munera Philippensium. Θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ θεῷ. Rom. XII, 1.

19. Ὁ δὲ θεὸς — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) Πληρώσει. Fut. pro Optativo, quem nonnulli codices exhibent. *Largiatur vobis Deus omne id, quo vobis est opus.* Ἐν δόξῃ mihi referendum videtur ad πληρώσει, *gloriose*, i. e. largissime. Κατὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ, *pro sua potentia*, qua ditissimus est, et tanquam Dominus coeli et terrae largiri potest, quaecunque vult. Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *per Christum Iesum*, ut donorum omnium spiritualium, ita et vitae aeternae datorem et dispensatorem.

22. Μάλιστα δὲ οἱ ἐκ Καίσαρος οἰκίας) In se possunt intelligi *Neronis Imperatoris cognati;* nam verba graeca hanc interpretationem permittunt. Sed hoc loco

potius intelliguntur *Caesaris domestici et ministri*, et in specie liberti et servi. Nam et apud Iosephum A. XVII, 5. 8. οἰκία Καίσαρος clare sic dicitur, quum ibi sermo sit de ancilla Liviae; et in inscriptionibus antiquis non semel *Domus Caesaris* hoc sensu occurrit.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES.

Erant *Colossae* urbs Phrygiae, ubi fluvii Lyci gurges esset, quae a veteribus Geographis, in translatione Syriaca et Codicibus vetustissimis scribitur *Colossae*. Paulus tum, quum hanc Epistolam scriberet, nunquam Colossis fuerat, c. II, 1. Sed coetum ibi collegerat *Epaphras*, c. I, 7., qui etiam, ut videtur, in vicinis urbibus, Laodiceae nempe et Hierapoli Evangelium annunciaverat, c. IV, 12, 13. Occasionem conscribendi hanc epistolam dedit Paulo, quod periculum esset, ne Colossenses cum vicinis Laodicenis et Hierapolitanis per falsos doctores abducerentur a veritate Evangelii, quod eo magis erat verendum, quia doctrina Christi iis non ab Apostolo quodam, sed per Epaphram tradita erat. Quare Paulus doctrinam Epaphrae hac Epistola confirmare voluit, c. I, 7. IV, 12. 13. Proximam occasionem scribendi dedisse videtur Epistola Laodicensium, ad Apostolum scripta, c. IV, 16. Videntur enim Laodicenses perscripsisse ad Paulum de erroribus falsorum illorum doctorum, eumque consuluisse. Is igitur nunc respondet, mittens quidem epistolam ad Colossenses, quia forte maior esset eorum coetus, et

falsi doctores ibi plures turbas excitarent, sed rogans, ut eandem epistolam Laodicensibus legendam mitterent, et peterent ab ipsis exemplum epistolae ad Paulum scriptae, ut melius intelligerent Pauli responsionem.

Praecipuus Apostoli scopus est, ut evidenter ostendat, in solo Christo eiusque doctrina universam divinae voluntatis cognitionem atque omnia salutis aeternae praesidia sufficienter nobis exposita esse, ac proinde nihil amplius extra Christum eiusque doctrinam in hoc quidem genere expetendum aut affectandum esse. Partes epistolae praeter prooemium et epilogum duae sunt primariae. I. Disserit Apostolus de beneficiis Dei iam olim nobis in Christo praeparatis, ita quidem, ut modo thesin, modo antithesin exponat, et passim gratiarum actiones et precationes, item exhortationes ac dehortationes inspergat. Cap. 1. et 2. II. Agit Apostolus de praeceptis christianae vitae, tum communibus, quae ad omnes Christianos ex aequo pertinent, tum propriis quarundam vocationum praesertim in vita domestica. cap. 3. 4.

In prima parte disputat contra falsos doctores. Quales ii fuerint, certo non constat; videntur tamen fuisse doctores iudaizantes, superstitiosi, ritibus, non tantum *Mosaicis* sed *Rabbinicis* etiam inhaerentes, et puram Evangelii doctrinam pervertentes. Alii putant, fuisse *Essenos*, propter loca aliquot *Iosephi* et *Philonis*, quae infra in ipsis annotationibus exhibebimus ad c. II. nostrae epistolae. Scripta est epistola Romae ex vinculis, et quidem in prima captivitate, circiter a.

61. 62., quod ex eo apparet, quia Paulus spem reditus sui fovet et facit, et quia haec scribens Timotheum praesentem sibi habuit, quo in secundo carcere destituebatur. Missa est per Tychicum et Onesimum, c. IV, 7. 8. 9., eodem prope tempore, quo scripsit Paulus eam ad Ephesios, quum adhuc, quae ad Ephesios scripserat, in animo haererent; quod ostendit insignis utriusque epistolae similitudo, in sententiis et verbis adeo expressa. Qui plura desiderat, is adeat *Heinrichsii* Prolegomena ad hanc epistolam, qui etiam varias suas et aliorum coniecturas proposuit. Cf. et *Fried. Iunker: hist. crit. u. philol. Commentar. üb. d. Br. P. a. d. Coloss.* Mannh. 1828.

CAP. I.

1. Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς) Huius nomen Paulus ideo adiungit, quod probe notus esset Colossensibus, ut qui fortassis aliquando eo missus fuisset. Sunt etiam qui putent, Timothei manu ad scribendam hanc epistolam Apostolum usum esse. Ceterum idem fere huius epistolae initium, quod ad Ephesios.

2. Τοῖς ἐν Κολασσαῖς ἁγίοις) *Colossensibus Deo consecratis.* Scriptio Κολασσαῖς per α omnino est germana; eam enim habent veteres plurimi libri. Vid. *Wolfius* in Curis ad h. l. Nomen postea corruptum esse videtur in *Colossenses*, quasi a Colosso fuisset deductum, ut *Lucas Holstenius* suspicatur.

3. 4. Εὐχαριστοῦμεν — προσευχόμενοι) *Gratias ago Deo semper, pro vobis preces fundens.* Πάντοτε

cum εὐχαριστοῦμεν videtur coniungendum. Ἀκούσαντες—ἁγίους) *Quoniam audivi, vos factos esse Christianos, et liberales erga omnes Christianos esse;* vel: *quoniam certior factus sum de amore, quo omnes Christianos complectimini.* Paulus audivit illa ab Epaphra, qui Romam venerat, cf. v. 8. IV, 12. Philem. 23.

5. Διὰ τὴν ἐλπίδα — οὐρανοῖς) Connectenda sunt haec cum verbis: *Gratias ago Deo etc.* com. 3. *Propter felicitatem illam aeternam, quae vobis reposita est in coelis.* Possunt haec verba etiam connecti cum immediate praecedentibus. Charitatem vestram erga omnes Christianos ostendistis *propter felicitatem* etc. h. e. quoniam felicitatem vobis in coelo repositam esse scitis. Ἐλπὶς h. l. non tam *spes ipsa* est, quam potius *id, quod speratur*, τὸ ἀγαθὸν ἐλπιζόμενον, nempe vita aeterna, quae, tanquam praemium quoddam, reposita in coelis est veris Christianis. Exquisite vero τὰ ἆθλα, *praemia certaminis*, ἀποκεῖσθαι et προκεῖσθαι dicuntur, quae certaminum victoribus reposita asservataque sunt, e. g. apud Iosephum Ant. VIII, 12, 3. et apud *Philonem* saepe. Sic de Sacerd. hon. p. 834. D. τοσούτων οὖν προκειμένων ἄθλων, *igitur tot praemiis propositis* etc. ἣν προηκούσατε—εὐαγγελίου) *De qua iam olim audivistis, quum vobis doctrina vera Evangelii annunciaretur.* Ἀκούειν h. l. est *prima accipere rudimenta.* Illud autem πρὸ additum, significat, iam aliquod tempus ex eo transiisse. Λόγος, *doctrina*, et ἀληθείας pro adiectivo.

6. Τοῦ παρόντος — ἐν ἀληθείᾳ) *Quae* (doctrina) *traditur apud vos sicut etiam in omni terrarum*

orbe, et ut alibi, ita etiam inter vos fructum fert (et propagatur) a primo tempore quo in ea instituti estis, et quantum beneficium ea *sit, vere cognovistis* et experti estis. τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς) Refer ad εὐαγγελίου com. 5. Recte latinus Interpres: *Quod pervenit ad vos.* Sic optimus quisque auctorum. Iosephus Ant. I, 21. 2. εἰς Σίκιμον παρῆν, Sicimum pervenit. III, 5. 3. πάρεστι καὶ αὐτὸς εἰς τὸ στρατόπεδον, *ipse in castra pervenit.* Fortassis tamen εἰς ὑμᾶς positum est pro ἐν ὑμῖν, doctrina *est*, traditur *inter vos.* Καὶ ἔστι καρποφορούμενον, pro καρποφορεῖ, *fructum fert*, vim suam exserit in emendandis, tranquillandis et beandis hominibus. Multi codices antiqui cum Versionibus et Patribus haud paucis addunt αὐξανόμενον, sc. ἐστι, augetur, propagatur. Ἐν ἀληθείᾳ (i. q. ἀληθῶς) coniungo cum ἐπέγνωτε, *vere cognovistis* vel experti estis, τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, *beneficium Dei*, h. e. quantum sit illud beneficium, quod doctrina hac estis imbuti. χάρις, quodvis beneficium. Alii sic: καὶ ἐπέγνωτε — ἐν ἀληθείᾳ, κατ' ἐξοχήν veritas Evangelii. Potest etiam ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ esse *verum Dei beneficium*, nempe Evangelio declaratum.

7. 8. Ἀπὸ Ἐπαφρᾶ) Genitivus Doricus. *Epaphram* vero unam eandemque esse personam cum Epaphrodito, nullo argumento firmo probari potest. διάκονος) qui quodcunque praestat ministerium, doctor. ὑπὲρ ὑμῶν) *Vestro bono.* Igitur primus illis annunciaverat Evangelium. ὁ καὶ — ἐν πνεύματι) *Qui etiam declaravit mihi amorem vestrum vere christianum.* Ἀγάπη ἐν πνεύματι est *amor vere christianus*, Evangelio conformis,

non amicitia qualis solet inter homines esse et proficisci ab animi quodam affectu rebusque externis, quae amicitiam solent conciliare.

9. Ἵνα — θελήματος αὐτοῦ) Αὐτοῦ, sc. θεοῦ, ex com. 6. extremo. *Ut plenior fiat vestra voluntatis divinae cognitio.* Est autem cognitio voluntatis divinae nihil aliud nisi cognitio religionis, cognitio eorum, quae Deus nos scire, credere et agere vult. Post πληρωθῆτε supple κατά. Ad reliqua huius versus cf. Eph. I, 8. Ἐν πάσῃ — πνευματικῇ) *una cum omnis generis sapientia et intelligentia, ad doctrinam christianam pertinente.* Optat igitur Paulus Colossensibus non tantum uberiorem cognitionem religionis, sed etiam incrementum in omnis generis virtutum studio.

10. Περιπατῆσαι — ἀρέσκειαν) Περιπατῆσαι, pro: εἰς τὸ περιπατῆσαι. Ἀξίως τοῦ κυρίου, *ut Christo debetur*, ut decet Christi cultores. Εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, *ut quicquid Christo placet faciatis*, ut ei omnem observantiam praestetis. Nam vox ἀρέσκεια, quae alias sensu non bono accipitur, hic sumitur significatione optima. Hoc sensu *Philo* de mund. Opif. p. 33. C. de Adamo: πάντα καὶ λέγειν καὶ πράττειν ἐσπούδαζεν εἰς ἀρέσκειαν τοῦ πατρὸς καὶ βασιλέως. ἐν παντὶ — τοῦ θεοῦ) *Ut per omnis generis recte facta fructum ostendatis* (scientiae vestrae) *et crescatis in cognitione.* Καρποφοροῦντες) Debebat esse καρποφοροῦντας, propter περιπατῆσαι, sed excidit structura. Εἰς τὴν ἐπίγνωσιν, pro τῇ ἐπιγνώσει, quod habent codices vetusti, Clem. Cyr. Maximus. Nihil tamen impedit, quo minus vertamus: *ad cogni-*

tionem Dei, ut significetur finis, in quem *incrementum virtutum* tendere debeat, qui est amplior et verior Dei cognitio; hanc enim per experientiam et exercitium in virtute reddi pleniorem et firmiorem, nemo negaverit.

11. Ἐν πάσῃ — τῆς δόξης αὐτοῦ) *Omnis generis viribus* (spiritualibus) *roborati, pro summa eius potentia.* Δυναμοῦν pro ἐνδυναμοῦν. Κράτος τοῦ θεοῦ, *potentia Dei;* et κράτος τῆς δόξης, *potentia gloriosa.* εἰς πᾶσαν — μετὰ χαρᾶς) Quibus opus est vobis, *ut mala constanter feratis, et patienter exspectetis* (auxilium divinum) *bono animo.* Μακροθυμία h. l. non est *longanimitas*, cum tardi sumus ad iram, sed *expectatio patiens*, ut Iac. V, 7. Μετὰ χαρᾶς, ita ut non desperetis, pressi calamitatibus, sed sitis bono animo.

12. Εὐχαριστοῦντες — ἐν τῷ φωτὶ) *Et ut gratias agatis Patri, qui per cognitionem vos reddidit idoneos ad participandam Christianorum felicitatem.* Μερὶς, *pars.* Κλῆρος, *sors*, quicquid sorte contingit nobis bonum. Hoc loco intelligitur omnis Christianorum felicitas, et in hac et in altera vita. Est allusio ad sortitionem terrae Canaan, inter duodecim tribus divisae; nam cum felicitate illa, quae promissa erat veteri populo Dei in terra Canaan saepe comparatur felicitas coelestis, quae destinata est Christianis, *genti sanctae* Dei. 1 Petr. II, 9. Ἐν τῷ φωτὶ, *per lumen* i. e. per cognitionem, refer ad ἱκανώσαντι. Deus (inquit Paulus,) aptos vos reddidit ad partem felicitatis Christianorum, ut possitis felicitatis Christianorum par-

ticipes fieri, per *lumen*, i. e. per doctrinam Christi vobis expositam. Colossenses antea fuerant idolorum cultores; nunc autem acceperant cognitionem religionis, qua apti redditi erant ad participandam illam felicitatem Christianorum.

13. Ὃς ἐῤῥύσατο — τοῦ σκότους) *Qui* (Pater v. 12.) *nos* (Iudaeos et Paganos) *vindicavit e regno Satanae*, in quo ignorantiae et vitiorum tenebrae dominantur. Ἐξουσία τοῦ σκότους *regnum tenebrarum*, quod alias etiam vocatur regnum Satanae. Ἐξουσίαν saepe esse *regnum*, satis constat. Cf. Rom. XIII, 1. Quicquid est mali moralis, et caussarum eius, et detrimentorum, et hominum pravorum, omnis ignorantia rerum divinarum, superstitio, flagitiositas et miseria moralis, vocatur τὸ σκότος, et ἐξουσία τοῦ σκότους est regnum diaboli. Huic opponitur ἡ βασιλεία τοῦ Χριστοῦ, *regnum Christi*, quo nomine appellatur quicquid est boni moralis, caussarum et effectuum eius et bonorum hominum. καὶ μετέστησεν — τῆς ἀγάπης αὐτοῦ) i. e. τοῦ ἠγαπημένου. Subditos filii sui dilecti nos esse voluit.

14. Ἐν ᾧ — διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ) Desunt verba διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ in Codd. plurimis, Versionibus et Patribus, et translata huc videntur ex Eph. I, 7. Dicit igitur Apostolus: *Per quem fruimur redemtione, remissione peccatorum.* Eratis miseri, propter ignorationem verae religionis, vitam scelestam, et incommoda cum ea coniuncta. Ab omnibus his malis et miseriis liberati estis per Christum. De significatione vocis ἀπολύτρωσις cf. notata ad Matth. XX, 28. et Rom.

III, 24. Hic statim explicatur per *τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν*, liberationem a peccatis eorumque poenis, veniam peccatorum, qua Deus non poenas peccatoribus infligit, sed eos iubet tranquillos esse et optima sperare.

15. *Ὃς ἐστιν — κτίσεως*) Hunc locum v. 15—18. illustravit *L. I. C. Iustius*, Marburgensis *(in den vermischten Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theologischen Gelehrsamkeit.* Zweite Sammlung. Halae 1798. 8. p. 127. sqq. praecipue 166. seq.) cuius disputationi quaedam addidit, alia emendavit *Noesselt* in Prolus. *de una Dei in caelis terrisque familia* etc. in exercitatt. ad sacrar. scriptur. interpretationem (Hal. 1803. 8.) p. 198. sqq. Ex Noesselti interpretatione hoc comma 15. vertendum erit: *Qui* (Christus) *Dei invisibilis imaginem refert, regni diuini* (caelestis) *primus. Imago Dei*, qui oculis cerni non potest, dicitur hactenus, quod nos lumine suo accenso e tenebrarum regno transtulit in regnum suum v. 12. et 13., quo sensu etiam 2 Cor. IV, 4. *imago Dei* dicitur. Vulgo *naturae* quandam similitudinem intelligunt. *Κτίσις* est universitas orbis, sive regni caelestis, *ἡ ἐκκλησία*, v. 18., sensu quidem amplissimo eo, quem Paulus tradit v. 20., de quo postea erit dicendi locus. Huius *κτίσεως* dicitur *πρωτοτόκος*, *primus dignitate.* Nam בְּכוֹר saepe denotat *caput*, s. *dominum.* Sic Ps. LXXXIX, 28. בְּכוֹר *πρωτότοκος*, et *ὑψηλὸς παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς* Synonyma sunt (cf. Rom. VIII, 29.). Quae significatio consentit cum verbis Pauli v. 18., quae Christum *caput* huius corporis, ecclesiae videlicet, et inter omnes *primas tenentem* (*πρωτοτεύοντα*) appellant, ut igitur Christus inter omnes regno caelesti adscriptos

primarius, aut honore ceteris praestans dicatur. Alias interpretum sententias de phrasi πρωτότοκος πάσης κτίσεως recensuit *Wolfius*, in Curis ad h. l. Ariani ex voce πρωτότοκος inprimis efficere conati sunt, Christum ante omnes quidem creaturas conditum esse, sed hoc nomine in creaturarum loco habendum. Quam sententiam exornare conatus est *Oertel* in *Christologia*, vernacule scripta, p. 643. seqq. Plerique nostratium Christum hic dicunt ita appellari, quia sit *genitus* (non creatus) πρὸ πάσης κτίσεως, ut sit *prior tempore*, ac proinde in ordinem creaturarum cogi non debeat.

16. Ὅτι ἐν αὐτῷ — ἔκτισται) *Siquidem per eum condita est omnis Dei cultorum familia caelestium geniorum* (angelorum) *et beatorum hominum et in terris versantium piorum, eorum pariter qui nunc oculis conspici, ac non conspici possunt, summae* (angelorum) *et infimae dignitatis.* Κτίζειν, *creare*, simpliciter positum, h. l. sine ulla aliqua adiectione, qualis fere est ad Ephes. II, 15., constituendi, s. producendi habet vim. Τὰ πάντα τὰ ἐν — ἀόρατα sunt *una* Dei, eaque in *caelis terrisque familia;* illa sanctis angelis, istisque hominibus continetur, qui his e terris in caelum delati, angelorum similes, beatissima immortalitate fruuntur; haec proborum hominum coetu, qui vitam adhuc terreno corpusculo inclusi degunt; illam *non adspectabilem*, hanc sensibus perceptam Paulus appellat in loco nostro; utramque Christus conflavit in unam familiam, quod doctrina sua et vita morti obiecta, novam inter homines condidit rempublicam, sanctitate cum illis caelestibus naturis consociatam. Quare huius unius in caelis terrisque familiae auctor est et

Dominus, atque haec nova quasi universitas (τὰ πάντα) per eum et in eius honorem (δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν) creata est, sic ut omnium sanctarum naturarum Princeps sit, eique subiectum, quicquid in pricipibus aut honore decoratum habeatur. Hoc postremum est in verbis: εἴτε θρόνοι κ. τ. λ., quae semper adhibentur in describendo apice honoris tributi Christo, ut 1 Petr. III, 22. Ephes. I, 21. atque etiam alibi; plane ut Phil. II, 9. Θρόνους autem, et quae alia nomina sequuntur abstracta esse, ut aiunt, posita sic, ut θρόνοι sint ἐν θρόνοις καθίζοντες; κυριότητες, κύριοι; ἀρχαὶ, ἄρχοντες; ἐξουσίαι, ἐν ἐξουσίᾳ ὄντες, verbo, varia principum genera, ut Rom. XIII, 1. sq. Tit. III, 1. 1 Cor. XII, 28. seqq., obvium est. Plerique hunc locum non de creatione morali, sed physica explicant. Ex horum sententia τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, sunt *universus mundus*, et additum esse censent τὰ ἀόρατα, ad exprimendam universalitatem, summi et potentissimi. Non physicam sed moralem creationem intelligebant etiam *Ernestius* in dissert. *de coniunctione rerum coelestium et terrestrium*, ad Ephes. I. et Coloss. I. in opusc. theol. p. 439. seqq., *Teller* in *Wörterbuch* sub voce *Himmel* et alii, et quidem novam creationem, quae in omni terrarum orbe per propagationem evangelii effecta est. His τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς sunt *Iudaei et pagani*; τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα sunt *nunc viventes et futurae hominum generationes; θρόνοι, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι καὶ κυριότητες, summae et infimae dignitatis homines inter Iudaeos et gentes.* Quid in *Iustii* interpretatione probandum, quid reprehendendum sit, docuit *Noesselt* l. c.

17. Καὶ αὐτὸς — συνέστηκε) *Idem vero etiam est ante omnia,* (omnes) vel tempore, tanquam huius novae civitatis auctor, vel, quod praeferendum esse videtur, propter ea quae sequuntur, *honore;* eminentior, praestantior est; est enim omnium dominus *omniaque* (illa) *per eum sustentantur.* Cf. locum Ephes. IV, 15. 16., per quem haec rectius ad conservationem, quam ad creationem huius novi universi referuntur.

18. Καὶ αὐτός ἐστιν—πρωτεύων) *Est idem ille caput corporis* (universae huius societatis) h. e. *ecclesiae, isque pinceps* (ἀρχή) *primarius e mortuis,* i. e. eo quod Deus eum primum sive praecipuum inter ceteros homines revocavit ad vitam, aditum ei ad honoris summum fastigium fecit, *sic ut ille inter omnes (vel omni modo) primas teneat.* Ἐκκλησία h. l. *omnem illam familiam in coelis terrisque* significare videtur, ut Hebr. XI, 22. sq. Sed potuit etiam Paulus, quae alias, aut in antecedentibus verbis universe dixerat, nominatim de una huius coetus parte, cui scripserat, dicere. Cf. Rom. VIII, 29.

19. Ὅτι ἐν αὐτῷ — κατοικῆσαι) *Nam voluit Deus eum possidere omnes copias,* sc. bonorum, Christianis distribuendorum. Εὐδόκησε, sc. *Deus,* qui Nominativus saepe subauditur. Εὐδοκεῖν autem cum Nominativo recte iungitur; ut Rom. XV, 26. Gal. I, 15. Πᾶν τὸ πλήρωμα, *omnes copiae,* nempe commodorum et bonorum, quae tribuuntur Christianis, ut patet ex c. II, 3. Τὸ πλήρωμα, *plenitudo* active et passive accipitur, h. e. de iis quae implent, dant, docent, aut quae capiunt aliquid, possident, eoque ornati

sunt vel imbuti, sive de copia quacunque Io. I, 16. Rom. XI, 25. 12. Hoc loco intelligitur de dotibus, quas Deus Christo concesserat, inprimisque de cognitione Dei quam tradere hominibus, doctrinaque coelesti, qua viam monstrare ad veram animi salutem deberet. Cf. c. II, 9. Diligenter exposuit totum hunc locum, et alias etiam interpretationes diiudicavit *Noesselt*, Opusc. Fasc. 2. p. 233. *Habitare* dicuntur copiae in aliquo, si eas possidet. Voluit itaque Deus, ut Christus omnia bona quae tribuuntur Christianis, possideret, ut esset Christianis fons omnium bonorum.

20. Καὶ δι' αὐτοῦ—τοῖς οὐρανοῖς) *Et per eum omnia sibi reconciliare restituendo concordiam per illius sanguinem, quem cruci affixus effudit, per ipsum* (inquam Messiam), *sive in terra, sive in coelis versentur.* Τὰ πάντα eodem sensu quo v. 16. hic sumitur. Verba εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ non sunt coniungenda cum immediate sequentibus εἴτε τὰ—οὐρανοῖς (nam graece vix dici potest: εἰρηνοποιεῖν ἄλλον καὶ ἄλλον); sed haec posteriora verba referri debent ad καταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, (εἰς αὐτὸν pro ἑαυτῷ, *sibi*, per Hebraismum, quo εἰς respondent לו, articulo Dativi casus;) ut sensus sit: Deum modum quendam invenisse, quo fieret, ut pari amore homines et caelites complecti posset, istumque modum in eo cerni, quod Christus sanguine profuso suo illam pacem restituerit, Deum inter videlicet et eos, qui illa pace orbati adhuc fuissent. Quae hic de facta per Christum *expiatione* leguntur, unice referenda sunt ad eos, quos Paulus v. 21. ἐχθροὺς—πονηροῖς nominat. Verbum ἀποκαταλλάξεως proprie non

cadit in angelos, qui nunquam impietatis rei facti sunt, sed pro rei natura intelligendum est, sic, ut, quod in illo verbo primarium est, notio Dei *propitii*, illi autem, cui propitius est, *gratiosi*, teneatur in utramque partem, pariterque ad caelites terrarumque incolas, altera autem, eaque adiuncta notio *restitutae* gratiae benevolentiaeque Dei, ad homines, non item ad angelos, referatur. Sic hunc locum cum *Noesselto* l. cit. p. 190. sqq. explicandum existimo.

21. Καὶ ὑμᾶς—τοῖς πονηροῖς) *Vos etiam, qui eratis quondam abalienati, et inimici* Deo, *mente sceleribus et vitiis* dedita. Quod de omnibus dictum erat, id nunc nominatim ad Colossenses transfertur. Ἀπηλλοτριωμένους, *alienos*, nempe a Deo, vel potius a beneficiis et promissionibus divinis. Cf. Ephs. II, 12. IV, 18. Ἐχθρούς, *animo alieno a Deo*, ut Rom. V, 10. Ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, *per mala facinora*, quae impietatem comitari solent, 1 Cor. VI, 10. 11. Διάνοια hic est mens, cogitationibus non minus quam affectibus et cupiditatibus pravis occupata, et pravis operibus se prodens. Sensus igitur est: Vos etiam alieni fuistis a beneficiis divinis; vos etiam animum erga eum habuistis inimicum et obnitentem, huncque animum declarastis prave factis; unde vacui eratis spe, habentes proprie quod vobis metueretis. Nunc autem *vos* etiam reconciliavit sibi Deus, eo sensu, quo dictum est v. 20. *Erasmus Schmidius* et alii, (quibus accedo,) hoc comma claudunt verbis τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, et v. 22. incipiunt ab illis: νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν.

22. Νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν — τοῦ θανάτου) *Nunc sane vos sibi amicos fecit per mortem quam Christus perpessus est in corpore suo.* Δὲ hic idem est quod *sane*, *omnino*, quo sensu apud *Platonem* extare, *Beza* monuit. Σῶμα τῆς σαρκὸς, corpus simile nostro, constans ex carne et ossibus. Explicationis caussa addit Paulus: διὰ τοῦ θανάτου, quod sufficere poterat, ut igitur ἐν τῷ σ. τ. σαρκὸς αὐτοῦ pleonastice dictum sit. Quomodo autem per mortem Christi effecta sit haec reconciliatio, id Paulus docebit infra c. II, 13. 14. Totus hic locus illustrari potest ex loco simili Eph. II, 13—18., qui omnino cum ibi notatis hic est conferendus. παραστῆσαι — κατενώπιον αὐτοῦ) Παραστῆσαι, pro εἰς τὸ παραστῆσαι. Cf. Eph. V, 27.

23. Εἴγε—ἑδραῖοι) Quod etiam fiet, *si modo illam fidem semper servatis solidam et constantem*, si modo constanter et firmiter religionem christianam sequimini. Τεθεμελιωμένοι, *bene fundati* sunt Christiani, qui solida instructi sunt cognitione salutarium veritatum. Ἑδραῖοι, qui firmiter manent in confessione religionis. In Glossario: ἑδραῖος, *firmus, stabilis.* μὴ μετακινούμενοι — οὗ ἠκούσατε) *Nec dimovemini a spe, facta vobis per evangelicam doctrinam* Ἐλπὶς τοῦ εὐαγγελίου, spes, quae oritur ex promissionibus in evangelica doctrina contentis. ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) *Omnibus hominibus in toto terrarum orbe.* Ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, *omnibus*, i. e. cuiusvis generis hominibus, Ethnicis pariter et Iudaeis, ut Marc. XVI, 15. Popularis est phrasis, quae indicat, in omnibus, vel saltim plurimis terris,

tum temporis cognitis, praedicatum fuisse Evangelium.

24. Νῦν χαίρω—ὑπὲρ ὑμῶν) Codices aliquot praemittunt ὃς, *qui*. Idem expressit *Vulgata*, et retinendum censuit *Beza*. Videtur a nonnullis nexus caussa additum esse. Apostolus enim, exposita Colossensium felicitate, quae ad ipsos ex praeconio Evangelii redundaverat, de se nunc pluribus loqui incipit, facta occasione ex eo, quod v. 23. se Evangelii ministrum dixerat. *Pro vobis*, i. e. vestro commodo. Gaudeo in tolerandis his malis, quae mihi ideo infliguntur, quia gentibus Evangelium praedicavi; nam spero fore, ut vos audita mea constantia, magis magisque confirmemini in fide. καὶ ἀνταναπληρῶ—σαρκί μου) *Et libenter perferam reliquas calamitates tolerandas in corpore meo pro Christi religione.* Ἀνταναπληροῦν τὰ ὑστερήματα, *supplere quae adhuc desunt*, et quia de calamitatibus est sermo, perferre quae adhuc toleranda restant. Verbum ἀνταναπληροῦν idem significat ac ἀναπληροῦν, *explere*, *supplere defectum alicuius rei*; nam praepositionis ἀντὶ, *(loco*, vice) nulla hic vis est, uti nec in verbis ἀνταποδίδωμι, ἀνταποκρίνομαι, et aliis, ut docuit *Fischerus* in Animadv. ad *Welleri* Grammaticam gr. p. 369. Τὰ ὑστερήματα, i. e. τὰ λοιπὰ. Θλίψεις τοῦ Χριστοῦ, calamitates quas Christus perpessus est; tum mala similia illis, quae Christus perpessus est; h. l. autem afflictiones quae propter Christum, eiusque doctrinam perferuntur. Ὑπὲρ τοῦ—ἐκκλησία) *Pro corpore eius* (Christi,) *quod est ecclesia*, in commodum christianae sociatatis, quae Christum agnoscit pro suo capite. Alias aliorum hu-

ius loci interpretationes proposuit *Heinrichs* ad h. l. et in excursu ad eundem.

25. Κατὰ τὴν οἰκονομίαν—εἰς ὑμᾶς) *Secundum dispensationem (institutum*, Anstalt) *Dei*, qui mihi demandavit munus, vobis (gentibus) praedicandi Evangelium. Sensus idem est qui Eph. III, 7. Εἰς ὑμᾶς, pro ὑμῖν, vel commodo vestro. πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ) Πληρῶσαι, pro εἰς τὸ πληρῶσαι, i. e. perfecte et cum prospero successu docere, quae plenior institutio in eo erat, quod gentiles etiam ad societatem christianam admittendos et perducendos esse doceret, ut ex sequentibus patet. Est peculiare Paulo scribere: *implere*, pro *tradere*. Eadem locutio, quae Rom. XV, 19.

26. Τὸ μυστήριον — γενεῶν) *Doctrinam, inquam, occultam inde ab antiquissimis temporibus, nunc autem patefactam Christianis.* Vide annotata ad Eph. III, 3. 9. Idem significant γενεαί, quod αἰῶνες, pro quo etiam ponuntur γενεαὶ αἰώνων, et sic αἰῶνες καὶ γενεαί. Γενεά, דור proprie duratio vitae humanae.

27. Οἷς ἠθέλησεν — ἔθνεσιν) *Quibus voluit Deus patefacere, quam praestans esset illa doctrina inter gentiles.* Ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, *maxima excellentia.* ὅς ἐστι Χριστὸς ἐν ὑμῖν) *Qui est Christus*, i. e. doctrina Christi, *inter vos.* Explicatur verbum *mysterii* per hanc periphrasin: Doctrina illa nova est doctrina de admittendis et adducendis gentilibus e decreto divino ad societatem Christianam. Paulus maxime illud decretum divinum defendebat. Quae vero

doctrina inprimis offendebat Iudaeos. Ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης) i. e. *quae vobis facit spem felicitatis. Spes*, pro caussa spei. *Gloria*, felicitas. Sive: spem excellentissimam; spem excellentissimae felicitatis.

28. Νουθετοῦντες — διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον) *Monentes et instituentes omnes* (ex omnibus gentibus) *homines in doctrina christiana*, quae hic dicitur σοφία. Postremas duas voces ommittunt Codd. nonnulli, ideo procul dubio, quod superfluae viderentur, tanquam proxime allatae. Sed ex toto commate patet, Apostolum has voces δεινότητος et ἐμφάσεως caussa, data opera repetiisse. Ἵνα παραστήσωμεν — ἐν Χριστῷ) *Ut quam plurimos homines perfectos Christianos reddamus.* Παραστήσωμεν, nempe Deo, tanquam ministri. Τέλειος ἐν Χριστῷ est *perfectus Christianus*, qui bene institutus in religione, ita sentire et agere potest, ut Christianum decet. Cf. c. IV, 12. inprimis Eph. IV, 13.

29. Εἰς ὃ—δυνάμει) *Quem in finem laboro summa cum contentione, pro viribus, quibus Deus me instruit potenter.* Εἰς ὅ, *in quem finem.* Κοπιῶ ἀγωνιζόμενος, *laboro certans*, i. e. laboro cum summa contentione. ἐνέργεια ἐνεργουμένη, vis quae se exserit in me, in meis laboribus, quatenus me Christus adiuvat in munere obeundo. Ἐνεργουμένην hic est sensu activum, ut Gal. V, 6. Ἐν δυνάμει, *potenter.*

CAP. II.

1. Θέλω — Λαοδικείᾳ) *Enimvero nolo vos ignorare quanta premar cura vestri et Laodicensium caussa.* Ἀγών, *cura, sollicitudo.* Ex occasione verbi ἀγωνιζόμενος c. I, 39. sermonem hunc nectit. Rationem et exemplum affert, quo constare Colossensibus possit sua in munere obeundo industria, qui inprimis de illis sit sollicitus, quos praesens nunquam conspexerit. Sollicitus autem erat Paulus, Colossensium et Laodicenorum caussa, quoniam verebatur, ne per falsos doctores abducerentur a religione vera. *Laodicea* erat metropolis Phrygiae Pacatianae, in vicinia Colossarum sita. καὶ ὅσοι — ἐν σαρκί) Latini dicerent: *Qui me de facie non noverunt.* Sed quia פָּנִים Hebraeis multa significat, perspicuitatis caussa addit ἐν σαρκί. Sollicitus sum de iis, qui me non coram viderunt, quos non potui confirmare et adhortari verbis et colloquiis.

2. Ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν) *Ut animi eorum confirmentur*, sc. in veritate religionis, ut Act. XX, 12., vel etiam: *ut tranquilli reddantur animi eorum.* Ubi enim sunt dissensiones doctorum, ibi auditores non sunt tranquilli. Vult igitur Paulus eos ex fluctibus his dubitationum eripere. Αὐτῶν, eorum nempe, quos non viderat, ac de quibus proinde magis erat sollicitus, inter quos erant et ipsi Colossenses; ut potius dicendum fuisse videatur ὑμῶν. Sed Hebraeis non sunt durae istae mutationes personarum. συμβι-

βασθέντων ἐν ἀγάπῃ) Vera lectio est συμβιβασθέντες, hanc enim exhibent Codices et Patres diversarum recensionum, Vulg. et Itala. *Ut charitate intime sint coniuncti*, nempe doctores et discipuli. Συμβιβάζειν, *coniungere*, ut duae trabes et similia coniunguntur et compinguntur, Eph. IV, 16. Sic a membris corporis arctissime inter se connexis et copulatis metaphora petitur, infr. v. 19. Hinc per metaph. de *animorum coniunctione, et concordia, et consensione*. Hoc sensu Dio XXXVII. τούτων ἕνεκα καὶ συνεβίβασεν αὐτοὺς καὶ προσεποιήσατο, *quapropter* (Caesar) *eos* (Crassum et Pompeium) *et conciliavit inter se et sibi adiunxit.* καὶ εἰς πάντα — τῆς συνέσεως) *ut ad plenissimam, quae esse potest, intelligentiam perveniant.* Πλοῦτος, ut saepe, magnitudinem rei exprimit. Πληροφορία συνέσεως, *plenitudo* vel certitudo intelligentiae, summa certitudo. Εἰς, finem indicat, vel metam, ad quam pervenire debent Christiani. εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ) *Nempe ad exactiorem cognitionem arcanae illius atque divinae doctrinae.* Explicat, quae sit illa scientia, in qua Christiani proficere debeant. Ἐπίγνωσις hic, ut saepe, est, *exactior cognitio.* Quae in editionibus multis sequuntur verba: καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ, genuina non sunt, quod vel variationes probant, nam ut iuniores nonnullos codices taceam, ex antiquioribus pauci legunt θεοῦ πατρὸς τοῦ Χριστοῦ, alii θεοῦ καὶ Χριστοῦ, alii θεοῦ τοῦ ἐν Χριστῷ, alii aliter.

3. Ἐν ᾧ — ἀπόκρυφοι) *In qua continentur thesauri omnes sapientiae et scientiae.* Ἐν ᾧ refer ad

τοῦ μυστηρίου v. 2. Si verba v. 2. καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ genuina sunt, omnes thesauri sapientiae in Christo esse dicuntur, eodem sensu. A Christo, Paulus inquit, eiusque religione sapientiam petere debetis, non aliunde. Ἀπόκρυφος quum dicit, similitudinem sumit ab arca, in qua pecuniae servantur, indidem promendae, ubi opus est. 1 Macc. I, 24. Sapientia thesauris comparari solet, Prov. VIII, 10. 19. Matth. XIII, 44.

4. Τοῦτο δὲ λέγω—ἐν πιθανολογίᾳ) *Hoc autem eo fine dico, ne quis callide circumveniat vos vanis persuasionibus.* Παραλογίζεσθαι est *decipere, callide circumvenire.* Ioseph. XXII, 1. 1. οὐ μὴν ἠπάτα γε τὴν τιτθίδα, προκατανενοηκυῖαν ἐν πλείονος αὐτὸν, καὶ μηκέτ' οἷαν οὖσαν παραλογισθῆναι. *Non tamen fallebat amitam, quae eum iam pridem exploraverat, nec iam poterat decipi.* Ubi ἀπατᾶσθαι et παραλογίζεσθαι, ut synonyma iunguntur. Viri docti metaphoram petitam putant a disputatoribus, qui callida quadam ratiocinandi argumentandique arte, tanquam laqueis, alios capiunt et decipiunt. Nec male. Nam et πιθανολογία habet vim notionemque τῶν πιθανῶν λόγων, quos ab antiquis philosophis adhibitos ad fallendum memorat Philo de Migr. Abr. p. 414. E. οἵτινες ὠήθησαν σοφίαν πιθανῶν εἶναι λόγων εὕρεσιν, ἀλλ' οὐ πραγμάτων ἀληθεστάτην πίστιν, *qui putarunt sapientiam cerni in rationibus probabilibus, non in rerum certissima veritate.* Et omnino iam tum fuisse videntur, qui Iudaismum et philosophiam orientalem commiscerent.

5. Εἰ γὰρ—σὺν ὑμῖν εἰμι) Idem sensus est 1 Cor. V, 3. χαίρων καὶ βλέπων—πίστεως ὑμῶν) *Laetabundus observans rectum quem tenetis, ordinem, et firmitatem fidei, qua doctrinam Christi profitemini.* In verbis χαίρων καὶ βλέπων est ἓν διὰ δυοῖν. Hoc enim vult: Gaudeo, considerans, cuncta apud vos recte agi atque ordine, et vos firmiter perstare in fide in Christum.

6. Ὡς οὖν—περιπατεῖτε) *Vitam igitur agite conformem doctrinae Christi Iesu Domini, quam estis edocti. Christus Iesus* h. l. est iterum Christi doctrina. Παραλαμβάνειν, vox propria discentibus, 1 Cor. XI, 23. et aliis locis. Περιπατεῖν, הָלַךְ, *vitam agere.*

7. Ἐῤῥιζωμένοι—τῇ πίστει) *Firmi et fundati et constantes in religione.* Eadem res ter dicitur. Ἐῤῥιζωμένοι, *radicibus haerentes;* ἐποικοδομούμενοι, *in fundamento aedificati*, ergo firmi; βεβαιούμενοι, *firmi.* Sic etiam ἐν αὐτῷ in Christo, et ἐν τῇ πίστει eodem redit. περισσεύοντες—εὐχαριστίᾳ) *Crescite in ea* (fide) *et gratos vos praebete.* Vel: *magnas et assiduas gratias agite propter illam,* sc. religionem.

8. Βλέπετε — κενῆς ἀπάτης) *Cavete, ne quis vos decipiat,* bono vestro privet, *per vanam ac fallacem quandam sapientiam.* Ἔσται ὁ συλαγωγῶν pro συλαγωγῇ, loquendi genus etiam elegantioribus Graecis usitatum. Σύλη, *praeda*, et ἄγειν, *abducere*, hinc συλαγωγεῖν quasi *per vim abducere*, spoliare aliquem. Falsi doctores privant bono, dum eripiunt ve-

rum et fructum veri. In sequentibus verbis est ἓν διὰ δυοῖν; nam διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης idem valet quod διὰ τῆς κενῆς ἀπάτης τῆς διὰ φιλοσοφίας. Vox φιλοσοφία perquam est πολύσημος, et saepe etiam denotat *religionem Iudaicam*, cum variarum sectarum Iudaicarum peculiaribus placitis coniunctam. Apud Philonem de Nom. Mut. pag. 1079. D. dicuntur οἱ κατὰ Μωσῆν φιλοσοφοῦντες, *qui Mosis philosophiam*, i. e. *rationem amplectuntur*. Iosephus sectae Iudaeorum pharisaicae mentionem faciens, eius rationem φιλοσοφίαν nominat, Ant. XVIII, 1. Idem de B. Iud. II, 8, 2. τρία παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται, *tria genera philosophorum sunt apud Iudaeos*. Intelligit autem diversa Pharisaeorum et Sadducaeorum placita et instituta. Hoc loco φιλοσοφία est profunda sapientia, exquisitior scientia, sed vana et fallax, quae falso iactatur. Intelliguntur errores Iudaizantium doctorum. κατὰ τὴν παράδοσιν — Χριστὸν) *Quae continetur traditionibus humanis, et primis rudimentis religionis, non christiana*, vel Christo digna. Quid sint στοιχεῖα τοῦ κόσμου vide Gal. IV, 3. Doctores illi Iudaizantes commendabant legem ritualem iudaicam, plenam traditionibus, contra quas Christus saepe disputavit, Pharisaeos castigans. Ergo non fuit illa vana sapientia conveniens religioni christianae.

9. Ὅτι—σωματικῶς) *Nam ipsi insunt omnes thesauri sapientiae divinae revera.* Πλήρωμα τῆς θεότητος (cf. supra c. I, 19.), copiae, quas Deus habet, nimirum copiae vel thesauri sapientiae. Genitivus θεότητος h. l. non intelligitur de ipsa natura Dei,

tanquam de eo quod habitet in aliquo, sed de illo quod sit a Deo profectum, ab eoque originem ducat, ut infra v. 19. *αὔξησις τοῦ θεοῦ* non est ipsius Dei incrementum, sed nostrum, quod et quatenus a Deo proficiscitur. *Σωματικῶς, vere, reipsa.* Nam infra v. 17. *τὸ σῶμα* opponitur *τῇ σκιᾷ τῶν μελλόντων.* Cf. Hebr. X, 1. Iudaei nihil in Mosaicis institutis nisi involucra tenebant futurorum bonorum; Christus autem haec ipsa bona vere attulit. Io. I, 17. Apparet ex tota orationis serie, in *πληρώματι θεότητος* inesse significationem eius, quod Christus nobis *tribuit et donavit.* Nam instituta illa Iudaica, adversus quos Paulus h. l. pugnat, imagines erant *τῶν μελλόντων*, sc. *ἀγαθῶν*, in Christo est veluti comprehensio istorum bonorum, *τὸ σῶμα*, ipsa illa bona, quorum usuram capere Christiani debebant. Alias, sed minus probabiles interpretationes huius loci vid. apud *Heinrichsium.*

10. *Καί ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι*) *Et per eum vos etiam omnia accepistis* (dona), *quibus opus est vobis;* per eum omnibus bonis et beneficiis cumulati estis. *Πεπληρωμένοι, repleti* sc. donis divinis sapientiae, inprimis vera doctrina imbuti. Falsi doctores iactabant suam sapientiam, vanam et fictam. Vobis autem, inquit, ea non opus est; nam Christus, omnis sapientiae fons, omnia vobis suppeditat ad aeternam felicitatem necessaria. *ὅς ἐστιν — ἐξουσίας*) *Qui imperium habet in omnes qui principum et dominorum nomine veniunt.* *Κεφαλή*, רֹאשׁ, is, qui imperium habet. Vid. notanda infra ad comma 15. Vos, inquit Paulus, imbuti estis (*πεπληρωμένοι*) omnibus illis notitiis voluntatis divinae, quibus ad veram virtutem tran-

quillitatem et felicitatem opus est. Oportet vos *caput* vestrum, Christum Dominum magis sequi quam quemque alium ducem (ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν).

11. Ἐν ᾧ — τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός) Τῶν ἁμαρτιῶν deest in Codd. Verss. et Patr. diversarum recensionum, et videtur explicandi caussa additum a librariis. Sensus est: *Per quem vobis contigit circumcisio longe melior illa, quae hominum manibus fieri solet, quum veterem peccandi consuetudinem abiecistis.* Περιτομὴ χειροποίητος est illa quae manu humana fiebat, ἡ ἐν σαρκὶ, Eph. II, 11., quam falsi doctores urgebant. Περιτομὴ ἀχειροποίητος est illa cordis, quae fit divinitus, Rom. II, 29. Σῶμα τῆς σαρκὸς, corpus, quod pravis cupiditatibus indulget. Si lectio ἁμαρτιῶν vera esset, per σῶμα τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς intelligeretur corpus, quod patrat peccata e cupiditatibus vitiosis orta. Ἀπεκδύσιν hoc corpus, est: hoc corpore non amplius uti ad scelera, et exutio corporis est vita sanctior, quae porro dicitur περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ circumcisio, i. e. emendatio, quam Christus efficit per suam religionem, per quam desinimus peccare. Comparatio circumcisionis cum emendatione occurrit iam Deut. XXXVI, 6.

12. Συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι) Hoc, quod modo dixi, factum est tum, *quum sepeliremini quasi cum ipso in baptismate.* Quum nempe baptizati estis, immersio in flumen, sepulturae similis, Symbolum fuit vos exuere veterem hominem, nec amplius secundum priscos mores vestros vivere velle. Cf. de hac re locum gravissimum Rom. VI, 4. sqq. ἐν

ᾧ καὶ — ἐκ τῶν νεκρῶν) Deest artic. τῶν in codicibus plurimis. *Per quem etiam spes certissima resurrectionis facta est vobis, quum credidistis, Deum tam potentem fuisse, ut Christum a mortuis excitaverit.* Id enim qui credit, is simul credere debet, Deo non deesse potentiam, ut et alios excitet; cui potentiae quum accedat promissio, merito ea res pro certa habetur. Revocatio Christi in vitam fundamentum erat totius religionis christianae. Id quod innumeris locis Apostoli affirmarunt. Igitur qui fidem habet Deo, eum restituisse Christum, is etiam credit, Iesum vere fuisse Messiam, atque adeo eius doctrinae esse obsequium praestandum vitamque meliorem instituendam. Genitivus ἐνεργείας hic obiectum fidei significat, ut Eph. III, 12. Συνηγέρθητε eodem sensu recipe, quo habuimus Eph. II, 5. 6., quem locum confer.

13. Καὶ ὑμᾶς — πάντα τὰ παραπτώματα) Enumerantur nunc alia bona, quae a Christo acceperunt Christiani. Non tantum ad meliorem vitam, sed etiam ad beatiorem sunt adducti. Idem sensus, et eadem fere verba Eph. II, 1. 5. Vid. ibi notata. Καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν, *et propter illud praeputium, quod est prava sentiendi ratio.* Ante τῇ ἀκροβυστίᾳ repete ἐν, quod addunt nonnulli codices. Τῆς σαρκὸς ὑμῶν explicat, quale sit illud praeputium, quod homines vere impuros reddat. Est nempe σάρξ, *prava cogitandi sentiendique ratio.* Hoc praeputium abiecerant, quum facti essent Christiani, v. 11. Potest etiam ἡ ἀκροβυστία τῆς σαρκὸς significare statum hominis ethnici; nam qui habet praeputium, est ethni-

cus, ut Paulus dicat: Miseri eratis propter ethnicismum, in quo vivebatis olim. Χαρισάμενος ἡμῖν, sic enim legendum, pro eo quod alii habent ὑμῖν. Ἡμῖν habent codices optimi, cum nonnullis Versionibus et Patribus. Recte; nam cohaerent haec cum sequentibus.

14. Ἐξαλείψας — τῷ σταυρῷ) *Dum antiquavit legem illam scriptam, decretis variis constantem, nobis contrariam, et illam prorsus e medio sustulit, infigens illam quasi cruci suae*, ut edicta antiquata affigi solent. Totum hunc locum v. 14—23. egregie illustravit *Noesselt* binis Proluss. *de Chirographo deleto* etc. Vid. eius *Exercitationes ad Scripturarum sacrarum interpretationem*, pag. 212—253. Ἐξαλείφειν de legibus *deletis* usurpat Lysias orat. 29. de Nicomacho legum scriba dicens: τοὺς μὲν ἐνέγραφε, τοὺς δὲ ἐξήλειφεν, *alias ille* (leges) *inscribebat, alias delebat. Chirographum* satis constat non semper dici de scripto, quo quis alicui se aliquid debere confirmat (Sahuldbrief, *Obligation*), sed de quocunque etiam scripto usurpari. Collatio Eph. II, 15. ostendit τὸ χειρόγραφον esse τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν, legem Mosis positivam, in litteris relatam (γράμμα dicitur ea lex 2 Cor. III, 6., quatenus scriptis praeceptis continebatur), quae dissociabat Iudaeos et Paganos. Nam hoc sensu dicit Apostolus hanc legem *adversariam* fuisse *Christianis*, nempe ex Iudaeis et gentibus, ὑπεναντίον ἡμῖν. Erat enim Iudaeis (ut *Noesselti* verbis utar,) vel ipsam hanc ob legem *adversus omnes alios hostile odium* (Tacit. Hist. V, 5.), ipsi autem vicissim omnibus *invisi*, ita, ut neque ii, qui de gentibus unum

Deum amplecterentur, seseque hactenus cultu cum Iudaeis coniungerent, circumcisionem vellent et cetera lege praescripta suscipere, neque Iudaei istis ius civitatis sacrae aut populi divini concedere, nisi se prius universae legi Mosaicae addixissent. Hanc igitur *adversam nobis* (Christianis ex utraque gente) dicit Paulus h. e. obstantem coniunctioni utriusque gentis et religionis in unam ecclesiam, sed *ea sublata, et pace ita conciliata*, Christus *e duobus unum quasi hominem creavit.* Eph. II, 25. De voce δόγματα cf. dicta ad Eph. II, 15. Αἴρειν ἐκ μέσου occurrit apud Plutarchum de curiosit., ubi de arcanis, quae supervenientibus hominibus πολυπράγμοις occultari solent, dicit, καθάπερ ὄψον, γαλῆς παραδραμούσης, αἴρουσιν ἐκ μέσου, καὶ ἀποκρύπτουσιν, *tollunt* illa *veluti obsonium accurente fele, e medio, et abscondunt.* Προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ. Alludit Paulus ad morem, qui tunc etiam in Asia videtur fuisse, clavis transfigendi edicta antiquata.

15. Ἀπεκδυσάμενος — ἐν παῤῥησίᾳ) *Spoliavit potestate omnes principes ac potentes, traduxit eos palam, atque de iis egit triumphum.* Ἀπεκδύειν est *exuere; spoliare*, armis, vestibus, opibus exuere, quod bello victis fieri solebat. Medii verbi vis hic non est urgenda; nam auctoritatem grammaticam a Paulo subinde neglectam esse, satis constat. Δειγματίζειν, *contumeliae publicae exponere.* Hostes autem, quos Christus contumeliae publicae exposuit, sunt defensores illius chirographi, de quo sermo fuit, legis Mosaicae. Defensio enim huius legis fuit maximum impedimentum religionis christianae propagandae. Christus autem morte

sua effecit, ut isti hostes potentissimi, Iudaeorum principes et sacerdotes nihil amplius valerent. Postquam enim idem is Iesus, qui instigantibus illis principibus et potentibus, Iudaeis puta magistratibus, in crucem actus fuerat, ex mortuis resuscitatus, et ad summam gloriam evectus erat, tum apparuit, vanos fuisse conatus illorum hominum, Christo adversantium, et consilium eius in condenda nova religionis forma irritum reddere volentium. Sic Christus in hoc cum hostibus suis certamine superior evasit, et eo ipso, quod mortem crucis toleravit, plenissimam de iis reportavit victoriam. Ἐν παῤῥησίᾳ, *palam*, toto mundo inspectante. Θριαμβεύσας, meton. pro νικήσας, *quum devicisset*. Ἐν αὐτῷ non ad crucem, sed ad *Christum* referri debet; nam Subiectum (v. 12.) est Deus, qui haec omnia per Christum effecit.

16. Μὴ οὖν — ἢ σαββάτων) *Ne quis igitur vos damnet propter cibum* etc. Nunc proprie dicit Apostolus, quid a Christo fuerit sublatum. Non amplius locum habent discrimen cibi et potus, festi dies, sabbatha. Κρίνειν, pro καταχρίνειν, *condemnare*. *Ne quis vos condemnet* dicitur pro: contemnite ista iudicia, nec istis diris perterreamini, quas obnuncient, qui sancte servari haec instituta a vobis velint. Cf. Phil. I, 28. 1 Cor. X, 29. Ἐν, *propter*. Ἐν μέρει ἑορτῆς, *ob festum*, quasi scriptum esset simpliciter ἐν ἑορτῇ. Τὸ μέρος enim, alteri Substantivo iunctum, saepe eleganter abundat. Sic Philo in Libro: *Quod deterior potiori insidietur*: ὅσοι δ' ἐν μέρει λόγου τοῦ προκόπτοντος κατὰ τὸν πατέρα κοσμοῦνται. *Quotquot ratione, profectus faciente, sicut ille Pa-*

triarcha, ornantur. Ubi diserte ἐν μέρει λόγου est pro λόγῳ. Sic etiam *Diogenes Laërtius* ἐν σκώμματος μέρει, ἐν εἰκόνος μέρει dixit.

17. Ἅ ἐστι — τοῦ Χριστοῦ) i. e. *Quae futuris* (beneficiis N. T.) *comparata, umbra sunt, quum soliditas rei a Christo solo sit petenda.* Σκιὰ saepe dicitur id, quod est imperfectum et tenue. Cic. Offic. L. III. c. 17. *Nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus. Umbra et imaginibus utimur.* Τὸ σῶμα, *res firma ac solida* opponitur umbrae, per se vanae et inani. Similis oppositio apud Ioseph. de B. I. L. II. ἥκει παρὰ τοῦ δεσπότου σκιὰν αἰτησόμενος τῆς βασιλείας, ἣς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶμα. Τὸ δὲ σῶμα, τοῦ Χριστοῦ, ita haec verba sunt distinguenda, ut in σώματι subiectum sit, in genitivo τοῦ Χριστοῦ attributum. Sensus igitur est: *Res autem*, s. veritas ipsa, h. e. ipsa illa futura bona (τὰ μέλλοντα) *in Christo quaerenda*, ab ipso repetenda sunt; illi ritus Mosaici parum utilitatis praestabant. Hanc interpretationem et ipsa verba et contextus sermo suadent. Ritus istos fuisse typos rerum futurarum, Paulus his verbis non dicit.

18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω) *Nemo vos circumveniat.* Βραβεύειν, *iudicem et moderatorem esse certaminis*, ut saepe occurrit apud Iosephum. Hinc καταβραβεύειν est *alicui praemium certaminis contra ius eripere;* tum vero etiam *condemnare, iniuriamque facere.* Apud Demosthenem Strato pro praemio iustitiae ignominia notatus esse dicitur: ἐπιστάμεθα Στράτωνα ὑπὸ Μειδίου καταβραβευθέντα

καὶ παρὰ πάντα τὰ δίκαια ἀτιμωθέντα, *scimus Stratonem a Midia insidiose circumventum, et contra omne ius ignominia notatum esse.* Hesychius: καταβραβεύεται explicat κατακρίνεται. Quaenam autem hic vera vis verbi sit, intelligitur ex iis, quae Paulus v. 16. dixerat: μήτις ὑμᾶς κρινέτω. Sensus est nempe: *Ne moveamini* s. perterreamini *dictis eorum, qui expertes vos fore salutis pronunciant*, propter ea, quod commenticiam religionem amplectuntur nobisque obtrudunt, quam contemni a Christianis oportet. Θέλων ἐν — ἀγγέλων) *Qui delectatur tenuitate in victu, et studio simulatae sanctitatis.* Θέλων non ut quidam volunt, ad praecedens καταβραβευέτω, sed ad proxime sequentia nomina referendum est, ut θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ sit *severitatis in corpus studiosus affectator, quique sibi in eo studio admodum placet.* Ταπεινοφροσύνη non tam *humilitas*, aut *modestia*, quamvis simulata, sed *tenuitas in victu*, *severitas* in cohibendo appetitu ciborum, quos lex Mosaica interdixisset, ieiuniorum frequentia, et quae sunt generis eiusdem esse videtur. Nam τῇ ταπεινοφροσύνῃ v. 23. adiuncta est ἀφειδία σώματος, *crudelitas in ipsum corpus*, et ταπεινοῦν τὴν ψυχήν Lev. XVI, 29. et 31. et saepe alias, est more Hebraeorum: *appetitui vim afferre*, quod faciunt ii, qui se a cibis capiendis cohibent. Cf. Philip. IV, 12. Act. XX, 19. Aliis ταπεινοφροσύνη est humilitas affectata, quae in eo cernitur, quod quis a multis rebus abstinet, quod corpus durius tractat *(Scheinheiligkeit)*. Θέλειν h. l. est *delectari:* nam חָפֵץ sequente ב exprimitur verbo θέλω, ἐθέλω, εὐδοκῶ, βούλομαι ἐν τινί, e. g. 1 Sam. XVIII, 22. 25. Θρησκεία τῶν ἀγγέλων videtur esse *studium*

singularis sanctitatis; nam et alibi (Act. XXVI, 5.) Paulus τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς Ἰουδαϊκῆς θρησκείας non cultum dicit, sed studium singularis sanctitatis Pharisaicae, quae crebris ieiuniis et exquisitis exercitationibus aliis cernebatur: et versu 23. capitis nostri Paulus pro θρησκεία τῶν ἀγγέλων substituit ἐθελοθρησκείαν, quam dubitari non potest fuisse in fugiendis cibis, quos lex Mosaica interdixisset, et similibus institutis. Cf. v. 16. Aliis θρησκεία τῶν ἀγγέλων est *talis cultus et habitus, quali Angeli ornati sunt;* aliis vero *cultus Angelis praestitus.* Voci θρησκείας saepe addi Genitivum, qui *obiectum* inferat, in quod *cultus* tendat, *Krebsius* multis exemplis probavit. Fuisse inter Iudaeos, qui existimarent, Angelos esse intercessores hominum apud Deum, patet ex Tob. XII, 15., ubi Raphaël de se dicit: ἐγώ εἰμι Ραφαὴλ, εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἁγίων ἀγγέλων, οἱ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων. Cf. v. 12. *Philoni* in lib. de Somn. p. 586. D. angeli sunt quasi Dei μεγάλου βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα — — ἀλλ' ὅτι τοῖς ἐπικήροις ἡμῖν συνέφερε μεσίταις καὶ διαιτηταῖς λόγοις χρῆσθαι. De *Essenis* praecipue Iosephus de B. I. L. II, 8. 7. inter cetera haec: ὀμνύουσι — ἀφέξεσθαι ληστείας, καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. Quum Esseni fuerint inter Iudaeos, fieri potuit, ut ex illa secta plures ad religionem christianam transirent, qui suas opiniones Christianis inculcare conarentur. Sed propter contextum praeferenda esse videtur *Noesselti*, quam modo proposui, sententia huic posteriori, quae mihi olim probabilior videbatur, et quam *Heinrichs* etiam defendit. Ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, *indagare studens, quae*

non intelligit. Ἐμβατεύειν, ut ἐμβαίνειν proprie est *ingredi*, deinde *aggredi aliquid*, porro *inhabitare, commorari;* denique per metaphoram, *quaerere aliquid cognoscendi caussa*, alicuius rei, vel disciplinae doctrinaeque accuratius cognoscendae caussa, assiduam in indagando quaerendoque operam impendere, ut *Wolfius* in Curis philol. et *Krebsius* multis exemplis demonstrarunt. Ὁρᾶν, h. l. est *percipere, intelligere*, non solum ex usu linguae hebraicae, verum etiam graecae, quod Philonis auctoritate confirmat Loesnerus ad h. l. Illustrari haec verba possunt e loco eiusdem argumenti 1 Tim. I, 7., ubi commemorantur homines, *qui, neque quod dicant, neque quod inculcent, ipsi intelligunt.* Nempe, qui addicti erant Iudaicis institutis, ignorabant, concessa esse in legibus Mosaicis multa, quae nec vim tamen praeceptorum haberent, omnia autem non nisi ad tempus, nullis, nisi Israelitis iniuncta, plurima praeter haec hominum arbitrio, non Dei mandato, sancita, praetereaque Christianis, a legis Mosaicae vinculo per Christum liberatis, antiquata praecepta, et vero etiam iis, qui stirpe de Israelitica non essent, haec eadem, quae Iudaeis, religiose servanda obtrudebant. Cf. 2 Cor. III, 13. Εἰκῇ φυσιούμενος ἀπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *frustra* s. stulte *elatus mentis suae imbecillitate.* In vocabulo σαρκὸς significationem esse *imbecillitatis*, satis constat; proinde νοῦς τῆς σαρκὸς bene potest de imbecilla mente explicari. Simillimus locus est 1 Tim. VI, 4. 5. Disputatio Christi Luc. XI, 52. et Matth. XXIII, 4. ita accuratam continet huiusmodi doctorum Iudaicorum descriptionem, ut possit pro commentario in hunc nostrum locum esse.

19. Καὶ οὐ κρατῶν — τοῦ θεοῦ) *Et non tenet caput*, (non sequitur Iesum Christum, tanquam unice verum magistrum,) *e quo universum corpus* (Christianorum) *per iuncturas et vincula vim quasi vitalem trahens, et coniunctum, crescit incremento quodam divino.* Κρατεῖν τινὰ, *sectari aliquem*, eique tenacissime inhaerere. Ἐξ οὗ, *per quem, quo moderante*, est constructio πρὸς τὸ συμαινόμενον. Nam quum dixisset κεφαλήν, ita cetera intulit, quasi dixisset Χριστὸν, quem per vocem κεφαλὴν indicabat. Ad sequentia cf. dicta ad Eph. IV, 16. αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ) *Crescit illo incremento, quod a Deo est*, ita ut Deus ipse sua providentia secundet incrementum ecclesiae; crescit Deo ita efficiente. Nam Genitivus τοῦ θεοῦ hic caussam significat.

20. Εἰ οὖν ἀπεθάνετε — τοῦ κόσμου) *Quodsi igitur cum Christo estis mortui* (renuntiastis) *elementis illis Iudaicis. Noesselt* Opusc. fasc. 2. p. 217. s. τὰ στοιχεῖα exponit de *signis*, sensum moventibus caerimoniis, de externo atque adumbrato Dei cultu, qualis describitur supra v. 16. et 21. et Gal. IV, 10. Sensus idem manet, ita expressus: *Quodsi igitur abdicastis vos cum Christo* s. tum, quum Christiani redderemini, *Iudaismi signis.* Κόσμος, ut saepe alias est *profanitas*, s. ipsa religio ac potius superstitio Iudaica, hactenus, quod Iudaei sive suum sensum sequerentur, et adderent ad leges per Mosen datas, eas, quas ipsi sibi praescripsissent, sive in alienum sensum detorquerent legum divinarum vim, etiam id, quod profanum esset, sacrum divinumque putarent. τί ὡς — δογματίζεσθε;) *Cur, tanquam viventes inter Profanos, amplecti-*

mini arbitraria praecepta? Δόγματα sunt decreta s. instituta legis Mosaicae ut v. 14. et Eph. II, 35.; δογματίζεσθαι igitur, sequi haec arbitraria decreta. Ad haec instituta quum reverterentur, erant ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ, i. e. veteris profanitatis rei, tanquam viventes adhuc in Iudaismo. Κόσμος enim est superstitio Iudaica, quae, quoad disiungitur a christiana religione, profana recte dicitur. Videtur Paulus (ut *Morus* etiam accurate monet, dissertatt. p. 228. *) non simpliciter contra Iudaeos, Mosis legem defendentes, disputare; adeo contemtim de opinionibus eorum loquitur: sed contra Iudaeos, magnam vanarum opinionum copiam ad Mosis legem adsciscentes. Confirmatur haec sententia universa orationis serie, inprimis v. 21. 22. 23., ubi defensio delectus ciborum niti dicitur nugis et affectatione insignis sapientiae aut pietatis.

21. Μὴ ἅψῃ — θίγῃς) *Noli comedere, noli gustare, noli attingere*, sc. cibos vetitos. Haec verba cum iis, quae sequuntur v. 22. ἅ ἐστι — ἀποχρήσει, uncis includenda esse videntur, ut contineant exempla talium δογμάτων, et imitentur sermones Iudaeorum, qui vellent, ut quisque sibi ab interdictis in lege Mosaica caveret. Ἅπτειν de cibis sumendis saepe usurpatur. Igitur recte hic vertitur *comedere*. Teste Diogene Laërtio L. VI, c. 2. §. 6. Diogenes Cynicus docuit, licere quoque ἀνθρωπείων κρεῶν ἅψασθαι, *carnibus vesci humanis*. Contra et Pythagoras praecepit: ἀλεκτρύονος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ, et paulo post: τῶν ἰχθύων μὴ ἅπτεσθαι ὅσοι ἱεροί. Grotius illud μὴ θίγῃς pertinere existimat ad vitandas foeminas. Sed discrimen anxie non quaerendum est; nam animo calidiore haec a Paulo dicuntur.

22. "Α ἐστι — ἀποχρήσει) *Quae quidem omnia ipso usu pereunt.* Haec verba cum v. 21. cohaerent, et pertinent ad parenthesin, continentque Pauli iudicium de his rebus, *de cibis;* nam de his v. 21. sermo fuerat. Vocabulum φθορὰ h. l. non perniciem significat, sed interitum ciborum, et ἀπόχρησις non abusum, sed usum. Hi sunt εἰς φθορὰν, i. e. pereunt. Sensus igitur est: *Hi omnes* cibi, tantum abest ut polluant vescentem, ut potius *ipso usu pereant* et conficiantur, plane ut docebat Christus Matth. XV, 17. 18. Verba: κατὰ τὰ ἐντάλματα — ἀνθρώπων, *secundum decreta et doctrinas hominum,* coniungenda sunt verbo δογματίζεσθε v. 20. et sensus totius loci v. 20. 21. 22. est: *Quid suscipitis* aut fertis, si quis vobis ingerit, *ista decreta (qualia* sunt: *noli tangere, neve gustare, neve contrectare* huius rei aliquid, quod est vetitum lege Mosaica veterumque praeceptis, cibos inprimis interdictos, *quod omne perit tamen* s. conficitur *ipso usu;) quae certe decreta proficiscuntur a praeceptis doctrinisque humanis.*

23. "Ατινά ἐστι — τῆς σαρκός) *Quae* praecepta rationem quidem habent sapientiae, sed huius tantum *(sapientiae)* quae *cernitur* s. continetur *commentitia religione et tenuitate* victus *et severitate in corpus, non cura quadam corporis, quae ei saturando provideat.* Sic *Noesselt* haec verba recte, ut mihi videtur, vertit. Λόγον ἔχοντα σοφίας, *quae speciem habent sapientiae,* aut etiam: *quae praetextum habent sapientiae,* sub praetextu, quasi magna illis inesset sapientia, docentur. Polyb. Lib. XVII, c. 13. *Quum genus humanum inter animalia callidissi-*

mum esse videatur, πολὺν ἔχει λόγον τοῦ φαυλότατον ὑπάρχειν, *multum tamen habet speciei, id deterrimum esse.* Σοφία eadem est, quae v. 8. φιλοσοφία, aut 1 Tim. VI, 20. ψευδώνυμος γνῶσις vocatur, intelligentia quae nomen mentitur suum, eorundem plane hominum, qui, dum acutius se videre quod rectum esse putabant, stultitiae rei tenerentur. Est hic μὲν positum sine sequenti δὲ, idque per ἀποσιώπησιν τοῦ ἀντιθέτου, quod facile suppletur: *sed non inest iis vera sapientia.* Vel μὲν latine non redditur, et sensus est, habere haec *speciem* tantum sapientiae, praetereaque nihil. Particula ἐν definiendi s. declarandi vim habet, ita, ut ostendat, quanam in re posita haec sapientia videatur, ut Eph. II, 15. Ἐθελοθρησκεία non est arbitrarius ab ingenio humano excogitatus cultus, seu *commentitia religio*, cultus quo quis sibi ipse placet, qui excellere pietate, plus praestare cupit quam potest vel debet, ad analogiam similium verborum, qualia sunt ἐθελοπόνος, qui cupide laborat, nimis laboriosus, ἐθελοαστεῖος, elegantiae nimis studiosus, et huius generis plura. Ταπεινοφροσύνην esse tenuitatem in victu, aut severitatem in ciborum delectu supra ad v. 18. monuimus. Ἀφειδία τοῦ σώματος, *quum quis corpus duriter tractat*, ieiunando, vigilando, castigando. Τιμὴ σαρκὸς est *cura, quae corpori praestatur*, ut 1 Cor. XII, 23. 1 Tim. V, 17. Πλησμονή, *satietas*, Exod. XVI, 3. et alibi.

CAP. III.

1. Εἰ οὖν — Χριστῷ) *Quum igitur ad exemplum Christi ad felicitatem perducti sitis*, spes aeternae

felicitatis vobis facta sit; vel: quum vos abdicaveritis ab illa vanitate Iudaica, et humili sentiendi agendique ratione, ex quo doctrinam Christi professi estis. Cf. supra c. II, 20. et 12. Ephes. II, 6. τὰ ἄνω sc. ὄντα ἀγαθά, ea bona quae sunt in coelis, meliora his caducis terrae honoribus et bonis. Cogitate de maiore illa in coelis felicitate, parata veris Christianis.

2. Τὰ ἄνω — τῆς γῆς) *Studete magis coelestibus illis, quam terrenis his bonis.* Ne estote curvae in terras animae, ut illi de quibus Phil. II, 19. Τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, non tantum divitiae aut honores, sed omnia quoque illa, quae tantum ad hanc vitam pertinent, et quae ab Iudaicis magistris commendabantur.

3. Ἀπεθάνετε γὰρ) Vitam priorem vos exuere professi estis in baptismate, supra II, 11. 12. καὶ ἡ ζωὴ — ἐν τῷ θεῷ) Vita, *felicitas vestra* (coelestis) *nondum conspicua, sed soli Deo nota est, sicuti Christus nondum est conspicuus.* Ἡ ζωή, *felicitas.* Κέκρυπται, nondum palam, nondum conspicua, sed occulta est ἐν θεῷ, in mente Dei, ei soli nota. Σὺν Χριστῷ, ad exemplum Christi, qui nunc non conspicitur oculis hominum.

4. Ὅταν ὁ Χριστὸς — ἐν δόξῃ) *Sed quando Christus, felicitatis vestrae auctor conspicuus fiet, tum et vos cum illo* (sicut ille) *conspicua felicitate fruemini;* tum apparebit, vos cum ipso ornatum iri felicitate. Ἡ ζωή, *felicitatis auctor;* metonymia similis Io. XI, 25. Conspicuus autem fiet Christus, quando iudex venturus est. Quum ille veniet, Christiani etiam

conspicui erunt *ἐν δόξῃ*, *in sua dignitate*, vel *felicitate*, i. e. conspicua felicitate fruentur.

5. Νεκρώσατε — *ἐπὶ τῆς γῆς*) *Interficite ergo membra vestra terrena*, i. e. nolite uti membris ad peccandum. Τὰ *μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, membra, quibus in hac vita utimur. Νεκροῦν metaphorice est aliquid *vi sua privare*, vim eius frangere. Sensus est: imperate corpori, ne male faciat. Videntur tamen τὰ *μέλη* h. l. potius improprie intelligenda esse de libidinibus; nam statim dicuntur *πορνεία*, *ἀκαθαρσία*, et quae sunt generis eiusdem. His igitur vim inferri iubet Apostolus. *πάθος*) *affectus*, nefarius amor venereus, ut Rom. I, 20. Εἰδωλολατρεία, facinus gravissimum. Cf. dicta ad Eph. V, 5.

6. Δι' ἃ — *ἀπειθείας*) Cf. dicta ad Eph. V, 6.

7. Ἐν οἷς — *ἐν αὐτοῖς*) Quorum socii et imitatores vos etiam quondam fuistis, quum nondum Christiani facti fueratis. Ἐν *αὐτοῖς*, sc. *υἱοῖς τῆς ἀπειθείας*, ex v. 6.

8. Ὑμεῖς, vos, ut ceteri, qui a paganismo ad religionem christianam conversi sunt. Eph. IV, 31. Βλασφημίαν) *Maledicta*. Philo Leg. ad Cai. p. 1016. E. habet phrasin: *συνυφαίνειν τὸ βλασφημεῖν τῷ συκοφαντεῖν*, *iungere maledictis calumnias*. Αἰσχρολογίαν, *inverecundiam in sermonibus*. Verba *ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν* omittit interpres Syrus.

9. 10. Ἀπεκδυσάμενοι — καὶ *ἐνδυσάμενοι τὸν νέον*) *Deponite veterem sensum*, *cum factis illi sensui*

congruis, quae ex illo sensu pravo oriuntur, *et induite novum*, meliorem *sensum*. Cf. dicta ad Eph. IV, 22 — 24. τὸν ἀνακαινούμενον — τοῦ κτίσαντος αὐτὸν) *Efformatum ad cognitionem, similem illius* cognitioni *qui eum effecit*, religione nempe sua. Ἡ ἐπίγνωσις κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, sc. νεὸν ἄνθρωπον, *cognitio, similis cognitioni eius, qui hunc novum sensum effecit*, i. e. Christi. Nam Christus est ὁ κτίσας τὸν νεὸν ἄνθρωπον, qui producit novum illum et meliorem sensum, per suam doctrinam. Cognitio nostra *ad imaginem* eius efformata, ei similis est, si probamus ea, quae Christus probat; ea improbamus, quae is improbat.

11. Ὅπου — ἐλεύθερος) *In quo* (novo sensu) *non quaeritur, utrum aliquis sit Graecus vel Iudaeus* etc. Gal. III, 28. Σκύθης, *Scythae* habebantur pro semiferis hominibus. Itaque hoc nomine tanquam probroso in Demosthenem utitur Aeschines. Seneca Troadibus: *Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha commisit?* ἀλλὰ — Χριστὸς) *Christus est omnia in omnibus. Christus*, i. e. religio eius. Non quaeritur, utrum aliquis sit nostrae vel alienae nationis; sed Christus, eiusque religio omnia absolvit. Omnia hic eo redeunt, ut habeas novum illum et meliorem sensum, formatum per Christi doctrinam.

12. Ἐνδύσασθε οὖν — οἰκτιρμῶν) Pro οἰκτιρμῶν habent οἰκτιρμοῦ optimi codices et Patres haud pauci. Ἐνδύειν, *induere*, quum de virtutibus usurpatur, significat: iis summo studio deditum esse, eas diligentissime sectari. Themistius orat. 24. hortator. ad philos. ἐπει-

ὅπερ ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἠμφίεστο, *quoniam virtute loco vestium indutus erat.* Athenaeus L. XIII, c. 2. βουλόμενοι ἐνδύεσθαι αὐτὴν αὐτάρκειαν, *quum frugalitatem illam induere velitis.* Ἐκλεκτὸς et ἠγαπημένος qua rem non differt. Ἅγιοι *Deo sacri*, qui ad dilectum Dei populum pertinent; quos sibi Deus delegit, ut eos faceret Christianos.

14. Ἐπὶ πᾶσι — τὴν ἀγάπην) Nempe ἐνδύσασθε, quod ex v. 12. hic repetendum est. ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος) *Quod vinculum est perfectissimum,* animos scilicet coniungens. Idem sensus Eph. IV, 3.

15. Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ — καρδίας ὑμῶν) *Et concordia christiana moderetur animos vestros.* Pro τοῦ θεοῦ, quod alii habent, legendum esse videtur τοῦ Χριστοῦ, quam lectionem exhibent Codices, Patres et Versiones magnae auctoritatis. Ἡ εἰρήνη h. l. non est *felicitas,* sed *concordia.* Quae enim praecesserunt, pertinent ad concordiam. Ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ, *studium pacis et concordiae Christo dignum, eiusque exemplo nobis commendatum.* Βραβεύω, *certaminis moderator et arbiter sum, et praemia certaminis distribuo.* Inde usurpatur de *quacunque gubernatione et directione.* Ioseph. Ant. XIV, 9. 5. πολέμου ῥοπὰς βραβεύει τὸ θεῖον, *belli casus dirigit Deus.* Philo 2 Alleg. p. 67. B. ἐὰν δὲ ἀνατείλῃ ὁ ἥλιος, τουτέστιν ὁ φαινόμενος λαμπρὸς νοῦς ἐν ἡμῖν, καὶ δόξῃ πάντα διορᾶν καὶ πάντα βραβεύειν, *quum vero sol ortus fuerit, hoc est, clarus intellectus qui nobis inest, ut videatur omnia perspicere et ordinare.* εἰς ἣν καὶ ἐκλήθητε, *ad quam etiam vocati,* Christiani

facti estis. Per institutionem christianam edocti estis, concordiae esse studendum. ἐν ἑνὶ σώματι) i. e. εἰς ἓν σῶμα, ut unum essetis corpus: quod nisi per pacem fieri non potest, 1 Cor. X, 17. καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε) Plerique vertunt: *Grati estote, gratias agite.* Sed propter contextum praeferenda est alia vocis εὐχάριστος notio. Significat nempe haec vox saepe hominem *comem, liberalem, beneficum.* Sic Prov. XI, 16. occurrit; Γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν, *mulier gratiosa et comis parit marito gloriam*, ubi in Hebraeo est אֵשֶׁת חֵן. *Diodor. Sic.* Biblioth. XVIII. οἱ μὲν γὰρ ἄνθρωποι διὰ τὸ τῆς ψυχῆς εὐχάριστον καὶ μεγαλόψυχον συνέτρεχον πάντοθεν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. *Homines enim propter liberalitatem naturae eius et magnificentiam undique Alexandriam confluebant.* Commendat igitur Paulus *comitatem* et officiositatem, quae multum facit ad conservandam concordiam, de qua in verbis praecedentibus est sermo.

16. Ὁ λόγος — πλουσίως) *Doctrina Christi frequenter et copiose inter vos sit,* in vobis operetur. Quod ut fiat, necesse est, homines saepe de ea cogitent, eam sibi invicem explicent, seque adhortentur ad vitam illi convenienter instituendam. Quod quo saepius fit, eo maiorem vim doctrina christiana in hominibus potest exercere, eo meliores gignere fructus. Ἐν ὑμῖν *inter vos*, in coetu vestro. Habitat autem (ἐνοίκει) doctrina Christi in coetu christiano, quando ea copiose, omni tempore et loco docetur, sic ut nemini eam discendi desit occasio. Alii: *Doctrina Christi penitus infixa sit mentibus vestris;* nunquam ex animis vestris abeat. Ἐνοικεῖν, ut 2 Tim. I, 5. *Theodo-*

ret: παρακαλεύεται ὁ θεῖος ἀπόστολος, ὥστε ἡμᾶς τὴν τοῦ χριστοῦ διδασκαλίαν ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρειν ἀεί. ἐν πάσῃ σοφίᾳ—ἑαυτούς) Ἐν πάσῃ σοφίᾳ multi referunt ad praecedentia; sed commodius haec verba iunguntur cum sequentibus. Διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες, sc. ἐστε, pro imperativo διδάσκετε. Ἑαυτούς, pro ἀλλήλους. *In omni sapientia*, ita ut et rudiorum et intelligentiorum ratio habeatur, *docete et commonefacite vos invicem.* ψαλμοῖς — τῷ κυρίῳ, sive (ut alii legunt) τῷ θεῷ) *Psalmis, et hymnis et cantionibus christianis iucunde canentes in animis vestris Domino s. Deo.* Nonnulli verba ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς referunt ad νουθετοῦντες, ut sensus sit, commonefacere et excitare ad pietatem se invicem debere Christianos Psalmis, Hymnis et Odis; de quibus Eph. V, 19. Sed commode etiam iungi possunt sequentibus. *Cantiones* πνευματικαὶ, *spirituales*, sunt christianae, quae sensum christianum (πνεῦμα) spirant, quarum argumentum coniunctum est cum doctrina Christi. Ἐν χάριτι, i. e. χαριέντως *amabiliter*, iucunde. Ita laudantes Deum, ut illa laudatio sit ei iucundissima, ei placeat. Ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, non sola voce, sed cum assensu animi. τῷ θεῷ, (sic enim legendum esse videtur pro τῷ κυρίῳ) *in honorem et laudem Dei*, cui debemus quicquid est beneficiorum, quibus fruimur.

17. Καὶ πᾶν ὅ—κυρίου Ἰησοῦ) *Et quicquid agatis vel verbis vel factis, id agite tanquam discipuli Christi.* Propter sequens πάντα posset πᾶν sumi pro Nominativo absolute posito: Quod attinet ad omne, quod feceritis verbis aut factis omnia facite etc. Quicquid

sit, verbum ποιεῖν, עָשָׂה, quod interdum opponitur dictis, hic ita laxe sumitur, ut et dicta comprehendat. Nam et qui dicit, agit aliquid. Ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ, *convenienter voluntati ac doctrinae Iesu Christi, s. tanquam discipuli Christi.* εὐχαριστοῦντες — δι' αὐτοῦ) nempe Χριστοῦ, *propter Christum*, i. e. propter beneficia, quae Christus nobis promeruit.

18. Ὡς ἀνῆκεν ἐν κυρίῳ) Distinguendum ὡς ἀνῆκεν, ut ἐν κυρίῳ sit restrictio illius ὑποτάσσεσθε, qualis Eph. VI, 1. *propter Christum*, eo iubente. ὡς ἀνῆκεν, *ut aequum est*, ut Christianos decet.

19. Καὶ μὴ πικραίνεσθε πρὸς αὐτάς) *Neque acerbe*, aut amarulenter *erga eas vos gerite.* Πικραίνεσθαι metaphorice significat *irasci*, et quod hinc proficisci solet, duriter et crudeliter agere. Philo Vit. Mos. I. p. 648. E. πάνυ πικρανθεὶς καὶ πληρωθεὶς ὀργῆς δικαίας, *admodum exasperatus et ira iusta repletus.* Neque verberibus, neque maledictis exasperandam uxorem, docent Hebraei in *Musar.*

20. Κατὰ πάντα) In omnibus, in quibus vos oportet obsequi. Hoc quoque restringendum, subaudito illo, quod ad Ephesios exprimitur, ἐν κυρίῳ.

21. Μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν) *Ne irritate liberos vestros*, nempe nimis duriter eos tractando. Synonymum τοῦ ἐρεθίζετε est παροργίζετε, Eph. VI, 4. Apud *Epictetum* in Enchirid. c. 21. τὸ ἐρεθίζειν subiungitur verbis λοιδορεῖν, *conviciari*, et τύπτειν, *verberare*, tanquam modis, quibus aliquis possit ἐρεθίζε-

σθαι. Plutarchus *de puerorum educat.* cap. XII. init. pueros ad liberalia studia verbis et adhortationibus, non πληγαῖς, μηδ' ἀλκισμοῖς, *verberibus et contumeliis* adduci iubet. ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν) *Ne animo concidant,* ne animum abiiciant. Si parentes nimis duri sunt in liberos, hi facile animum abiiciunt, nullaque re illis satis fieri putant.

22. Οἱ δοῦλοι — Φοβούμενοι τὸν θεὸν) Idem sensus, et eadem fere verba Eph. VI, 5. 6. Pro τὸν θεὸν legunt τὸν κύριον optimi codices, cum Versionibus et Patribus haud paucis.

23. Καὶ πᾶν—οὐκ ἀνθρώποις) Πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε, sc. *in ministerio vestro.* Ἐκ ψυχῆς, *ex animi sententia,* i. e. lubenter, ὡς τῷ κυρίῳ, καὶ οὐκ-ἀνθρώποις, sc. ποιοῦντες τοῦτο.

24. Εἰδότες — τῆς κληρονομίας) Τῆς κληρονομίας est Genitivus ἐξηγητικὸς. Nam merces est coelestis haereditas, i. e. perpetua possessio. Sensus: *Memores estote, vos praemii loco a Domino felicitatem* (regni coelestis) *esse accepturos.* τῷ — δουλεύετε) Dum officia erga herum peragitis, facitis, quod est in officiis a Christo iniunctis.

25. Ὁ δὲ ἀδικῶν—ἠδίκησε) Ἀδικία saepe est omnis generis *malitia* et improbitas. Sic etiam hic ἀδικεῖν est *male agere.* Κομιεῖται, ὃ ἠδίκησε, metonymice: *Poenas improbitatis feret.*

CAP. IV.

1. Οἱ κύριοι—παρέχετε) *Bonos et aequos erga servos vestros vos gerite.* Hebraeis צְדָקָה et Hellenistis δικαιοσύνη saepe *bonitatem* significat. Ἰσότης vero hic est id, quod Hebraeis כִּשְׁרָה, quod cuique convenit. Exigite operas moderate, victum et vestitum suppeditate etc. εἰδότες) Memores, esse coelestem dominum reverendum; et sperandum ut ipse eos benigne tractet. Ceterum hoc Comma non debebat avelli a cap. praeced.

2. Γρηγοροῦντες — ἐν εὐχαριστίᾳ) *Invigilantes iis* (precibus) *cum gratiarum actione;* semper parati estote ad preces cum gratiarum actione. Γρηγορεῖν saepe de diligenti cura et attentione circa aliquam rem usurpatur. Ἐν εὐχαριστίᾳ, *simul cum gratiarum actione.* Ἐν *pro* σὺν. Coniungi debet grata exacti temporis memoria cum futuri postulatione. Ac si quis saepe cogitet beneficia a Deo accepta, Deumque laudet, non poterit officium precandi negligere.

3. Ἵνα ὁ θεὸς—τοῦ λόγου) *Ut Deus mihi det occasionem docendi Evangelium.* Θύρα, *occasio, opportunitas,* ut 1 Cor. XVI, 9. λαλῆσαι—δέδεμαι) Ulterius explicat, quam intelligat θύραν τοῦ λόγου. Μυστήριον vocatur doctrina Christi, respectu temporum priorum, praecipue autem illa doctrina, non tantum

Iudaeos, sed gentiles etiam ad societatem christianam esse perducendos.

4. Ὡς δεῖ με λαλῆσαι) Quemadmodum muneri meo est conveniens; ea orationis liberalitate animique constantia, qua decet. Grotius: Non tantum ut magnum mihi Deus det auditorium sed et fortitudinem animi, et eloquendi copiam.

5. Ἐν σοφίᾳ—ἔξω) Οἱ ἔξω sunt omnes extra coetum christianum, Iudaei et Ethnici, 1 Cor. V, 12.-13. Cum his vult prudenter vivi, et vitari omnia non necessaria, quae eorum animos possent offendere. Sequentia verba explicavimus Eph. V, 16.

6. Ὁ λόγος—ἀποκρίνεσθαι). *Sermo vester semper sit iucundus, sale quasi conditus, ut sciatis quomodo vos unicuique* (de religione sciscitanti) *respondere oporteat.* Ὁ λόγος ὑμῶν, sc. de christiana veritate et pietate. Pertinet enim hoc ad sapientiam conversandi cum extraneis, v. 5. Ἐν χάριτι, sc. esto; *gratiae sit plenus*, ut placeat aliis propter gratiam et venustatem, quae ei inest; sic ut neminem offendat. Ἅλατι ἠρτυμένος, *sapidus*, sapientiae et prudentiae plenus (Matth. V, 13.), ita ut semper loci, temporum, personarum et rerum habeatis respectum. Hoc statim propriis verbis declaratur. Εἰδέναι, Infinitivus vice Gerundii: *Sciendo, quomodo respondere cuique debeatis*, nempe de fide interrogati et aliis occasionibus. Referenda sunt haec ad iudicia, et consuetudinem cum Iudaeis et profanis gentibus; commendari tamen potest haec virtus unicuique Christiano.

7. Τὰ κατ' ἐμὲ — ἐν κυρίῳ) Eph. VI, 21. Itaque iter Tychicus per Ephesum erat sumturus in Phrygiam. Σύνδουλος ἐν κυρίῳ, laborum socius in tradenda doctrina Christiana.

9. Ὅς ἐστιν ἐξ ὑμῶν) *Qui est popularis vester.* Nempe ex Phrygia. E Phrygia fuisse Onesimum dixit et Theodoretus in illam ad Philemonem. πάντα—ὧδε) Omnia vobis narrabunt, quae in ea urbe, ubi ego vinctus vivo, fiunt.

10. Ἀρίσταρχος) In Macedonia natus, Act. XIX, 29. XX, 4. XXVII, 2. et pridem ad Christum conversus, ut et hic, et in Actis, et Philem. com. 24. apparet. Nomen commune cum multis eruditis in Graecia viris. καὶ Μάρκος ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα) Ἀνεψιὸς notat Phrynichus Atticis dici, qui aliis ἐξάδελφοι, i. e. aut patrueles, aut amitini, aut consobrini; nam his tribus vocibus Graeca illa vox in Glossis vertitur. Marcus iam fortior erat factus post id, quod narratur Act. XV, 39. eoque carus iam Paulo 2 Tim. IV, 11. περὶ οὗ ἐλάβετε ἐντολάς) *Quod hunc* (Marcum) *attinet, accepistis mandata.*

11. Καὶ Ἰησοῦς—ἐκ περιτομῆς) Sc. ἀσπάζεται ὑμᾶς. *Iesus* dicebatur inter Iudaeos; *iustus* inter Romanos. Οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς, genere Iudaei. οὗτοι μόνοι —τοῦ θεοῦ) *Hi soli* (nempe ex Iudaeis) *adiutores mihi in Evangelii praedicatione;* per quod Evangelium Deus in hominibus regnat perfectius, quam per legem. οἵτινες — παρηγορία) Παρηγορία, *solatium, levamentum, auxilium.* Plutarchus de auditione: νόσημα παρηγορίας — δεόμενον, *morbus ope medici indigens.*

12. Ὁ ἐξ ὑμῶν, *popularis vester.* Πάντοτε—ταῖς προσευχαῖς, *qui semper pro vobis preces intentas fundit.* Ἵνα στῆτε—τοῦ θεοῦ) *Ut persistatis perfecti et plene imbuti cognitione voluntatis divinae.* De voce πληροῦσθαι, cf. supra c. I, 9. Alii sensu fere eodem: *Ut persistatis perfecti* et omnibus donis *pleni ad omnia placita Dei implenda.* Τέλειος, cf. 1 Cor. II, 6. Eph. IV, 13. et alia loca. Πεπληρωμένοι, *repleti, pleni,* sc. omnibus donis divinis sufficienter instructi. Ἐν παντὶ θελήματι, i. e. εἰς πᾶν θέλημα.

13. Ὅτι ἔχει ζῆλον πολὺν ὑπὲρ ὑμῶν) Pro ζῆλον πολὺν alii legunt πολὺν πόνον, sensu fere eodem; nam et πόνος est *studium.* καὶ τῶν — ἐν Ἱεραπόλει) Quae utraque urbs in eadem Phrygia. Fuere et aliae urbes dictae Hierapoles, ut in Syria, in Caria.

14. Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς) Multis idem Lucas esse videtur, qui scripsit Evangelium, quem medicum fuisse *Hieronymus* aliique contendunt, propter ipsum hunc locum. Sed, ut recte monet *Heumannus* (in Poecil. Tom. II, p. 519.), si hoc loco innuisset comitem suum, omnibus notum, Lucam Evangelistam, simpliciter vocasset Lucam, uti fecit 2 Tim. IV, 11. At ut significaret, se de alio Luca loqui, discriminis caussa addit ὁ ἰατρός.

15. Καὶ Νυμφᾶν—ἐκκλησίαν) Ecclesiae domesticae mentio etiam Rom. XVI, 5. 1 Cor. XVI, 19.

16. Καὶ ὅταν—ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ) Ἡ ἐπιστολὴ, pro αὕτη ἐπιστολὴ, nam hanc ipsam Epistolam intelli-

git. *Curate, ut etiam in Laodicensium ecclesia legatur*, nempe exemplo eo misso, ut mos erat inter Christianos. καὶ τὴν ἐκ—ἀναγνῶτε) *Et eam, quae ex Laodicea* (ad me) *scripta est, ut legatis.* Non intelligendam esse epistolam a Paulo ad Laodicenses scriptam, monuimus in Prolegomenis. Cf. Michaelis Introduct. §. 185. et Koppii Prolegomena ad Epistolam ad Ephesios. Confinxit antiquitas epistolam Pauli ad Laodicenses, cuius iam meminit Theodoretus. Graece legitur in Fabricii cod. apocr. N. T. Nonnulli intelligunt epistolam Pauli, quae ad Ephesios inscribitur, quam encyclicam fuisse existimant, sed deest nobis lux historiae.

17. Καὶ εἴπατε Ἀρχίππῳ) Qui Evangelistae munus obibat, modo Ephesi, modo aliis in locis docens. Videtur autem postremum Colossis functus esse Episcopi munere. βλέπε — πληροῖς) Hebraismus: pro: βλέπε ἵνα πληροῖς ἐν κυρίῳ τὴν διακονίαν, ἣν παρέλαβες. Potest tamen et metathesis, et pleonasmus vocis αὐτὴν evitari, si βλέπε τὴν διακονίαν vertas: *attende ad munus*, sive *ministerium*. Sic Arrianus *Diss. Epict.* L. III, c. 23. ἀλλ' ἐκεῖνο μᾶλλον ἐβλέπετε, *sed et hoc potius attenderetis.* Πληροῦν, *bene perfungi. Munus implere* pro *satisfacere illi, illo fungi*, Phrasin esse et Graecis usitatam et Latinis, ostendit *Kypke* ad h. l.

18. Ὁ ἀσπασμὸς—Παύλου) Quae hucusque scripta sunt, ea scripta erant scribae manu. Haec vero ad finem usque sua manu scripsit Paulus. Sic 1 Cor. XVI, 21. 2 Thess. III, 17.

19. Μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν) Vos quoque ad mala ferenda parati este, et amate eum, qui gentium caussa haec mala sustinet. ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν) *Gratia*, nempe *Christi*, quod alibi additur; quanquam Latinus etiam addit: *Domini nostri.*

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM I. AD THESSALONICENSES.

Thessalonica, olim quidem Θέρμη (Therma) dicta, Pauli tempore fuit metropolis Macedoniae sub Romanorum imperio, praesidis Romani et quaestoris sedes. Incolebant hanc urbem praeter Graecos et Romanos, multi Iudaei, ubi etiam habebant Synagogam valde celebrem, Act. XVII, 1. Quum Paulus, Philippis eiectus (Act. XVI.) in hanc urbem venisset, persuasit doctrinam suam paucis Iudaeis, pluribus Graecis σεβομένοις, (unum quidem Deum colentibus, non vero circumcisis,) et matronis haud paucis, Act. XVII, 4. Plurima itaque pars coetus christiani constabat hominibus, nativitate Ethnicis, 1 Thess. I, 9. Iudaei vero tantos ciebant motus, ut Apostolus, peracto trium hebdomadum spatio, cum Sila exire ex urbe et Beroeam confugere cogeretur v. 10. Mox autem Paulus relictis Beroeae Sila et Timotheo, quos tamen brevi ad se redituros sperabat, pervenit Athenas. Quum vero illi diutius cunctarentur, abiit Corinthum, ubi quum esset, redierunt denique Timotheus et Silas quos iam expectaverat Athenis, Act. XVIII, 5. coll. 1 Thess. III, 6.

Corinthi degit Paulus per annum et sex menses, et eo ipso tempore, a. Chr. circiter 54. videtur scripta esse prior ad Thessalonicenses Epistola; quod vel exinde patet, quod Timotheus tum, quum haec scriberet Apostolus, nuper ad eum rediisse dicatur, 1 Thess. III, 6., ut igitur falsa sit subscriptio, Athenis scriptam esse perhibens.

Quo tempore et loco altera ad Thessalonicenses epistola sit scripta, certo definiri haud potest; scriptam tamen esse post illam, quae nobis prior dicitur, non ante eam, ut Grotius voluit, res ipsa ostendit, quum posterior haec epistola clarissima vestigia litterarum, ab Apostolo post discessum a Thessalonicensibus ad eosdem perscriptarum, continere videatur. Num vero brevi, an multo tempore post illam priorem, num Corinthi, an post discessum a Corinthiis scripta fuerit, non constat.

De prioris Epistolae argumento is demum recte iudicare potest, qui cum ea historiam Act. XVII, diligenter contulerit. Ceterum partes eius, praeter exordium et epilogum *duae* constitui possunt. *Prima* partim laudationes, partim historicas narrationes complectitur; in quibus tamen obliquae hortationes ad constantiam in fide christiana excitantes, passim delitescunt. c. I. II. III. *Altera* pars tota est *νουθετική*, i. e. praecepta et admonitiones ad piam sanctamque vitam continet, c. IV. V. Huic parti secundae per quandam *παρέκβασιν* insertae sunt doctrinae fidei, quae contra dubitationes nonnullorum accurate exponuntur et vindicantur. Primarius igitur scopus Apostoli est,

partim Thessalonicenses ad perseverantiam in christiana religione excitare, partim ad vitam vere sanctam et professione nostra dignam eosdem exhortari.

CAP. I.

1. Παῦλος—Τιμόθεος) *Silvanus* idem est, qui et *Silas* dicitur, comes itinerum Pauli per Asiam minorem et Graeciam, inde ab itinere Hierosolymitano Act. XV, commemorato. Cf. Act. XV, 22. XVI, 19. XVII, 1. 10. Hunc et Timotheum Paulus sibi in Macedoniam assumserat. Et ideo hic eorum nomina addidit, quod iam noti essent illis Thessalonicensium, qui ex gentibus erant conversi, Pauli opera. τῇ ἐκκλησίᾳ—Ἰησοῦ Χριστῷ) Subintelligendum hic esse aliquid, clarum est. Ἐν potest significare *per*, ut sensus sit: *Coetui christiano Thessalonicensium, qui per Deum Patrem et Dominum I. Ch. perductus est ad fidem.* Potest etiam suppleri οὔσῃ, *qui coetus iunctus est Deo Patri et Domino I. Ch.*, ut ἐν Χριστῷ εἶναι. Utrum eligas, perinde est.

2. Εὐχαριστοῦμεν—προσευχῶν ἡμῶν) Eadem fere formula utitur Apostolus Rom. I, 8. 9. Eph. I, 16. Philem. v. 4. Πάντοτε, sicuti ἀδιαλείπτως v. 3. ex populari loquendi usu pro πολλάκις.

3. Ἀδιαλείπτως—καὶ πατρὶ ἡμῶν) *Perpetuo enim in memoriam revocamus nobis vestrum religionis studium, assiduitatem declarandi vestrum erga alios amorem et constantem spem, quam collocatis in*

Domino nostro Iesu Christo, sinceram. Μνημονεύοντες, pro μνημονεύομεν γὰρ. Ἔργον τῆς πίστεως h. l. idem esse videtur, quod πίστις, ut Rom. II, 15. ἔργον τοῦ νόμου simpliciter est νόμος, et Ephes. IV, 12. ἔργον διακονίας est διακονία. Vel. ἔργον τῆς πίστεως est *occupatio religionis*, i. e. studium quod aliquis impendit religioni. Ὁ κόπος τῆς ἀγάπης, benevolentia erga alios, quae omnis generis molestias libenter suscipit, ut aliis possit prodesse. Nam κόπος h. l. est *opera, quae impenditur alicui negotio, studium, ardor.* Ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος, pro ἐλπὶς ὑπομένουσα, *spes perdurans atque constans.* Ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν Syru connectit cum μνημονεύοντες, non male. Referri tamen possunt haec verba etiam ad illas virtutes, quas modo commemoraverat, ut Paulus eas significet esse veras atque sinceras, nam Hebraico loquendi more *coram Domino* fieri dicitur, quod fit sincere atque diligenter. Vid. Gen. VII, 1. X, 9. seqq. et cf. *Vorstium* de Hebraism. N. T. c. 17. pag. 399. et 463. edit. Fisch.

4. Εἰδότες — τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν) *Ut qui sciamus, fratres a Deo dilecti, quomodo perducti sitis ad religionem christianam*, proprie: *electionem vestram.* Τὸ εἰδότες *Erasmus*, quem alii secuti sunt, referri maluit ad *Thessalonicenses*, qui ipsi cognitum habeant, quod a Deo sint electi. Tum sensus esset: *Meministis enim ipsi, fratres a Deo dilecti, quam insigni Dei beneficio ad religionem Christi adducti sitis.* Ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ sunt iungenda, ut 2 Thess. II, 15. Col. III, 12. Alii distingunt post ἠγα-

πημένοι, et post verba ὑπὸ Θεοῦ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν, supplent εἶναι, ut sensus sit: *Scimus, electionem vestram esse a Deo.* Ἐκλέγεσθαι, cum derivatis ἐκλογὴ, ἐκλεκτὸς, exprimit insignem quendam erga certos homines amorem, praecipue autem illud beneficium, quo homines ad religionem Christi, atque cum ea coniunctam felicitatem a Deo adducuntur, Eph. I, 4. Sic etiam vocibus בָּחַר et בָּחִיר exprimi solet Hebraeorum dignitas, qua erant populus Dei. Ies. XLIV, 1. 2. Ps. CV, 6. Posset etiam ob sequentia hic sensus constitui: *Meministis, qua ratione perducti sitis ad Christi religionem;* i. e. quibus argumentis persuasi, ad hanc felicitatem perveneritis, quod nunc estis Christiani.

5. Ὅτι τὸ εὐαγγέλιον — πληροφορίᾳ πολλῇ) *Nam doctrinam nostram persuasimus vobis non tantum institutione, sed etiam demonstratione insignis vis divinae, et multis firmissimis argumentis.* Εἰς ὑμᾶς, pro ἐν ὑμῖν, vel potius simpliciter pro ὑμῖν, Hebr. לכם. Λόγος, *institutio, quae fit ore.* Δύναμις καὶ πνεῦμα ἅγιον, *vis et spiritus sanctus*, i. e. dotes divinae, quae se exserebant in Paulo dum ea docuit, quae ab hominibus excogitari non poterant. Vide notata ad Act. X, 38. Alii ἐν δυνάμει vertunt: *miraculis patrandis;* sed miracula Paulus Thessalonicae non videtur patrasse. Lege historiam Act. XVII. Πληροφορία Hesych. βεβαίωσις, *confirmatio*, argumentorum pondus, Phil. I, 7. *certitudo.* καθὼς οἴδατε — δι' ὑμᾶς) *Scitis ipsi, qualis fuerimus inter vos*, quae fata mea fuerint apud vos, *idque vestri caussa*, ut nimirum vos ad religionem perduceremus.

6. Καὶ ὑμεῖς—πνεύματος ἁγίου) *Vos autem imitati estis nos et Dominum in eo, quod recepistis hanc doctrinam inter calamitates multas, lubentissime.* Respicit Paulus ad calamitates, quas magna cum animi constantia, et in Deum fiducia pertulerant Thessalonicenses, Act. XVII, 5. 9. In eo, quod mala perpessi sunt, imitati sunt non tantum Apostolum, sed et ipsum Christum, qui a populo suo gravissime vexatus, omnes iniurias sibi illatas fortiter pertulit. Sic Thessalonicenses statim post susceptam Evangelii doctrinam a popularibus suis persecutiones sustinuerunt. Μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου, *cum gaudio magno*, cum laetitia quae esset a Spiritu s. effecta, sive nata ex Evangelio, quod Paulus Thessalonicensibus tradidisset.

7. Ὥστε—τῇ Ἀχαΐᾳ) *Ita ut exemplar facti fueritis omnibus Christianis in Macedonia et Achaia.* Τύπος, *exemplar*, quod alii sequantur. Exemplum exhibuistis, quod alii imitari debent. Οἱ πιστεύοντες, *Christiani.*

8. Ἀφ' ὑμῶν γὰρ — ἐξελήλυθεν) *Ex vobis enim non tantum doctrina christiana dimanavit in Macedoniam et Achaiam, sed et ubique locorum percrebuit fama de fide vestra erga Deum.* In prioribus verbis est transpositio. Recta constructio fuerat: οὐ μόνον ὁ λόγος τοῦ κυρίου ἀφ' ὑμῶν ἐξήχηται ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ. Οὐ μόνον non ad ἐν τῇ Μακεδ., sed ad verbum ἐξήχηται referendum est. Ἡ πίστις autem est pro ἡ φήμη τῆς πίστεως. Multi ex Thessalonica mercatores per Graeciam omnem negotiabantur. Per hos fama de religione Thessaloni-

censium latius sparsa est. Ἐξήχηται ὁ λόγος, *doctrina Christi personuit*, i. e. libere et palam tradita est. Exemplum vestrum incitavit Macedones et Achaeos, ut et ipsi religionem susciperent. *Storrio* ἀπὸ in verbis ἀφ' ὑμῶν videtur esse index *caussae efficientis*, ut percrebesceret doctrina Christi in Macedonia et Achaia. Hanc vim habet praepositio ἀπὸ 2 Cor. II, 3. III, 5. Luc. XXI, 30. et aliis locis. Nimirum Christiani Thessalonicenses servando Paulo et Sila effecerunt, ut aliis etiam Graeciae incolis tradi posset doctrina Christi (Act. XVII, 5—10); neque vero tantum (οὐ μόνον) hac alacritate sua audendi aliquid et patiendi propter Evangelium, in Macedonia et Achaia doctrinam Domini adiuverunt, sed exemplo etiam fidei evangelio ab ipsis tributae, quae ubivis locorum celebrabatur. Ἐν παντὶ τόπῳ, populariter dictum, pro: *quocunque tandem venerim.* ὥστε μὴ — λαλεῖν τι) Nihil opus est, me praedicare, quales erga Evangelium fueritis. Res nota iam est omnibus.

9. Αὐτοὶ γάρ—πρὸς ὑμᾶς) *Ipsi enim narrant qualis fuerit successus muneris nostri apud vos.* Αὐτοί, i. e. qui in omnibus sunt locis; quamquam enim id nomen non praecessit, tamen ex illo ἐν παντὶ τόπῳ satis intelligitur. Est constructio κατὰ τὸ σημαινόμενον. Εἴσοδος, *ingressus;* h. l. est successus muneris Apostolici apud Thessalonicenses. καὶ πῶς—ἀληθινῷ) Ἐπεστρέψατε hic habet vim reciproci, Luc. XVII, 4. Act. III, 19. Alloquitnr eos, qui ex gentibus erant. Ἐπιστρέφεσθαι πρὸς τὸν θεὸν h. l. est transire a paganismo ad christianismum, mutare de religione persuasionem vel religionis professionem. Δουλεύειν,

(pro εἰς τὸ δουλεύειν) τῷ θεῷ, *colere Deum, parere Deo.* Θεὸς ζῶν, אֵל חַי, opponitur *idolis vita destitutis.* Θεὸς ἀληθινὸς, *Deus verus*, opponitur fictis illis, quales Neptunus, Iupiter etc.

10. Καὶ ἀναμένειν — Ἰησοῦν) Transpositio, pro: Ἰησοῦν, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν. Adduntur haec, ut indicetur, Thessalonicenses firmiter persuasos esse de veritate religionis. τὸν ῥυόμενον — ἐρχομένης) *Qui liberabit nos a poenis, quae improbis infligentur.* Et hic praesens pro futuro bis: ῥυόμενον, pro ῥυσόμενον, deinde ἐρχομένης, pro *venturae.* Ὀργὴ hic, ut saepius poenam significat.

CAP. II.

1. Αὐτοὶ — κενὴ γέγονεν) *Ipsi scitis, nos non vano consilio ad vos venisse.* Γὰρ h. l. est particula transeundi. Τὴν εἴσοδον — γέγονεν, pro: ὅτι ἡ εἴσοδος ἡμῶν, ἡ πρὸς ὑμᾶς οὐ κενὴ γέγονεν. Κενὸν, רִיק, μάταιον, *vanum.* Non vani honoris vel opum acquirendarum studio ad vos venimus, ego, Silas et Thimotheus, quos etiam in docendi munere sibi adiungit Paulus, ut 2 Cor. I, 19. Alii: *Meum ad vos aditum minime fructu caruisse;* nam κενὸν significat etiam *inutile*, quod fructu caret. Sed propter sequentia prior explicatio praeferenda esse videtur.

2. Ἀλλὰ, προπαθόντες — ἐν πολλῷ ἀγῶνι) *Immo vero, quum paullo ante Philippis gravissimas iniurias et contumelias perpessi essemus, sicut nostis,*

tamen Deo nostro confisi liberé docuimus vos religionem divinam, in magnis periculis. Paulus et Silas virgis caesi, et in carcerem coniecti fuerant Philippis, Act. XVI, 22. sqq. Ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν, *Deo nostro confisi;* vel etiam: *Deo iuvante.* Ἐπαῤῥησιασάμεθα λαλῆσαι, *libere docuimus.* Ἀγών, metonymice est *periculum.* Sic et Graeci dicunt: ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει, *in periculo non est cunctandum.* Cf. Col. I, 29.

3. Ἡ γὰρ παράκλησις — ἐν δόλῳ) *In religione instituimus vos, nec errore decepti, nec ex improbis consiliis, nec fraude habita.* Ἡ παράκλησις ἡμῶν οὐκ sc. γέγονε hebraica constructione, pro: οὐ γὰρ ἡμεῖς παρεκαλοῦμεν ὑμᾶς. Παρακαλεῖν autem est *docere,* et παράκλησις *doctrina,* quo sensu ap. Philonem occurrit. Vid. Loesn. ad h. l. Πλάνη, *error,* quo decipimur ipsi. Ἐξ ἀκαθαρσίας, *consiliis improbis.* e. g. ut opes corraderemus, gratiam hominum captaremus etc. Ἀκαθαρσία saepissime de *qualibet animi morumque pravitate* dicitur, infra IV, 7. cf. Ezech. XXXIX, 24. Εἶναι ἐν δόλῳ, *cum fraude,* malis artibus, *coniunctum esse.*

4. Ἀλλὰ, καθὼς — λαλοῦμεν) *Sed ita docemus Evangelium, sicut Deus pro suo in nos favore nobis id commisit;* vel: *Sicut dignus a Deo iudicatus sum, cui committeret munus tradendi Evangelium, sic doceo.* Nihil adulteramus. Nihil tradimus, nisi quod vere divinitus edocti sumus, nec malis artibus utimur, sed tantum voluntati divinae obsequimur. Constructio planior esset: ἐδοκίμασε ἡμᾶς ὁ θεὸς, ὥστε πι-

στεύειν ἡμῖν τὸ εὐαγγέλιον. οὐχ ὡς — τὰς καρδίας ἡμῶν) *Non hominum gratiam inituri, sed Dei, animum nostrum explorantis*, et intime cognoscentis. Ἀρέσκοντες, pro ζητοῦντες ἀρέσκειν. Animorum humanorum scrutator saepissime vocatur Deus in V. et N. T.

5 Οὔτε γάρ ποτε — πλεονεξίας) *Nunquam enim vel adulatores fuimus, ut scitis, vel lucri caussa inter vos versati sumus.* Λόγος κολακείας est ipsa κολακεία, quemadmodum λόγος πορνείας Matth. V, 28. ipsa πορνεία. Recte tamen vertitur etiam: *sermo adulatorius.* Vox πρόφασις abundat, nec est necessarium, ut accipiatur de avaritiae accusatione, quam fortasse Apostolus effugere propter quorundam malevolentiam non potuit. Sic νόσου πρόφασις pro ipso morbo haud raro occurrit, ut Loesnerus docet.

6. Οὔτε ζητοῦντες — ἄλλων) Participium pro tempore finito ἐζητήσαμεν. *Neque laudem et gloriam apud quemquam hominum unquam captavimus.*

7. Δυνάμενοι — ἀπόστολοι) Editiones plures haec verba referunt ad v. 6. eaque ita exponunt: *quum possemus in summo honore et auctoritate esse, utpote Christi Apostoli*, ut τὸ βάρος idem sit, quod δόξα, τιμὴ et ἀξίωμα, et respondeat Hebraeo כָּבוֹד, quod ratione originis ex כָּבֵד, *pondus* et gravitatem infert, quamvis usu obtinuerit, ut Hebraei per hanc vocem omnem rei alicuius praestantiam et eminentiam expresserint, atque adeo de *gloria* seu δόξα adhibuerint. Ex hac interpretatione verba nostra cohaerent cum praecedentibus sic: *Non quaesivimus ex hominibus* —

gloriam, quamvis possemus in summo honore esse etc. Alii ab his verbis comma 7. inchoant, illisque iungunt proxime sequentia: ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν. Atque his Paulus τῷ βάρει opponere videtur τὴν ἠπιότητα, hoc sensu: *Licet potuissemus vobis onerosi esse, tanquam Apostoli Christi, fuimus tamen placidi inter vos.* Ἐν βάρει εἶναι, sc. ὑμῖν, idem quod βαρὺν εἶναι, ἐπιβαρεῖν, v. 9. cf. v. 5. *Potuissemus vobis* in onere, i. e. *molesti esse*, quum nempe ius haberemus vivendi vestro sumtu. Qui id non facit, dicitur se servare ἀβαρῆ, 2 Cor. XI, 9. Cf. v. 9. huius nostri capitis. ἀλλ' ἐγενήθημεν — τὰ ἑαυτῆς τέκνα) *Benigni admodum fuimus erga vos, sicut nutrix mater tenerrimo amore prosequitur liberos suos.* Ἀλλὰ hic abundat, more hebraeo. Ἤπιος, *benignus, mitis, lenis*, proprie de parentibus usurpatur, qui lenes et benigni sunt erga liberos. Homer. Odyss. β. 47. πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. Τροφὸς, *nutrix*, eademque h. l. mater. Sic Gen. XXIV, 59. Aquila τιτθὴ. Symmachus τροφὸς habet pro Hebraico מֵנֶקֶת. Mulieres autem alumnos tenerrimo amore complecti solent, quare de iis h. l. exemplum adhibetur. Θάλπειν, proprie est *calefacere*, proprie de avibus ovis incubantibus; unde eleganter ad omnem nutriendi, fovendi, educandique curam transfertur, quam matres, aut nutrices infantibus adhibent. Neque minus eleganter apud eundem Iosephum L. IV. de B. I. c. III. §. 14. θαλπόμενοι ἐλπίδι dicuntur, *qui spe aluntur et sustentantur.*

8. Οὕτως ἱμειρόμενοι — ψυχὰς) *Sic amore vestri flagrantes, lubenter vobis non tantum divinam do-*

ctrinam tradidimus, sed etiam ad vitam impendendam parati fuimus. Verbum *ἱμείρεσθαι* proprie significat, *desiderio alicuius flagrare*, deinde simpliciter *amare.* Iulius Pollux L. V. c. 47. dicit: *τὸ ἱμείρω ποιητικόν.* Occurrit tamen etiam apud Prosaicos. Sic Aelian. hist. animal. L. XIV, c. 25. *ὧν ἱμείρει, τούτοις ἐντυχὼν ἀθρόοις, iis, quae cupit, abunde obviam factis.* Hesych. *ἱμείρεται, ἐρᾷ.* *Εὐδοκεῖν*, cum infinit. constructum, est: *lubenter aliquid facere, promptum esse ad aliquid*, Rom. XV, 26. 2 Cor. V, 8. *Τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς*, per *σύλληψιν*, nam *παραδοῦναι* de Evangelio proprie dicitur; de *vita* per Metonymiam quandam.

9. *Μνημονεύετε — τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ*) *Κόπος* et *μόχθος* sunt Synonyma. *Νυκτὸς καὶ ἡμέρας*, populariter dictum, pro: *assidue, studio indefesso.* *Ἐργάζεσθαι, opus facere, arbeiten*, manuum labore victum sibi parare. *Ἐπιβαρῆσαι* cf. supra v. 7. 2 Cor. XII, 16. *Εἰς ὑμᾶς*, pro *ὑμῖν.*

10. *Ὑμεῖς μάρτυρες — ἐγενήθημεν*) *Versati sumus*, ut v. 5. 7. *Ὁσίως* vulgo ad Deum referunt; *δικαίως*, ad actiones, quae ad societatem pertinent, *ἀμέμπτως* ad ea, quae seorsim quemque spectant. Sed videntur esse Synonyma, ad vim orationis augendam invicem iuncta.

11. *Παρακαλοῦντες — παραμυθούμενοι*) Sc. *ἐσμὲν*, vel pro: *παρεκαλέσαμεν καὶ παρεμυθησάμεθα.* Hoc idem valet de Participio *μαρτυρούμενοι*, v. 12. *Wolfius* tamen in Curis ad h. l. rectius, ut mihi vide-

tur, verbum ἐγενήθημεν ex v. 10. repetendum esse putat, hoc modo: καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ ἐγενήθημεν παρακαλοῦντες ὑμᾶς etc. Παραμυθεῖσθαι, quod proprie est *verba facere ad aliquem* h. l. est *excitare verbis, cohortari, admonere*, ut apud *Xenoph.* de Venat. VI, 25. Interdum etiam *suadere, consiliis iuvare* notat, v. c. apud *Homerum*, Iliad. Θ, v. 417. et 680. *Hesych.* παραμυθήσασθαι, συμβουλεῦσαι. Inest igitur verbis παρακαλοῦντες, παραμυθούμενοι, et μαρτυρούμενοι (v. 12.) vis *cohortandi, admonendi*, cohaerentque omnia sequentibus εἰς τὸ περιπατῆσαι.

12. Καὶ μαρτυρούμενοι — καὶ δόξαν) Μαρτυρεῖσθαι, hebr. הָעִיד, *obtestari aliquem*, i. e. *vehementius rogare et cohortari*, Deut. XXXII, 46. Περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ θεοῦ, *vitam agere Deo probatam.* Βασιλεία καὶ δόξα, Hendyad. pro βασιλεία ἔνδοξος, *regnum gloriosum, felicitatis plenum.*

13. Ὅτι παραλαβόντες — τοῖς πιστεύουσιν) *Quod doctrinam divinam a me vobis traditam admisistis* (assensu vestro approbastis), *non ut humanam, sed (ut revera est,) ut doctrinam divinam, quae etiam vim suam exserit inter vos credentes*, i. e. inter vos, quum ei fidem habeatis. In verbis: λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ, est traiectio, pro: λόγον ἀκοῆς τοῦ θεοῦ. Λόγος ἀκοῆς, *doctrina audita*, simpliciter est pro λόγος, vel ἀκοή, alterutro redundante. Παραλαμβάνειν, *discere, edoceri.* Δέχεσθαι, *admittere, approbare.* Herodot. Lib. II. ἐδέχοντο τοὺς λόγους, *admiserunt orationem*, h. e. *assenserunt petitioni.*

Ὃς alii ad θεοῦ, alii ad λόγον referunt, sensu fere eodem. Ἐνεργεῖσθαι active accipiendum, *agere, operari*, Eph. III, 20. Col. V, 6. Rom. VII, 5.

14. Ὑμεῖς γὰρ — Χριστῷ Ἰησοῦ) *Vos enim, fratres, imitatores fuistis ecclesiarum Dei, quae in Iudaea ad religionem christianam accesserunt.* Cf. c. 1, 1. Coetus Christianorum Iudaicī, s. Palaestinenses, Iudaeorum odia magis experti sunt, quam ecclesiae regionum ceterarum Asiaticarum et Europaearum; nam Iudaei praecipue erant ii, qui Christianos persequebantur. ὅτι τὰ αὐτὰ — συμφυλετῶν) *Quoniam eadem perpessi estis etiam vos a vestris popularibus, qualia et illi a Iudaeis.* Συμφυλεται, *populares*, ὁμόεθνοι, ut Hesychius interpretatur. Graeci φῦλα dicunt pro ἔθνη. *Populares* intellige a Iudaeis concitatos magistratus, et plebem Thessalonicensium ethnicam, ut ex opposito Ἰουδαίων apparet.

15. Καὶ θεῷ — ἐναντίων) *Qui Deo sunt invisi, atque erga homines omnes infesti.* Οἱ θεῷ μὴ ἀρέσκοντες, sunt θεοστυγεῖς, quomodo eos *Iosephus* in horum temporum historia appellat. Potest etiam ἀρέσκειν accipi pro ζητεῖν ἀρέσκειν, ut supra v. 4. *Non solliciti ut Deo probentur.* De hostili Iudaeorum adversus omnes alios homines odio vid. Tacit. Hist. V, 5. Philostr. Apollon. L. V, cap. 33. et Iuvenal. Satyr. XIV, 103. 104.

16. Κωλυόντων — σωθῶσιν) Τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι, i. e. τὰ ἔθνη διδάσκειν. εἰς τὸ — πάντοτε) *Ut peccatis suis cumulum addant.* Hoc nempe restabat

ut mensuram facinorum suorum implerent. Εἰς τὸ, ut saepe ἵνα, est ἐκβατικὸν. Ἀναπληροῦν τὰς ἁμαρτίας, pro πληροῦν μέτρον ἁμαρτιῶν, Matth. XXIII, 32. cf. Gen. XV, 16. Opinio erat apud Iudaeos, unumquemque hominum Deo permittente certum quendam peccatorum numerum implere posse, quo confecto tandem Deus puniat, sed intra hunc numerum Deum esse semper benignum. ἔφθασε — εἰς τέλος) *Enimvero prope est ipsorum poena gravissima*, excidium nempe gentis, futuri iudicii imago. Ἔφθασε sensum habet futuri: *mox perveniet ad eos poena.* Ἡ ὀργὴ εἰς τέλος, *poena gravissima*, עַר פלָה, Dan. IX, 27. Possumus etiam vertere: *Poena ad extremum ingruet in eos.* Φθάνειν hic non est *praecurrere*, sed *venire*, et φθάνειν ἐπί τινα, *venire ad aliquem*, ut Matth. XII, 28. Εἰς τέλος, *ad extremum, tandem, aliquando.*

17. Ἡμεῖς δὲ — καιρὸν ὥρας) *Erepti vobis* (ut pater filiolis) *ad breve tempus.* Parentes dicuntur ἀπορφανίζεσθαι, quum liberorum amplexibus eripiuntur. Paulus vero supra v. 7. et 11. cum nutrice se comparaverat et patre. Πρὸς καιρὸν ὥρας, idem quod πρὸς ὥραν, πρὸς καιρὸν, *ad tempus.* Theodoret.: πρὸς ὀλίγον. περισσοτέρως — ἐπιθυμίᾳ) Construe: περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ etc. pro ἐκτενῶς ἐπεθυμήσαμεν καὶ ἐσπουδάσαμεν, *summo studio flagravimus vos videre.*

18. Διὸ ἠθελήσαμεν — καὶ δὶς) *Plus una vice, saepius*, פעם ושתים Nehem. XIII, 20. Philip. IV, 16. Ἐγὼ μὲν Παῦλος. Hoc ideo addit, quod sciret,

Timotheum et Silam constituisse *semel*, proficisci ad Thessalonicenses. De se autem dicit, plus una vice sibi id fuisse propositum. *καὶ ἐνέκοψεν ἡμῶν ὁ Σατανᾶς*) Καὶ, hebr. ו, *sed, enimvero.* Ὁ Σατανᾶς, hebr. שָׂטָן, cum terminatione Syriaca, *quilibet adversarius*, 1 Reg. XI, 14. 25.; deinde vero *κατ' ἐξοχήν princeps daemonum improborum.* Quicquid religioni, virtuti et felicitati adversatur, id ad malignos spiritus, vel ad eorum principem refertur. 1 Cor. VII, 5. Eph. II, 2. Apocal. XX, 3. 7. 8.

19. Τίς γὰρ ἡμῶν — αὐτοῦ παρουσίᾳ) Construi haec sic debent: *τίς γὰρ ἡμῖν ἐλπὶς, ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, οὐχὶ καὶ ὑμεῖς*; Quid est, unde praemium sperabo, vere gaudebo, quo ornabor, stans coram Christo in eius adventu? Nonne inter alios et vos id estis? Στέφανος καυχήσεως, i. e. *στέφανος, ἐν ᾧ καυχήσομαι.* Corona est honoris signum. Dicit igitur Apostolus, Thessalonicenses maximo sibi fore honori die extremo. Καὶ ὑμεῖς, *etiam vos,* inter ceteros Christianos, vestri similes constantia et virtute. Παρουσίαν Ἰησοῦ h. l. esse adventum Iesu *extremum*, nemo non videt.

20. Ὑμεῖς γὰρ — ἡ χαρά) *Vos mihi affertis honorem et gaudium*, qui me doctore ad religionem veram et omnium virtutum studium perducti estis.

CAP. III.

1. Διὸ μηκέτι — στέγοντες) *Quapropter diutius sustinere non potui*, me nempe ignarum esse rerum vestrarum. Στέγειν, *tegere*, *capere*, *portare*, h. l. autem, ut 1 Cor. IX, 12. significat *ferre*, *sustinere*. εὐδοκήσαμεν — μόνοι) *Malui solus manere Athenis*. De hac constructione vide supra II, 8. Triste hoc, sed tamen hoc libenter feci, vestri caussa.

2. Τὸν ἀδελφὸν — τοῦ Χριστοῦ) *Collegam meum, Dei ministrum, mihique adiutorem inprimis carum in tradenda religione christiana*. Ἀδελφὸν vocat Timotheum, amoris significandi caussa. Διάκονος θεοῦ, quivis religionis minister, et tribuitur hoc nomen ipsis etiam Apostolis, 1 Cor. III, 5. εἰς τὸ στηρίξαι — τῆς πίστεως ὑμῶν) *Ut firmaret vos, ac de fide vestra admoneret*, de variis fidei capitibus edoceret, ad obsequium erga religionem christianam vos cohortaretur; vel: vos *consolaretur*. Nam παρακαλεῖν interdum etiam *consolari* significat.

3. Τῷ μηδένα — ταύταις) *Ut nemo perturbetur per has calamitates*. Τῷ, pro εἰς τὸ, utroque enim modo vertitur ל hebraeum. Σαίνειν proprie de motu caudae in canibus dicitur, indeque ad *adulationem* transfertur, quam significationem nonnulli hic retinent. Sed σαίνεσθαι usurpari etiam de *commotionibus* animi *tristioribus*, dubio caret; et hanc significationem h. l. adiecta verba ἐν ταῖς θλίψεσι suadent.

Apud Diogenem Laertium L. VIII, c. 1. §. 21. Pythagoras squalidus et macie confectus ab inferis rediisse, et quae ibi sibi evenissent, concioni narrasse dicitur, adiectis verbis: *οἱ δὲ σαινόμενοι τοῖς λεγομένοις, ἐδάκρυόν τε καὶ ὤμοζον, illi vero per haec verba consternati, in lacrymas et gemitus erumpebant.* *Ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις*, ad calamitates referendum est, quas et Apostolus et Thessalonicenses perferebant. *ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα*) *Nam ad hoc destinati sumus.* Est formula vitae communis, qua significatur, hoc vel illud evenire, dirigente providentia. *Sic fert sors nostra.* Luc. II, 34. Loquitur Paulus de se et Thessalonicensibus.

4. *Καὶ γὰρ — καὶ οἴδατε*) Πρός hic est *apud*, ut Io. I, 1. Quum dicit *μέλλομεν*, ostendit, praedicta a se mala tum quae sibi, tum quae Thessalonicensibus erant eventura, ut minus commoverentur re praemeditata. Io. XIII, 19. Act. XIV, 22.

5. *Μήπως — πειράζων*) Ante *μήπως* subintellige *Φοβούμενος*, metuens. *Ὁ πειράζων*, Participium pro verbali, *ὁ πειραστής*, hebr. מְנַסֶּה, nomen proprium Satanae, Matth. IV, 1. 3. 1 Cor. VII, 5. *Πειράζειν*, *ad peccandum sollicitare*, h. l. ita sumitur, ut effectum destinatum tentatori includat. Defectio inprimis a religione ad Satanam refertur. Cf. ad c. II, 8. *Καὶ εἰς — ἡμῶν*) Ita ut labor noster in vobis instituendis in vanum ceciderit, fructu caruerit. *Εἰς κενὸν*, לריק.

6. *Ἄρτι δὲ — ἀφ' ὑμῶν*) *Quum vero iam a vobis ad nos redierit Timotheus.* *Ἄρτι*, *iam*, *nunc*,

ut Matth. IX, 18. καὶ εὐαγγελισαμένου — ἀγάπην ὑμῶν) *Et laetum nuncium de vestra fide et benevolentia nobis attulerit.* Εὐαγγελίζεσθαι h. l. sumitur in communiore significatu, qui respondet Hebraeo בְּשַׂר, *laetum nuntium afferre.* ὅτι ἔχετε — πάντοτε) *Vos semper adhuc mei esse memores in bonam partem.*

7. Διὰ τοῦτο — ὑμῶν πίστεως) *Huius rei caussa recreatus sum animo, fratres, in omni afflictione et calamitate mea, vestri caussa* inquam, *et per fidem vestram.* Διὰ τοῦτο, propter ea, quae (v. 6.) Paulo de Thessalonicensibus nunciata fuerant. In hoc etiam commate est transpositio, Paulo solemnis. Nam recta constructio fuerat: Ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν παρεκλήθημεν ἐφ' ὑμῖν, διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως. Laetus nuntius de vobis et de vestra perseverantia in fide et religione recreavit animum meum, et afflictioni meae quasi remedium attulit. Ἐφ' ὑμῖν, quoad sensum redundat; idem enim mox planius dicitur διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως. Ἀνάγκη, hebr. צָר, *afflictio.* Etiam Graecis ἀνάγκη interdum est βάσανος, et refertur ad mala omnia, inprimis graviora. Διὰ τῆς πίστεως ὑμῶν, per nuntium de fide vestra.

8. Ὅτι νῦν — κυρίῳ) Ζῆν, *vivere,* ex populari omnium linguarum usu, interdum est: *vitam laetam agere.* Στήκειν ἐν κυρίῳ, i. e. ἐν πίστει τοῦ κυρίου, *perstare in religione.*

9. Τίνα γὰρ — τοῦ θεοῦ ἡμῶν;) i. e. *Quomodo gratias* (dignas sc.) *agere possumus* etc. Ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἡμῶν iunge τῇ χαρᾷ, et intellige *laetitiam*

piam, vel *sinceram*. ἣ χαίρομεν δι' ὑμᾶς, *quam capio e vobis*. ἣ pro ἣν.

10. Νυκτὸς — δεόμενοι) *Indesinenter igitur rogo Deum ardentissimis precibus*. Δεόμενοι, pro δέομαι, *Deum* sc., quod hic subauditur. Ὑπερεκπερισσοῦ, vox αὐξητικὴ, ut infra c. V, 13. Eph. III, 20., *ardentissimis precibus*. καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερ. τ. πίστεως ὑμῶν) *Et supplere, si quid ad fidem vestram perficiendam requiritur*. Καταρτίζειν, i. e. προσαναπληροῦν, 2 Cor. IX, 12. Col. I, 24. Ὑστέρημα, cf. Col. I, 24. Est autem *defectus religionis*, si Christiani adhuc nonnulla ignorant, quae ad religionem pertinent, si de veritatibus ad aeternam salutem scitu necessariis dubitant etc. Sensus idem, qui Rom. I, 11.

11. Κατευθύναι — πρὸς ὑμᾶς) i. e. *Faciat, ut mox ad vos venire possim*; tollat impedimenta itineris ad vos.

12. Ὑμᾶς δὲ — καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς) *Dominus autem noster augeat amorem vestrum erga vos invicem, et erga omnes, sicut et nos amamus vos*. Πλεονάζειν et περισσεύειν h. l. active sumitur, pro *augere*. Cf. 2 Cor. IX, 8. Καθάπερ καὶ ὑμεῖς εἰς ὑμᾶς, sc. ἀγάπη πλεονάζομεν καὶ περισσεύομεν.

13. Εἰς τὸ στηρίξαι — πατρὸς ἡμῶν) *Ad confirmandos animos vestros in sanctitate inculpatos coram Deo et Patre nostro in adventu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius*. Ἐν

ἁγιωσύνη cohaeret cum verbis εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας, et ἀμέμπτους cum verbis ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ κ. τ. λ. Nam per charitatem et mutuam benevolentiam (v. 12.) confirmantur animi in sanctitate et vera virtute, et sic fiunt inculpati coram Deo et Patre nostro. Tales autem nos esse, apparebit manifestissime in adventu Domini. Verba μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ referri possunt *vel* ad ἀμέμπτους (inculpatos, sicuti sunt omnes sancti et cultores veri Dei et Domini Iesu Christi), *vel* ad verba ἐν τῇ παρουσίᾳ κ. τ. λ. (quum Christus adveniet cum omnibus sanctis, i. e. angelis suis). Tum οἱ ἅγιοι sunt *angeli*, quos Christo olim redituro comites futuros esse, perpetua est Iesu et Apostolorum doctrina. Matth. XVI, 27. XXV, 31. 2 Thess. I, 7.

CAP. IV.

1. Τὸ λοιπὸν — περισσεύητε μᾶλλον) Τὸ λοιπὸν locutio properantis ad finem, ut 2 Cor. XIII, 11. Gal. VI, 17. et aliis locis. Ἐρωτᾶν saepius est *rogare, precari*, ut infra V, 12. Io. XIV, 16. Παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, *obtestamur vos per Dominum Iesum*, vel ex *auctoritate Domini Iesu*. Καθὼς παρελάβετε — περισσεύητε μᾶλλον, ita construe: ἵνα καθὼς παρελάβετε — οὕτως περισσεύητε μᾶλλον, *ut magis magisque servetis ea, quae vobis tradidi praecepta, quomodo deceat vos instituere vitam, ut placeatis Deo.* Obtestor vos, ut constantes sitis in praeceptis Domini sequendis, memores sitis

doctrinae christianae omniaque vitetis, quae ei sunt contraria. Περισσεύειν h. l. ut alibi saepe est *proficere*, magis magisque crescere.

2. Οἴδατε — Ἰησοῦ) Παραγγελία, מִצְוָה, *praeceptum*, ut Actor. XVI, 24. Διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, sc. accepta, vel ex auctoritate Iesu, tanquam doctor religionis eius.

3. Τοῦτο γάρ — ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν) Γάρ, *nempe*. Ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, i. e. ἁγίους εἶναι ὑμᾶς, *ut sitis probi*; nam ἁγιασμὸς, ut ἁγιωσύνη est *animi vitaeque innocentia omnis*. Rom. VI, 19. 22. ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας) Tangit specialiter ea peccata, quibus Graeci et Thessalonicenses etiam prae ceteris indulgere solebant.

4. Εἰδέναι — καὶ τιμῇ) *Ut quisque vestrum studeat servare corpus suum in puritate et honestate.* Ita corpore utimini, ut ne libidini turpissimae indulgeatis. Σκεῦος vocatur corpus 2 Cor. IV, 7. Graeci Philosophi σκῆνος usurpant, quae vox etiam σκεῦος significat. Κτᾶσθαι non tantum est *possidere, acquirere*, sed interdum etiam *servare, conservare*, ut Luc. XXI, 19. κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Conservat corpus in puritate, qui eo caste utitur. Aliis σκεῦος est *uxor*, quae Scriptoribus Iudaicis vocatur כְּלִי, σκεῦος ἀνδρὸς. Cf. *Koppe* ad h. l. Negari quidem non potest, Iudaeos uxorem כְּלִי, *vas*, appellare, ut *Schoettgenius* in horis hebr. ex *Megilla* et *Sohar* probavit; sed h. l. Apostolus non iis tantum fert legem, qui matrimonio iuncti sunt, sed omnibus, ut contextus docet. Alii σκεῦος

accipiunt de ea corporis parte, quae honeste nominari nequit. *De castitate servanda* sermonem esse, omnes interpretes consentiunt.

5. Μὴ ἐν πάθει — τὸν θεὸν) *Neque libidini nefandae inserviens, quod fieri solet inter gentes, verum Deum ignorantes*, qui Deum verum non colunt, reveruntur. Πάθος et ἐπιθυμία dicuntur de omnibus cupiditatibus pravis. Gal. V, 20. Πάθος tamen inprimis est *lascivia*, Col. III, 5., unde παθικοὶ, *nefandae libidini indulgentes*. Καθάπερ τὰ ἔθνη. A Graecis et Romanis haec peccata nihili facta esse, constat.

6. Τὸ μὴ ὑπερβαίνειν — ἀδελφὸν αὐτοῦ) *Ne quis peccet, et fratri suo in hac re* (scortatione) *iniuriam faciat*. Ὑπερβαίνειν, sc. τὸν νόμον, *peccare*. Πλεονεκτεῖν, *quaestus faciendi caussa inique agere*, 2 Cor. VII, 2. XII, 17. 18., in universum autem *nocere* alteri cum suo emolumento. Τὸ πρᾶγμα, *res, negotium*, res quaelibet, quam alter cum altero habere possit, non tantum *commercium*, quod esset πραγματεία. Hoc loco ἐν τῷ πράγματι dicitur pro: ἐν τούτῳ τῷ πράγματι, *in hac re*, de qua sermo est. Fuerat autem sermo de scortatione. Iniuriam vero in hac re facit alteri, qui coniuge eius abutitur ad satiandam suam cupiditatem. Alii his verbis vitium, quod fraude et quaestu turpi in mercimoniis contineatur, castigari censent. Nam ὑπερβαίνειν infert ὕβριν, sive iniuriam, πλεονεκτεῖν vero circumventionem, seu dolum, vel plura habendi studio vel alio consilio exercitum, ut 2 Cor. VII, 2. XII, 17. 18. et aliis locis. Nec re-

pugnat contextus. Videtur etiam Paulus his commatibus diversa ingerere praecepta ad ἁγιασμὸν (de quo v. 3.) pertinentia. Eorum unum est ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας etc., alterum, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν, quod de fraude et dolo in negotiis aliis, et inprimis mercimoniis accipi potest. Vid. *Wolfii* Curas ad h. l. διότι — διεμαρτυράμεθα) Ἔκδικος ὁ κύριος, sc. ἔσται i. e. ἐκδικήσει, *puniet.* Πάντων τούτων, *omnia eiusmodi flagitia.* Διαμαρτύρεσθαι, *obtestari graviter (einprägen), additaque poenarum divinarum comminatione admonere.* Cap. II, 12.

7. Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν—ἐν ἁγιασμῷ) *Non enim Christianos nos esse voluit Deus, ut sceleste, sed ut honeste viveremus.* Ἐπὶ et ἐν, pro εἰς. Ἁγιασμὸς, *omnis vitae honestas et puritas,* inprimis vero *castitas,* supra v. 3. 4. Ἀκαθαρσία, de *Venere* et *de omni improbitate* dicitur. Interdum tamen omne immunditiei genus, *impuram mentem* etiam significat, ut supra c. II, 3.

8. Τοιγαροῦν — τὸν θεὸν) Τοιγαροῦν, *atqui.* Ὁ ἀθετῶν, sc. ἡμᾶς, *qui auctoritatem mihi detrahit,* mihi doctori non credit, mihi non obedit. Ἀθετεῖν, *irritum facere, abolere,* in libris N. T. saepe est *non credere,* vel *non obedire, contemnere,* ut Io. XII, 48. Οὐκ ἄνθρωπον, non tam me, hominem, qui vobis haec tradidi. τὸν καὶ δόντα — εἰς ἡμᾶς) Alii legunt εἰς ὑμᾶς. Sed praeferenda videtur lectio recepta. *Qui dona Spiritus Sancti nobis largitus est,* sc. nobis Apostolis. Qui donis nos instruxit, et edocuit nos, ut alios etiam de vita sancta et officiis praestandis recte edocere possimus.

9. Περὶ δὲ — γράφειν ὑμῖν) Nempe ἐμὲ, pro: οὐ χρείαν ἔχετε γράφεσθαι ὑμῖν. Περὶ τῆς φιλαδελφίας, *de beneficentia erga Christianos*, quomodo scilicet ea exercenda sit in singulis circumstantiis. Non opus est, ut ea de re vobis particulatim scribam. αὐτοὶ γὰρ — ἀλλήλους) Θεοδίδακτοι, *a Deo edocti*, per doctrinam Dei instituti. Didicistis per religionem, amandos esse alios, vel divinitus excitati estis ad mutuum amorem.

10. Καὶ γὰρ — Μακεδονίᾳ) *Facitis hoc*, i. e. liberalitatem ostenditis, non in urbe tantum vestra, sed per totam quanta est, Macedoniam. περισσεύειν μᾶλλον) *Ut magis magisque proficiatis*, nempe ἐν τῇ φιλαδελφίᾳ, *in hoc liberalitatis studio.*

11. Καὶ φιλοτιμεῖσθαι — τὰ ἴδια) *Et honorem in eo ponatis, ut vitam agatis tranquillam, et faciatis quae sunt officii vestri.* φιλοτιμεῖσθαι, *honorem ponere in re aliqua facienda.* Aelian. Var. Hist. IX, 29: ὅτι ἐφιλοτιμήσατο Ἀλκιβιάδης δῶρα πολλὰ πέμψαι Σωκράτει, *Alcibiades ambitione quadam munificus, complura magnaque munera, Socrati dono misit.* Socrates vero uxori dixit: *Et nos certemus liberalitate cum Alcibiade, μὴ λαβεῖν τὰ πεμφθέντα φιλοτιμησάμενοι.* Ἡσυχάζειν opponitur τῇ περιεργασίᾳ Thessalonicensium, 2 Thess. III, 11. Operam date, ut tranquille vivatis. Τὰ ἴδια, i. e. τὰ ἑαυτῶν, s. τὰ ὑμέτερα, *quae vestri sunt officii*, quae cuique vestrum incumbunt. καὶ ἐργάζεσθαι — παρηγγείλαμεν) Vestro labore, non aliis assentando, vel ex aliorum hominum labore lucrum quaeratis. Παρηγγείλα-

μεν, quum nempe apud vos essemus. Nihil novi dicimus.

12. Ἵνα περιπατῆτε — ἔχητε) *quo fiet, ut mores vestri etiam profanis probentur, nec aliena ope indigeatis.* Οἱ ἔξω, sc. τῆς ἐκκλησίας ὄντες, *profani*, Iudaei ac gentiles. Πρὸς, *coram*, ἐνώπιον. Μηδενὸς, sc. πράγματος, vel ἀνθρώπου, ne vobis opus sit stipem emendicare.

13. Οὐ θέλω — κεκοιμημένων) *De mortuis vero opus est, ut vos admoneam.* Κεκοιμημένοι, per euphemismum νεκροὶ, Matth. IX, 24. Io. XI, 11. Nonnulli codices, Orig. Damasc. legunt: περὶ τῶν κοιμωμένων, non male; non enim tantum de iam tum mortuis agitur, sed et de quotidie morituris. ἵνα μὴ — ἔχοντες ἐλπίδα) *Sicut ceteri*, nempe populares vestri, nondum ad Christum conversi, imo et Iudaei; nam et hi in luctu magni erant ostentatores. Καὶ ante οἱ λοιποὶ redundat. Οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, *qui spe felicioris post mortem vitae destituuntur.* Aut plane nullam spem habebant, ut Epicurei et Sadducaei, aut non satis solidis subnixam fundamentis, ut Pharisaei et Platonici. Fortasse etiam plures ex Sadducaeorum secta ad christianam religionem transierant, qui Christianos suo errore inficere potuerunt.

14. Εἰ γὰρ πιστεύομεν—ἄξει σὺν αὐτῷ) *Quum enim pro certo habeamus, Iesum, quamvis mortuum, rediisse in vitam, consequens est, Deum etiam demortuos tales per Iesum ducturum esse cum ipso;* h. e. Deum effecturum esse, ut Iesus veniat, et similiter at-

que ipse fuerat demortuus, etiam similiter atque ipse est, redivivos deducat domum suam, ut versentur cum ipso. Cf. Io. XIV, 3. Sic *Storrius* explicat hunc locum in *dissert. exeget. in epistolarum Pauli minor. aliquot loca*, p. 29. sq. Τὰρ h. l. aut est particula transeundi, aut denotat *nempe*. Aut εἰ pro ὡς est accipiendum, aut per οὕτω simpliciter apodosis exprimitur. Post οὕτω καὶ supplendum videtur: δεῖ πιστεύειν ἡμᾶς, ὅτι. Ἀπέθανε καὶ ἀνέστη, pro: ἀποθανὼν ἀνέστη. Plerique connectunt verba: Κοιμηθέντες διὰ τοῦ Ἰησοῦ, ut intelligantur iidem qui v. 16. νεκροὶ ἐν Χριστῷ dicuntur, *mortui Christiani;* nam Hebraeorum ב, quo hic Syrus utitur, mox per διὰ, mox per ἐν exprimitur. Praeferenda tamen videtur eorum interpretatio, qui ita coniungunt verba: διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει, *per Iesum ducet*, non tamen e sepulcris, sed eo, ubi ipse Iesus sit. Nam (ut *Storrius* l. c. monet) ἄγειν idem esse, quod ἄγειν ἐκ νεκρῶν, nullo exemplo confirmari potest. Videtur potius his verbis illud exprimi: Deum esse mortuos *ducturum cum Iesu*, demortuos ei comites esse adiuncturum. Hebr. II, 10. Et perducet quidem eo *per Iesum*, qui hoc ipso consilio veniet (v. 16.), ut in perpetuum sibi adiungat suos (v. 17.), qui redibit, ut eos sedibus suis recipiat. Io. XIV, 3. Est hic argumentatio similis ei, quae est 1 Cor. XV. Videntur fuisse inter Thessalonicenses, qui, de corporum resurrectione dubitantes, mortuos ante adventum Christi Christianos, omni spe felicitatis aeternae hac ipsa morte sua orbatos existimarent.

15. Τοῦτο γὰρ — τοὺς κοιμηθέντας) *Hoc enim vobis ex Domini auctoritate dicimus, eos, quos in hac*

vita superstites deprehensurus est dies adventus Christi, non fore melioris conditionis iis, qui iam sunt mortui. Apostolus haud dubie refutat adversarios. Quid vero illi tradiderint, nescimus. Inde est ambiguitas in his verbis, quam tollere vix possumus. E contextu coniicere licet, fuisse inter Thessalonicenses, qui resuscitari quidem mortuos, sperarent, sed serius, sive etiam in inferiore quodam dignitatis gradu constitutos, hac felicitate potituros esse, anxie sibi persuaderent. *I. Gurlitt (in explicatione cap. XV. epistolae prioris ad Corinthios*, in Syll. Commentatt. theoll. ed. a *Dav. Iul. Pott*, Vol. V. p. 35. not.) hunc locum ita illustrandum esse anbitratur: „1) Opinabantur tum Christiani, Christum mox rediturum in hunc orbem terrarum, et regnum splendidissimum constituturum. 2) Hinc conquerebantur eorum sortem, qui iam vita defuncti erant, quoniam putabant horum vel nullam, vel non praecipuam partem fore in illo regno administrando. 3) Reditum Christi in hunc terrarum orbem fingebant sibi et describebant sub imagine triumphi, a rege victore habiti.“ Probabilis est haec Gurlitti coniectura. Contra istam Christianorum opinionem disputare videtur Paulus hactenus, ut doceat (v. 17.), Christum non in his terris regnaturum, sed in coelum esse ducturum demortuos Christianos pios, una cum superstitibus in hac terrarum orbe. Ἐν λόγῳ κυρίου, ברבר אדני, *tanquam veritatem nobis a Christo revelatam.* Ἡμεῖς οἱ ζῶντες, pro οἱ ζῶντες simpliciter. Omnino putavit Paulus, *fieri posse*, ut ipso adhuc vivente Christus ad iudicium e coelo redeat. Nam patefactum quidem ipsi erat a Christo, quid de piis futurum sit in illo die, sed tempus erat

et ipsis Apostolis ignotum. Κοίνωσις hic locum habere vix potest. Ea enim usum habet, ubi aliena vitia nobis, aut nostras virtutes aliis per modestiam communicamus: hic autem de eventis agitur. Οἱ περιλειπόμενοι, *superstites*. Adiecta hac explicatione satis declarat Paulus, mortuis opponi eos, qui in vivis futuri sint illo adventus Christi tempore. Ergo illud ἡμεῖς οἱ ζῶντες per se nec probos nec improbos, sed nondum mortuos indicat. Φθάνειν τινὰ, *antecedere aliquem*, praecipui aliquid habere prae alio. Hesychius et Etymol. προήκειν, προλαμβάνειν.

16. Ὅτι αὐτὸς—καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ) *Nam ipse Dominus, signo quasi dato, voce principis angelorum et tuba maxime sonora, descendet e coelo.* Ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ, i. e. ἐν κελεύσματι διὰ φωνῆς ἀρχαγγέλου σάλπιγγος θεοῦ γενομένῳ. Κέλευσμα, *hortatus*, ad congregandos homines; de nautarum vociferatione et militum dicitur. Apud Hebraeos, Graecos et Latinos veteres, convocabatur populus classico. Ad id exemplum, cum Deus homines convocat, dicitur id facere per tubam, Ies. XXVII, 13. Ierem. IV, 5. VI, 1. aliisque locis. Unde et in nostro loco fit mentio τῆς σάλπιγγος θεοῦ, i. e. tubae, quae adventum Dei nuntiat. Ἀρχάγγελος non est Christus, sed *princeps angelorum*, qui Dan. XII, 1. השר הגדול dicitur. Is praeconis ritu proclamat, *Dominum adesse.* Nemo non videt, totum hoc esse humano more de Deo dictum, et adventum describi illustrem. Sensus est: Christum maxima pompa, angelorum stipatum cohortibus e coelis ad iudicium esse rediturum. Cf. Matth.

XIII, 41. XXIV, 31. XXV, 31. Nisi malimus per *adventum* intelligere operationem illam illustrem, qua Christus mortuos resuscitabit. καὶ οἱ νεκροὶ — πρῶτον) Οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ, *Christiani mortui.* Hi prius resurgent, ut una cum vivis possint ascendere, non post eos. De duplici resurrectione, prima piorum, et secunda impiorum non est cogitandum. Ceterum ex hoc loco fit verisimile: futurum esse aliquando aliquid adspectabile, eodem tempore ad omnes pertinens, tum ad hos, qui post mortem corporis dudum fuerant beati vel miseri, tum ad illos, qui ad illud usque tempus in terris superstites vixerant. *Auctor anonymus* (in den Beiträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion fasc. 3. pag. 64. s.) Paulum *in definiendo tempore* resuscitationis mortuorum captui Thessalonicensium Ex-iudaeorum se accommodasse existimat

17. Ἅμα σὺν — εἰς ἀέρα) *Simul cum illis* (ante mortuis, tunc vero resuscitatis) *in nubibus obviam Domino nostro rapiemur in aërem.* Εἰς ἀέρα iungo verbo ἁρπαγησόμεθα. Εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου, hebr. לִקְרַאת יְיָ. Similis erit christianorum ascensus in coelum ascensioni Christi, Act. I. Καὶ οὕτω—ἐσόμεθα) Πάντοτε, *sine ullo fine. Cum Domino*, i. e. consortes gloriae, regni, gaudiique ipsius. Io. XIV, 2. 3. XVII, 24. 2 Tim. II, 12. Rom. VIII, 17. Describitur incredibilis illa felicitas, Christianis exspectanda, quae in arctiore quadam, quaecunque sit, coniunctione cum Christo constabit.

18. Ὥστε—λόγοις τούτοις) *His igitur dictis* (solatiis) *vos mutuo erigite.* Ἀλλήλους, amici amicos,

qui in luctu sunt, consolamini. ὥστε, *propterea*. Λόγοι, h. l. sunt ipsa illa solatia, quae modo proposuerat Apostolus.

CAP. V.

1. Περὶ δὲ—γράφεσθαι) *Ad tempus ipsum, quod attinet, non opus est, vobis me scribere.* Proprie χρόνοι sunt maiora temporis spatia, ut menses ac dies. Hic vero, ut in aliis locis, sunt Synonyma, quibus tempus in genere exprimitur.

2. Αὐτοὶ—οὕτως ἔρχεται) Ἀκριβῶς οἴδατε, i. e. iam tum, quum apud vos essem, accurate a me edocti fuistis. Ἡ ἡμέρα κυρίου, hic, ut per totam epistolam, sine dubio dies est solemnis, quo Christus ad iudicium extremum venturus est. Ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, *improviso, tempore incerto.* Eadem similitudo Matth. XXIV, 43. Luc. XII, 39. Ἔρχεται, pro fut. ἐλεύσεται.

3. Ὅταν γὰρ λέγωσιν—ἐκφύγωσιν) Loquitur Paulus de improbis, ut et Christus Matth. XXIV, 38. Εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, sc. ἐστι. שָׁלוֹם וּבֶטַח, *nihil nobis metuendum, salvae res nostrae sunt.* Ezech. XIII, 10. Ὄλεθρος αἰφνίδιος, *poena repentina;* nam ὄλεθρος, שֶׁאוֹן *poena.* Figura huius rei in diluvio, in rege Balthasare, Dan. V., in capta Babylone, Ies. XXI, 5. Ἐφίσταται, *adstat*, i. e. *imminet.* Ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, i. e. *subito*

et graviter. Est similitudo in V. T. frequens, Ies. XIII, 8. Ierem. XIII, 21. Hos. XIII, 13. Ἐν γαστρὶ ἔχουσα, sc. *foetum* i. e. *gravida.* Καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν, pro: ὥστε μηδαμῶς ἐκφυγεῖν αὐτούς, *ita ut nullo modo effugere possint.*

4. Ὑμεῖς δὲ—καταλάβῃ) *Vos autem, fratres, non versamini in tenebris, ut dies iste extremus, ut fur,* (ex improviso) *vos deprehendere possit. Tenebrae* significant ignorantiam rerum divinarum, et vitia, *lux* cognitionem. Sensus igitur est: Non immersi estis erroribus et vitiis, sicut improbi, ut adventus Christi improvisus vobis nocere possit. Ceterum Apostolus a commemoratione τῆς ἡμέρας τοῦ κυρίου transire videtur ad universalem notionem τῆς ἡμέρας. Comparat enim Christianos cum hominibus in luce versantibus et vigilantibus; improbos autem cum hominibus in tenebris versantibus et dormientibus, v. 5—8. Haec metaphorica descriptio Christianorum et Profanorum iam hoc commate 4. incipere videtur. Ergo sensus est: *Vos, fratres, non versamini in tenebris, ut dies vos ex improviso deprehendere possit.* Qui iam in luce versantur, iis lux non est molesta, non inexspectata. Sic vobis, Christianis, non molestus aut inexspectatus erit ille iudicii dies, quo, qualis unusquisque in hac vita fuerit, manifestum fiet.

5. Πάντες—οὐδὲ σκότους) *Vos omnes luce ac die collustrati estis; non versamur in nocte et tenebris.* Continuatur allegoria v. 4. coepta. *Collustrati estis luce et die,* meliora edocti per religionem christianam et ad rectam Dei officiorumque vestrorum cogni-

tionem perducti. *Non versamur in nocte et tenebris*, non amamus veterem ignorantiam, superstitionem et vitia quibus dediti sunt profani. Ceterum notus est Hebraismus, quo *υἱὸς*, ut hebr. בֵּן saepe dicitur de eo, qui *studiosus* vel *particeps est alicuius rei*, *qui aliquid curat*. Quum igitur *τὸ φῶς*, h. l. sit *cognitio rerum divinarum*, nominatim religionis christianae, igitur *ὁ υἱὸς τοῦ φωτὸς* erit is, *qui praeditus est cognitione religionis christianae*, alumnus disciplinae christianae, in quo melior est scientia, qui luce melioris scientiae utitur. Contrarium per se patet. Vid. *Vorstii* Philol. S. c. 24.

6. *Ἄρα οὖν—νήφωμεν*) Sensus est: Ne negligentes simus in bene honesteque agendo, (quales *stertere*, dicuntur Latinis,) sed attenti, et strenui. *Γρηγορεῖν* per translationem significat *attentum esse; νήφειν* vacare a perturbationibus ac vitiis, quae ebrietati comparantur; igitur: mentis compotem esse, caute agere.

7. *Οἱ γὰρ καθεύδοντες — μεθύουσιν*) Persequitur coeptam comparationem, cuius sententia haec est: Non est mirum, infideles esse negligentes in recte agendo, vitiisque indulgere, ignorant enim voluntatem Dei de eo quod agendum aut omittendum sit. Negligentia in recte agendo et improbi mores ignorantiam comitari solent.

8. *Ἡμεῖς δὲ — ἐλπίδα σωτηρίας*) i. e. *Nos autem, qui die utimur, sobrii simus*, (vacantes a vitiis et sceleribus,) *muniamus nos* (contra vitiorum incitamenta) *fide et charitate, et spe aeternae salutis, similes mi-*

litibus, *thorace et galea indutis*. Cf. Eph. VI, 14. sqq. Delabitur Apostolus ad aliam comparationem, desumtam a militibus, armatis et ad pugnandum adversus hostes paratis. Ostendit, quomodo praeparare se debeant Christiani ad diem illum, nempe *fide*, *amore*, *spe*. Instructus his virtutibus, paratus est, quandocunque ille dies venerit. Πίστις, firmissima persuasio, Iesum esse Messiam, auctorem nostrae salutis. ἡμέρας εἶναι, diei luce uti, meliori rerum divinarum intelligentia uti. Ἀγάπη, benevolentia erga omnes homines. Ἐλπὶς σωτηρίας, *spes aeternae salutis*.

9. Ὅτι οὐκ ἔθετο—σωτηρίας) *Non enim vult Deus, ut poenas sentiamus, sed ut felicitate aeterna potiamur;* Deus nos destinavit non miseriae, sed felicitati διὰ τοῦ κ. ἡμ. Ἰ. Χρ., per Christum eiusque religionem possidendae. Omnibus enim, qui doctrinae christianae convenienter sentiunt et vivunt, parata est felicitas. Ὀργὴ, *poena*, *miseria*. Τιθέναι τινὰ εἰς ὀργὴν, *velle*, *ut aliquis poenam sentiat*, *miser fiat*. Τιθέναι h. l. est *destinare*, ut hebr. נָתַן Gen. XVII, 5. Ierem. I, 5. Εἰς περιποίησιν σωτηρίας, i. e. εἰς τὸ περιποιεῖσθαι τὴν σωτηρίαν. Περιποιεῖσθαι autem est κτᾶσθαι, εὑρίσκειν.

10. Εἴτε γρηγορῶμεν, εἴτε καθεύδωμεν) Γρηγορεῖν hic dicuntur, qui hac vita mortali fruuntur; et καθεύδειν, qui mortem obiere. Sensus est: *ut*, *sive superstites*, *sive mortui deprehendamur die illo extremo*, ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν, *pariter omnes beate cum Christo vivamus*. Nempe voculam ἅμα cum Storrio non ad σὺν αὐτῷ, sed ad superstites et demortuos re-

ferimus, qui *una omnes*, non isti sine his, aut alteri prae alteris, beatam cum Christo vitam acturi sint. Obversata fuisse videtur Paulo falsa Thessalonicensium opinio, quam supra (c. IV, 15. 16.) copiosius impugnavit. Superstites propterea, quod in vita mansissent, nec citius nec arctius coniuncti erunt cum Domino, quam demortui, sed utrique et cum Domino (σὺν αὐτῷ), et inter se (ἅμα) coniuncti erunt et consociati ad beatae vitae communitatem. Ἅμα, *pariter omnes*, ut Rom. III, 12. hebr. יחד Ps. XLIX, 3. 11. XXXIII, 15.

11. Διὸ παρακαλεῖτε—καὶ ποιεῖτε) *Itaque vos invicem cohortemini, et studeat alter alterius salutem promovere, prout etiam facere soletis.* οἰκοδομεῖν h. l. sensu latissimo significat: ad utilitatem aliorum quovis modo suum conferre. Παρακαλεῖν, *cohortari et consolari.* Εἷς τὸν ἕνα, i. e. ἀλλήλους. Καθὼς καὶ ποιεῖτε. Ne opus quidem est, vos talia admoneri, quum eadem iam sponte faciatis.

12. Εἰδέναι—νουθετοῦντας ὑμᾶς) *Ut magni aestimetis eos, qui vobis religionem tradunt, et praefecti sunt vobis nomine Domini, et vos cohortantur.* Εἰδέναι τινά, *rationem alicuius habere, respicere aliquem,* cique gratum animum praestare. Κοπιῶντες sc. ἐν λόγῳ, 1 Tim. V, 17. Προϊστάμενοι, προεστῶτες, ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι, ποιμένες, פרנסים, qui praesunt ecclesiae, similes fere Iudaeorum Archisynagogis. Νουθετεῖν et προΐστασθαι, non indicat varia presbyterorum genera, sed munera tantum diversa eorundem hominum, qui hic voce generaliore

κοπιῶντες nominantur. Νουθετεῖν, cohortando, etiam castigando, alterum emendare.

13. Καὶ ἡγεῖσθαι — ἔργον αὐτῶν) *Ut honore insigni prosequamini et ametis eos, propter operam, quam vobis impendunt.* Ἡγεῖσθαι ὑπερεκπερισσοῦ, pro περὶ πλείονος ἡγεῖσθαι. Ἐν ἀγάπῃ addit Apostolus, quia haec reverentia non ex timore, sed ex amore proficiscitur. Possunt etiam sic iungi verba, ut phrasi singulari dicatur ἡγεῖσθαι τινὰ ἐν ἀγάπῃ, *aliquem amandum existimare.* Τὸ ἔργον αὐτῶν, *opera, quam in vobis instituendis ponunt.* εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς) i. e. ἐν ἀλλήλοις. *Pacem et concordiam invicem colite.*

14. Παρακαλοῦμεν — ἀτάκτους) Δὲ, *porro.* Νουθετεῖν, τὸν νοῦν εὐθετεῖν, τὸν νοῦν καλῶς s. ὀρθῶς τιθέναι, ἐπανορθοῦν, *corrigere, emendare.* Frequens est haec vox, uti παιδεύειν et νουθεσία de patribus, filios *emendare* cupientibus. Cf. *Kypke* ad h. l. Ἄτακτος, *dissolute vivens*, homo quivis, qui officio non fungitur, vitamque mollem, male otiosam, voluptatibus diffluentem agit. E contrario qui recte atque ordine cuncta faciunt, diountur εὔτακτοι. παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους) Eos, qui in adversis animo sunt deiecto. Ὀλιγόψυχος respondet Hebr. דכא Ies. LVII, 15. et aliis locis. In Glossario: ὀλιγοψυχία, *pusillanimitas.* ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν) *Sublevate infirmos.* Ἀσθενεῖς, *infirmi in religione*, praecipue ii, qui libertatem christianam nondum plane intelligunt, Rom. XIV, 1. 2. 1 Cor. VIII, 7. 11. 12.

15. Ἀλλὰ πάντοτε — εἰς πάντας) *Sed semper alienis commodis studete, quum erga vos invicem, tum erga alios omnes.* Τὸ ἀγαθὸν, quod utile est, et iucundum alteri. Διώκειν τι, omni studio et diligentia aliquid facere. Εἰς ἀλλήλους, erga Christianos; καὶ εἰς πάντας, etiam erga extraneos a fide.

16. Πάντοτε χαίρετε) Semper, etiam in adversis, aequo estote atque hilari animo. Rom. XII, 12. 2 Cor. VI, 10. Vel potius votum inest his verbis: *Laetissimam vobis a Deo vitam apprecor.*

17. Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε) *Assidui estote in precando*, in omnibus circumstantiis, et necessitatibus vestris. Cf. Eph. VI, 18.

18. Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε) *De rebus omnibus Deo gratias agite*, etiam de adversis; nam et haec bona sunt, si dextre sumantur. Ἐν παντὶ pro ὑπὲρ παντὸς, παντὸς ἕνεκα. τοῦτο γὰρ — εἰς ὑμᾶς) *Haec enim est voluntas Dei per Christum* eiusque doctrinam *vobis significata.* Θέλημα, id, quod Deus a nobis exigit. Illud autem τοῦτο non ad gratiarum tantum actionem, sed et ad preces est referendum.

19. Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε) i. e. *nolite negligendo minuere dotes a Deo acceptas*, vel: *nolite vim* illam *divinam* (vobis Christianis concessam) *negligere*, neglectoque usu et exercitatione frangere. Vid. *Noesselti* disput. in locum Pauli Apostoli 1 Thess. V, 19 — 22. in exercitatt. pag. 255. seqq. Vim verbi πνεύματος admodum variam esse et multiplicem, satis con-

stat. Hoc loco intelligi videtur *vis divina Christianis propria*, i. e. quicquid rerum divinarum, Deo ita providente, Thessalonicenses cognovissent, vel omnis intelligentia divinae voluntatis, ut πνεῦμα hic idem sit, quod in loco simillimo 2 Timoth. I, 6. τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, donum divinum. Hoc donum σβεννύειν, *extinguere*, est: illud negligere, quasi sepultum non excitare, seque ab omni eius usu cohibere (contrarium est ἀναζωπυρεῖν, 2 Tim. I, 6.). Videtur Paulus respexisse ad locos sacrorum librorum V. T. eos, qui Deum aiunt victimas igne caelesti tetigisse, ut sibi eas probatas declararet, veluti Levit. IX, 24. Iudic. VI, 21. 1 Reg. XVIII, 38. (solet enim omnia bene a Christianis facta appellare *victimam* quasi *fragrantem, acceptam et probatam Deo*, Philip. IV, 18.), et usus esse imagine tactae de caelo et incensae victimae, hoc est pectoris ad omnem virtutem inflammati. Sic haec verba cohaerent cum v. 18. τοῦτο γὰρ θέλημα Θεοῦ ἐν Χρ. εἰς ὑμᾶς.

20. Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε) *Nolite contemnere quae alii vos possint docere.* Προφῆται h. l. sunt omnes, qui docent, aut docere possunt, nec adiunctam habet vim *perspicue* loquendi (ut 1 Cor. XIV, 29—32.). Paulus hoc quidem loco hoc voluit: multarum quidem rerum cognoscendarum facultatem habetis ipsi, cognoscendaque vobis Deus dedit quam plurima, quae nullo modo negligi oportet, sed cavere, quo minus obsolescant (τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε), nec tamen licet contemnere, aut nullum fructum capere eorum, quae ex aliis possitis discere. Cf. 1 Cor. XIV, 29. sqq. Hoc comma cum praecedenti v. 19. ita cohaerere videtur,

ut πνεῦμα μὴ σβέννυτε capiatur de eo, quod quisque Christianus ipse reperiisset, aut suo ipse ingenio, sive diligentia consecutus esset; alterum autem: προφ. μὴ. ἐξουθ., de eo, quod ex alio quocunque, non modo e doctoribus, sed etiam e ceteris cuiuscunque generis Christianis posset discere. Cf. 1 Cor. XIV, 30—32.

21. Πάντα — κατέχετε) *Omnia examinate, quod bonum est tenete.* Cf. 1 Cor. XIV, 29. Poterant nempe προφῆται de suo aliquid addere iis, quae alias divinitus edocti didicissent, suumque identidem ingenium magis quam doctrinam Christianam sequi. Itaque debebant a ceteris, qui hoc animadvertissent non consentaneum esse Christi disciplinae, castigari atque in rectam viam reduci. Cf. Act. XVII, 11.

22. Ἀπὸ—ἀπέχεσθε) *Fugite quicquid sit malum aut perversum*, h. l. non consentiens cum veritate voluntateque divina; cuius generis est neglectus virium intelligentiaeque usus, contemtus eorum, quibus proficere per aliorum sapientiam possumus, temeritas in assentiendo, quum deberemus prius examinare, quam probaremus aliorum sententiam, ceteraque quorum antea mentionem fecerat Paulus. Nam τὸ πονηρὸν in hac sententia respondet τῷ καλῷ in superiori, ut ἀπέχεσθαι in hac, τῷ κατέχεσθαι in illa, v. 21. Εἶδος est forma, aut visum omne quod cadit sub sensus.

23. Αὐτὸς δὲ — ὁλοτελεῖς) *Deus autem benignissimus vos totos suo consecret cultui.* Ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, cf. Rom. XV, 35. XVI, 20. Ἁγιάζειν, hebr. קִדֵּשׁ, proprie usurpatur de lustrationibus Levi-

ticis, quibus varii generis homines Deo consecrabantur; deinde transfertur ad animum. Sanctificat autem Deus homines, dum vitiositatem ab iis removet, quum mentis, tum vitae et actionum. Ὁλοτελεῖς, *totos*, animo et corpore. καὶ ὁλόκληρον—τηρηθείη) *Ut omnia cogitata, sensa, et studia vestra cum omnium membrorum corporis usu serventur pura nullaque vitiorum labe contaminata usque ad diem Domini.* Ὁλόκληρον, idem quod ὁλοτελὲς, et utrumque pro ὅλον. Referendum est autem τὸ ὁλόκληρον non ad πνεῦμα tantum, verum etiam ψυχὴν et σῶμα, pro ὁλοκληρους ὑμᾶς πνεύματι, καὶ ψυχῇ καὶ σώματι. Πνεῦμα et ψυχὴ apud veteres Philosophos ita differunt, ut πνεῦμα sit *animus*, in quantum facultate intelligendi, cognoscendi, cogitandique est praeditus: ψυχὴ autem *animus*, in quantum affectibus, voluntate, desiderio, cupiditatibusque instructus est: ut adeo his duabus vocibus non duae hominis partes essentiales, sed tantum diversae animi facultates indicentur, quarum illa propria est hominum, haec autem hominibus cum brutis animantibus communis. Ioseph. Ant. I, 1. 2. ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς λαβών. Καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ, καὶ ψυχὴν. Cf. Ies. LVI, 11. LVIII, 10. Eccles. V, 11. cf. c. XVIII, 34. Quum autem verba in sacris litteris magis ex usu vitae communis, quam ex scholae subtilitate aestimanda sint, hoc etiam loco hominis πνεῦμα et ψυχὴ in universum *cogitata, sensa et studia*, ipsamque adeo *mentem* exprimere videntur, ut populariter, de his loqui solemus.

24. Πιστὸς — ποιήσει) ὁ καλῶν, pro ὁ καλέσας. Ὃς καὶ ποιήσει, *his desideriis meis satisfaciet.* Πιστὸς, *verax, constans*, 1 Cor. I, 9.

26. Ἀσπάσασθε — ἁγίῳ) Cf. notata ad Rom. XVI, 16. Ἅγιον additur, quia *Christiani* erant, qui hoc modo erant salutandi.

27. Ὁρκίζω—ἀδελφοῖς) Ὁρκίζειν τινὰ, *obtestari aliquem*, saepe occurrit apud LXX. e. g. Cant. V. 8. 1 Reg. XXII, 16., et respondet hebr. השבית. Τὸν κύριον, subint. νῆ, *per Dominum*. Cf. Marc. V, 7. Act. XIX, 13. Προεστῶσι, sive Presbyteris primum epistola in manus tradebatur. His salutem ceteris Christianis dicendam iniungit Apostolus, eosque monet, ne sibi solis epistolam servent, sed cum reliquis de plebe Christianis praelegendo communicent. Ἅγιοι ἀδελφοὶ, *Christiani*.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM II. AD THESSALONICENSES.

Unde et quando haec Epistola scripta sit, non facile definiri potest, ut in Prolegomenis ad priorem epistolam iam monuimus. Eam tamen Athenis missam esse, ut vulgata subscriptio habet, non est verisimile. *Occasio* huius epistolae scribendae non difficulter ex eiusdem argumento colligi potest. Hoc autem tripartitum est, pro numero trium capitum ipsius Epistolae. Et *prima* quidem pars consolatoria est, quae c. I. tractatur, ubi Apostolus auditores suos adversus vexationes ob religionem ita erigit, ut simul eosdem ad constantiam oblique hortetur. *Secunda* pars partim prophetica, partim didascalica est, quae c. II. traditur, ubi doctrinam de ultimo Christi adventu, atque de insigni quadam defectione a religione, plenius ipse declarat. *Tertia* et postrema pars tota hortatoria est, quae c. III. continetur, ubi Apostolus Thessalonicenses ad studium christianarum virtutum, et nominatim ad diligentiam in uniuscuiusque vocatione adhibendam, serio exhortatur, addita sub finem optatione et salutatione pathetica.

Authentia huius epistolae nostra aetate in dubium vocata est a *Schmidtio (Einl. in d. N.* 1804. [1818. edit. sec.] II. p. 256.) et *De Wettio (Einl. in d. N. T.* 1826. p. 228.), quorum sententiam tamen alii refutarunt. Digna est praesertim quae legatur *I. G. Reichii* Dissertatt.: *Authentiae posterioris ad Thessal. epistolae vindiciae.* Gotting. 1829.

CAP. I.

1. Παῦλος καὶ Σιλουανὸς) Vid. notata ad 1 Thess. 1, 1.

3. Εὐχαριστεῖν — ἄξιόν ἐστιν) *Caussam habemus gratias semper agendi Deo, propter vos, sicuti aequum est.* Ὀφείλομεν, i. e. αἰτίαν ἔχομεν. Ἄξιον h. l. idem est quod καθῆκον, *quod decet, aequum est,* Matth. III, 8. Sic Demosthenes: ἄξιόν ἐστιν σιωπᾶν. ὅτι ὑπεραυξάνει — εἰς ἀλλήλους) *Quod fides vestra fit firmior, et mutuus vestri invicem amor liberalior.* Πλεονάζειν et ὑπεραυξάνειν quoad sensum sunt synonyma.

4. Ὥστε ἡμᾶς αὐτοῦς — αἷς ἀνέχεσθε) *Ita ut ipse de vobis possim gloriari apud alios coetus Christianos propter constantiam vestram et fidem inter omnes vexationes atque calamitates, quas sustinetis.* Ἡμᾶς αὐτοὺς pro ἐμαυτὸν. Ἐν ὑμῖν, *de vobis, vestri caussa.* Καυχᾶσθαι, *gaudere,* interdum: *gaudium illud verbis prodere.* Ὑπομονὴ et πίστις h. l. sunt Synonyma. *Perseverantia et con-*

stantia in religione, etiam inter calamitates. αἰς ἀνέχεσθε, per attractionem, pro ἃς ἀνέχ.

5. Ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ) Ἔνδειγμα (pro εἰς ἔνδειγμα) cohaeret cum proxime praecedentibus. *Hae calamitates quas perfertis, argumento sunt, futurum esse iudicium Dei iustum,* et ab partium studio alienum. Ἔνδειγμα, idem quod ἔνδειξις Phil. I, 28., est *argumentum ipsum, unde aliquid colligitur.* Κρίσις δικαία, *iudicium iustum,* quo praemia et poenae decernuntur. Quod boni affliguntur, indicio est, aliam vitam esse post mortem, ubi praemia sua accipient, sicuti mali suas ferent poenas. εἰς τὸ καταξιωθῆναι — πάσχετε) *Ut accipiatis felicitatem regni coelestis, cuius ratione habita calamitates perfertis.* Εἰς τὸ καταξιωθῆναι, pro: ἐν ᾗ (κρίσει θεοῦ) καταξιωθήσεσθε, ex hebraico Gerundii usu. Καταξιοῦσθαι τινὸς, *dignum iudicari aliqua re;* deinde simpliciter, nulla τοῦ ἄξιος ratione habita, *nancisci, accipere.* Philo de Vit. Mos. I, p. 605. D. τροφῆς οὖν ἤδη βασιλικῆς καὶ θεραπείας ἀξιούμενος, *cibos cultumque regium nactus.* Βασιλεία τοῦ θεοῦ, *felicitas in regno illo coelesti expectanda.*

6. Εἴπερ δίκαιον — θλίψιν) Εἴπερ, *siquidem, nam.* Δίκαιον παρὰ θεῷ, יָשָׁר לִפְנֵי־יְהוָה, *iustum est iudice Deo.* Ἀνταποδοῦναι, גמל, *rependere,* in utramque partem dicitur, *in meliorem* Ps. XVIII, 21., *in deteriorem* Ps. CIII, 10. Θλῖψις, h. l. *poena.* Etiamsi Deus nec promisisisset quicquam, nec comminatus esset, tamen aequum erat, et ipsius tum bonitate tum severitate dignum, ipsius Dei caussa mala feren

tibus aliquid reddere, ac contra alios ob id ipsum vexantibus inferre poenas.

7. Καὶ ὑμῖν — μεθ' ἡμῶν) Ἄνεσις, s. ἀνάπαυσις hebr. מְנוּחָה, *requies ab aerumnis*, i. e. *summa felicitas*. Iudaei, ut aliae Orientis gentes, magnam quandam felicitatem describere solent imagine quietis ab omni aerumna, labore, atque calamitate. Cf. Hebr. IV, 9. 11. Apocal. XIV, 11. 13. Μεθ' ἡμῶν, i. e. ὥσπερ ἡμῖν. ἐν τῇ ἀποκαλύψει — δυνάμεως αὐτοῦ) *Eo tempore, quo Christus apparebit, cum angelis maiestati eius inservientibus.* Ἀποκάλυψις idem est, quod alias παρουσία, quia Hebraeis dicitur גִּלָּה i. e. ἀποκαλύπτεσθαι, omne id, quod apparet, quum antea non apparuerit, ut Rom. VIII, 18. Ἐν τῇ ἀποκαλύψει tempus denotat. Δύναμις, ut hebr. גְּבוּרָה et עֹז simpliciter *de maiestate divina* interdum intelligitur. Sunt igitur ἄγγελοι δυνάμεως αὐτοῦ, *angeli, qui maiestati eius inserviunt*, vel angeli potentes, δυνατοί. De extremo Iesu Christi adventu h. l. esse sermonem, facile patet. Qui locum de adventu Messiae ad evertenda Hierosolyma interpretantur, facere id videntur, ut capitis II. inprimis difficultates effugere possint.

8. Ἐν πυρὶ φλογὸς — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Qui inter fulmina vindictam sumet de iis, qui Deum cognoscere* (et recte colere) *et doctrinae Domini nostri I. Chr. obsequium praestare nolunt.* Ἐν πυρὶ φλογὸς, vel ἐν φλογὶ πυρὸς, *inter fulmina et tonitrua.* Idem est πῦρ φλογὸς, et φλὸξ πυρὸς, quia quod He-

braeis vice Genitivi est, id modo subiecti, modo adiuncti habet significationem. Hebraice est אֵשׁ לֹהֵט Ps. CIV, 4., אֵשׁ לֶהָבָה Ies. IV, 5., לֶהָב אֵשׁ Ps. XXIX, 6. Ies. XXIX, 6. Haec sunt autem fulmina atque tonitrua. Ita explicari potest locus, si haec verba referantur ad v. 7., ut intelligatur incendium mundi, quod praedicitur 2 Petr. III. Potest autem verbis *ἐν πυρὶ φλογὸς* etiam inesse descriptio *poenae aeternae*, quae saepe ut ignis et flamma describitur, ad poenae magnitudinem significandam. *Διδόντος* refer ad *κυρίου Ἰησοῦ*. *Διδόναι ἐκδίκησιν*, נתן נקמה, i. e. *ἐκδικεῖν* vel *ποιεῖσθαι ἐκδίκησιν*, *ulcisci*, humano more de Deo dicitur, et simpliciter est *poenis afficere*. *Τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν*, *Deum agnoscere nolentibus*. *Οἱ μὴ ὑπακούοντες τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κ. ἡ.* I. X. *Qui non recipiunt doctrinam de Iesu Messia, nec secundum eam instituunt vitam.* Non est igitur h. l. sermo de omnibus non Christianis, sed de iis tantum, quibus Evangelium nunciatum est, qui vero id non receperunt. Cf. Rom. II, 16.

9. *Οἵτινες — ἰσχύος αὐτοῦ*) *Hi sustinebunt poenas gravissimas, aeternas, procul a Domino, eiusque gloriosa maiestate remoti.* *Δίκην τίνειν* proprie est *mulctam pecuniariam solvere;* deinde improprie *poenam dare* s. *sustinere.* Dionys. Hal. ant. L. III. *δίκας τίσουσιν ἔτι τούτων χείρονας.* *Ὄλεθρος αἰώνιος*, *pernicies*, miseria, *futuri seculi*, poena aeterna. *Τὸ πρόσωπον κυρίου* est Dominus ipse. *Ἡ δόξα τῆς ἰσχύος*, *gloriosa maiestas;* nam *δόξα* et *ἰσχὺς* maiestatem divinam denotat, sicut hebr. גָּאוֹן et הדר. *Ἀπὸ*, *procul a Domino* etc. Matth. VIII,

12. XXII, 13. XXV, 41. Potest tamen ἀπὸ etiam designare caussam, pro ὑπὸ, παρὰ, ut Rom. I, 7. 2 Cor. I, 2. Tunc sensus esset: *Poenas sustinebunt, a Domino ipso eiusque divina vi infligendas*, vel infligendas a Domino, cuius est ineffabilis maiestas.

10. Ὅταν ἔλθῃ — ἡμέρᾳ ἐκείνῃ) *Quando veniet ut illustretur in sanctis suis* remunerandis, *et celebretur ab omnibus qui credunt, eo quod doctrina nostra vobis proposita certa reperiatur illo die.* Ἐνδοξασθήσεται Christus, i. e. benignitas, sanctitas, potentia, iustitia eius illustrabitur in sanctis suis, in Christianis remunerandis; celebrabitur per eorum felicitatem. Θαυμάζειν saepe est *magni facere, colere.* Plutarchus frequenter opponit θαυμάζειν et καταφρονεῖν. Idem in Apopht. *Dionysius iunior alere se aiebat multos Sophistas, οὐ θαυμάζων ἐκείνους, ἀλλὰ δι' ἐκείνων θαυμάζεσθαι βουλόμενος, non quod illos coleret, sed quod coli ab ipsis vellet.* Hoc autem loco Christus θαυμασθήναι dicitur, quatenus admirandam bonitatem et potentiam suam in Christianis remunerandis demonstrabit. Tum vero *eo* etiam admirandum se ostendet, *quod doctrina ab Apostolis proposita certa reperietur illo die.* Τὸ μαρτύριον ἡμῶν, *doctrina nostra*, quae illud beatitatis aeternae praemium promittit. Ἐπιστεύθη Aor. pro Fut. πιστευθήσεται, ut recte accepit Syrus. Deinde est pro נֶאֱמָן, *firmum, ratum factum est*, quia, quae talia sunt, iis credi solet. Rom. III, 2. Ἐφ' ὑμᾶς, לכם, *vobis. Illo die*, h. e. eo tempore, quo Christus cuivis reddet pro factis suis. Alii verba ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ referunt ad ὅταν ἔλθῃ, et verba: ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρ-

τύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς parenthesi includunt, sensu hoc: *nam fidem habuistis doctrinae nostrae vobis traditae.*

11. Εἰς ὃ καὶ — ἐν δυνάμει) *Propterea etiam oramus semper pro vobis, ut Deus noster vobis det beneficium* (beatitatis sempiternae, cuius spem fecit in Evangelio,) et *perficiat virtute* (sua) *benevolentiam* (vestram) *et liberalitatem a fide profectam.* (Vid. *Noesselt* Opusc. fasc. I. p. 300. ss.) Κλῆσις apud Paulum saepe est beneficium quodcunque, Rom. XI, 29. 31. maxime beneficium beatae immortalitatis, ad quod invitat Evangelium, ut Phil. III, 14. Hebr. III, 1. coll. II, 10. In loco nostro hanc significationem huic verbo inesse v. 10. clare confirmat. Εὐδοκία saepe de benevolentia dicitur, praesertim in bene faciendo (Rom. XV, 27.), ut εὐδοκία ἀγαθωσύνης possit esse beneficentia a benevolentia profecta. Ac Deo hoc tribui, quod is promptos reddat homines ac paratos ad bene faciendum, constat vel e 2 Cor. VIII, 1. πληρώσῃ idem est cum ἐπιτελέσῃ, Phil. I, 6. Denique ἔργον πίστεως est *liberalitas a religione profecta.* Nam ἔργον de beneficentia dici, satis constat, Phil. I, 6.; esse autem non Dei, sed Thessalonicensium in alios beneficentiam intelligendam, et illa coniunctio cum voce πίστεως suadet, et commemoratio amoris erga alios, v. 3., et illud πληρώσῃ, de quo modo diximus.

12. Ὅπως ἐνδοξασθῇ — ἐν ὑμῖν) *Ut honoretur Dominus noster I. Ch. per vos.* Ὄνομα κυρίου, idem quod κύριος, ut יהוה שם pro יהוה. Ἐν ὑμῖν, *per vos,* per vestra dicta, et facta, et perpes-

siones vestras. Io. XXI, 19. Ἐνδοξάζεσθαι ἐν τινί, ut supra v. 10. καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ) *Et vos ab ipso*, sc. ἐνδοξάσθητε, *laudem accipiatis*. Nihil enim gloriosius, quam optima de caussa pati pessima. Christiani igitur magnam laudem coram iudicio olim reportabunt.

CAP. II.

1. 2. Ἐρωτῶμεν — ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ) *Rogamus autem vos, fratres*, quod attinet *ad adventum Domini nostri Iesu Christi, nostramque ad eum congregationem, ne subito dimoveamini de mente (dass ihr euch nicht irre machen lasset), aut perterreamini vel doctrina* (s. oraculo male intellecto), *vel sermone, vel epistola tanquam nostra, quasi iam instet dies Christi.* Vid. in totum hunc locum v. 1—12. *Noesselti* disput. in Opusc. fasc. 2. p. 257. ss. et *Heydenreichii* enarrationem in *Wineri* et *Engelhardti neuem krit. Iourn. d. theol. Lit.* T. VIII, p. 3. sqq. 129. sqq. 282. sqq. Ἐρωτῶμεν, *rogamus, obsecramus.* Ὑπὲρ, i. e. περὶ, *quod attinet ad*, ut 2 Cor. I, 6. V, 12. VIII, 23. 24. Ἡ παρουσία τοῦ Χριστοῦ, *adventus Christi ad iudicium extremum.* Quanquam autem de ultimo hoc adventu Christi locus omnino intelligendus est, potuit tamen Paulus cogitare simul de adventu Christi ad excidium Hierosolymorum. Tempus enim huius adventus ignotum fuisse videtur Apostolis, Matth. XXIV, 36. Hoc tantum sciebant: diem illum solennem vere et indubitate, repente et subito esse venturum. Num vero excidium Hierosolymorum, et

excidium universale uno eodemque tempore, an vero alterum post aliquot annos, alterum elapso demum multorum seculorum spatio eventum habitura sint, omnino ignorarunt. Apostoli in Christianorum institutione nunquam tempus definiunt; de tempore potius nihil amplius se scire profitentur, nisi hoc unum, ante adventum Christi extremum variam errorum scelerumque contagionem, calamitatumque pestem esse metuendam; unde demum concludunt, non adeo propinquum diem illum futurum, quam ex multorum spe et opinione videatur. καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν) Ἐπ' αὐτὸν i. e. πρὸς αὐτὸν. Haec ἐπισυναγωγὴ coniuncta erit isti adventui, nec est diversa ab ea quae est Matth. XXV, 32. Videtur Paulus hoc ipso verbo mitigare terrorem, quem iste Christi dies iniecerat Thessalonicensibus, ut, quum eidem verbo notio insit tutelae et exemtionis e periculis (Matth. XXIII, 37. et XXIV, 31.), non sibi infaustum aut horribilem illum arbitrarentur. Timuisse enim, non tanquam laetum anhelasse hunc diem Thessalonicenses, clare docet hoc comm., ubi iungenda sunt haec verba: εἰς τὸ μὴ σαλεύεσθαι, pro τοῦ μὴ σαλεύεσθαι, praecedentibus v. 1. ἐρωτῶμεν ὑμᾶς. Σαλεύεσθαι a σάλος, *salum*, *unda maris;* unde proprie ναῦς σαλεύεσθαι dicitur, quum in alto mari fluctibus agitatur. Usurpatur deinde vox translate *de qualibet alia*, *maxime animi* agitatione, Act. XVII, 13. Arrian. Epictet. III, 26. μὴ ἀποσαλεύεσθαι διὰ σοφισμάτων. Θροεῖσθαι, *animo perturbari*, Matth. XXIV, 6. Fontes huius terroris fuisse dicit Paulus πνεῦμα, aut *sermonem*, aut *epistolam tanquam suam*. Πνεῦμα nonnulli h. l. esse volunt *oraculum* s. *vaticinium*, et provocant ad 1 Cor. XII, 10. 1 Io. IV, 1—3. Verum

in his locis πνεῦμα non esse videtur oraculum, sed potius doctor, homo πνευματικὸς, qui a Deo vel inspiratus est, vel se inspiratum esse mentitur. Erant tales homines inter Thessalonicenses; poterant vero inter eos esse, qui sublimiori spiritu abuterentur. *Noesselt* l. c. per πνεῦμα intelligit quamvis facultatem, sive institutionem, quae Christianis a Deo contigisset, nominatim tamen ipsius Christi oraculum Matth. XXIV, quod animo Pauli in loco nostro obversatum argumentis haud levibus confirmat. *Storrius* per πνεῦμα intelligit prophetas, vel omnino fallaces (1 Io. IV, 1. 3. 1 Tim. IV, 1.), vel eorum certe, de quibus a Deo nominatim fuissent admoniti, non ita tenaces, ut nihil, e. c. temporis definitionem admiscerent de suo. Porro *sermonem* et epistolam Noesseltus interpretatur de ipsius Pauli sermone et epistola, ut infra v. 15. Cf. supra v. 5. et 1 Thess. IV, 15. Potuit omnino Apostolus de epistola a se scripta loqui *tanquam* de sua ὡς δι' ἡμῶν, nec ex addita particula ὡς recte concluditur, intelligendam esse epistolam nomine Pauli ab alio scriptam et supposititiam; nam haec particula non semper negandi vim habet aut dubitandi, ac saepe redundat, ut 2 Cor. V, 19. Si hoc sumimus, dicendum erit, Thessalonicenses et Christi vaticinium et Pauli sermones ac epistolam falso intellexisse, et inde conclusisse, iam instare diem Christi. Nihil tamen impedit, quo minus intelligamus Apostolo temere aut fallaciter tributos sermones aut epistolas. *Caussae* autem *timoris* Thessalonicensium sunt obscurae. Fortassis nonnisi ex opinione, propinquum esse diem Domini hic eorum terror fluxit, quum id quod inopinatim accidat, celeriterque opprimat animum, terribile videri soleat. Fa-

cile igitur fieri potuit, ut Thessalonicenses rem sua natura optabilem vel ob propinquitatem variasque, quae praecederent, calamitates reformidarent.

3. Μή τις — τρόπον) Supple ὁρᾶτε, Φυλάττεσθε. *Nemo vos ullo modo fallat.* ὅτι, ἐὰν — ἡ ἀποστασία πρῶτον) Aposiopesis, hoc modo: ὅτι μὴ οὐ παραγένεται ἡ τοῦ Χριστοῦ ἡμέρα, ἐὰν μὴ πρότερον ἔλθῃ ἡ ἀποστασία. Difficillimum hunc locum varie explicant interpretes. Plurimis inter Protestantes ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, de quo statim sermo, est Pontifex Romanus, vel series Pontificum Romanorum, et κατέχων sunt Imperatores Romani. His ἀποστασία est discessus a puriore doctrina christiana. Alii totum hunc locum tantum ad eversionem Hierosolymorum referunt, et ἀποστασίαν intelligunt eiusmodi, qualem hoc excidium praegressam fuisse, historia docet. *Hammondus* ἀποστασίαν explicat de Christianorum ad Gnosticos defectione, fraudibus inprimis Simonis Magi, quem ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας esse putat, excitata et perfecta; *Schoettgenius* de rebellione Iudaeorum, qua auctoribus Pharisaeis et Rabbinis (quos nomine ἀνθρώπου τῆς ἁμαρτίας designari existimat,) deficere a Romano imperio instituerunt. *Grotius* ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας facit Caium Caesarem, eiusque impietatem et nequitiam summam τὴν ἀποστασίαν, quae eadem, suadentibus Helcione aliisque Aegyptiis nebulonibus, iam in arcano se praeparabat. *Wetstenius:* ἀποστασία, rebellio et caedes trium principum, qui ante Vespasianum ab exercitibus Romanis imperatores proclamati fuerant. Ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, Titus imperator, domusque Flavia. Horum, aliorumque interpretum rationes

recenset et refutat *Koppe*, Excurs. II. in hanc Epistolam. Mihi pro instituti ratione has sententias commemorasse sufficit. *Koppe* omnem, quae sequitur, impietatis descriptionem ex loco Dan. XI, 56. repetitam esse statuit. Utrum vero Apostolus ipse hunc omnem Prophetae locum ad prodigia regnum Messiae praegressura loco nostro primus accommodaverit, an vero ex eodem, iam antea aliud gentis Iudaicae oraculum, (non illud quidem libris sacris comprehensum, sed inter Iudaeos tamen notissimum,) conflatum, hocque ipsum ab Apostolo demum ad suam rem accommodatum fuerit, certo sibi non liquere fatetur; probabilius tamen posterius existimat, quum, quae in magna alias locorum Danielis et nostri similitudine, negari non potest in nonnullis dissimilitudo, ex hac ratione facilius intelligi et explicari posse videatur. (Ad locum Danielis respexisse Apostolum, a verosimili haud abhorret; reliqua vero coniecturis nituntur.) Ex hac igitur hypothesi admonet Apostolus Christianos suos de eo, quod iam aliunde maxime ex ipsis V. T. oraculis edocti erant, non posse diem illum, quem tam anxie expectarent, adesse, nisi errores, vitia, calamitates denique insignes in oraculis istis praedicta antea evenissent; deinde vero, quum insignem quandam errorum et improbitatis contagionem iam tum gliscere, partim inter Thessalonicenses, partim in ceteris ecclesiis Paulus animadverteret, ipse adventum Christi, etsi non illico futurum, tamen etiam non longe remotum et optans et facile sperans, hanc ipsam improbitatem ad singularis istius praedictae impietatis initia referre non dubitat, eiusdem tamen incrementa ante Christi adventum multo adhuc maiora magisque tremenda fore praevidet et commina-

tur. Mihi omnibus reliquis praeferenda esse videtur *Noesselti* sententia, (l. c. p. 279. ss.) interpretantis ἀποστασίαν *de Iudaeorum seditione et impetu in dominationem Romanam.* Satis caussae habere potuit Apostolus, cur hanc ἀποστασίαν commemoraret, quum is inter Thessalonicenses versaretur, v. 5. Namque a Iudaeis proficiscebatur omnis molestia ac vis, qua ii propter religionem christianam exagitabantur, habebatque maximam vim ad animos Thessalonicensium Christianorum tranquillandos denunciatio, fore ut Romani Iudaeorum furore lacessiti horum seditionem ulciscerentur, contra Christiani, labefactata Iudaeorum impotentia, liberarentur a perpetua Iudaeorum vexatione. Cf. supra c. I, 4. seqq. Negat igitur Paulus venturum esse Christum, *prius quam exstiterit defectio quaedam,* καὶ ἀποκαλυφθῇ — τῆς ἀπωλείας, *seque prodiderit homo ille sceleratissimus et perditissimus.* Ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, אִישׁ אָוֶן Prov. VI, 12., *scelestissimus ille*, vel etiam *seditiosissimus;* nam ἁμαρτία dicitur de quocunque scelere, de seditione etiam, ut Hebr. XII, 3., in primis adversus Deum, ut Hebr. X, 26. et alibi. Ὁ υἱὸς τῆς ἀπολείας, אָדָם בְּלִיַּעַל Prov. VI, 12., *perditissimus*, aut *desperatissimus ille.* An Paulus unum singularem hominem, an plures notaverit his verbis, deinceps videbimus. Collectivum certe nomen esse *potest;* nam plures saepe uno nomine aut una imagine significantur, ut Ioannes ipse 1 epist. II, 18. τὸν ἀντίχριστον de multis Christi adversariis interpretatur, qui locus perspicue docet, nullam vim esse praepositi articuli, quae efficiat, ut nonnisi unus hic debeat intelligi.

4. Ὁ ἀντικείμενος — ὅτι ἐστὶ θεὸς) *Qui seditionem faciat efferatque sese contra omnem qui Deus dicitur aut venerabilis, ita ut is instar Dei etiam audeat in templo Dei considere, atque se ipse praebere Deum.* ὁ ἀντικείμενος — ἢ σέβασμα, *Dei omnisque divini cultus superbus contemtor.* Verba ἐπὶ πάντα θεὸν desumta sunt ex Dan. XI, 36. ubi LXX. habent: ὑψωθήσεται καὶ μεγαλυνθήσεται ἐπὶ πάντα θεὸν. Mutuatus est tamen Apostolus verba tantum, non quoque sensum; minime enim loquitur de illo rege, cuius res gestas Daniel narravit, alia etiam pro Danielis verbis substituit, in quibus substitutis ea est significatio, perditissimum illum *seditionem esse facturum, et sese elaturum contra omnem qui Deus dicitur aut venerabilis.* Ἀντικείμενος pertinet ad verba ἐπὶ πάντα θεὸν, et ἐπὶ hic ut saepius, *contra, adversus,* significat, ut Matth. X, 21. Marc. III, 24. Matth. XXVI, 55. Πᾶς λεγόμενος θεὸς, *quisquis Deus vocatur,* sive ille sit verus Deus, sive aliarum gentium Dii falsi, sive Principes etiam et magistratus, qui *terreni* Dii et κύριοι appellantur, ut אֱלֹהִים Hebraeis. Potest tamen haec formula universaliter accipi: *wider alles, was Gott und göttlich heisst.* Σέβασμα, quod ad cultum religiosum pertinet, velut templa, arae, Deorum statuae. Act. XVII, 23. ὥστε αὐτὸν — ἐστι θεὸς) *Ita ut se in templo Dei collocet, coram omnibus Deus haberi cupiens.* Καθίσαι saepissime est transitivum, ut Eph. I, 20., αὐτὸν autem ponitur pro ἑαυτὸν, aut scribendum αὑτὸν, quod liberum nobis, quum veteres codices istas spirituum, quos vocant, notas haud habuerint. Ἀποδεικνύντα, i. e. πειρώμενον ἀποδεικνύναι,

sive σπουδάζοντα θεὸν νομίζεσθαι. Haec omnia proprie intelligi, nulla efflagitat necessitas, quasi nempe impius ille in ipso templo Hierosolymitano adorari se aliquando passurus esset: potest enim, ut in oraculis fieri solet, poëtice et symbolice exprimi impietas summa, coniuncta cum effraenata libidine, omnisque divini numinis contemtu. Haud raro ii se quasi ingerere in cultum honoremque divinum dicuntur, qui persuadendo aut cogendo se magis audiri postulant quam Deum, omninoque qui pari cum Deo dignitate fruuntur, ut *Deus* vel in Scripturis sacris est pro omni re aut persona, quam quis maxime colat et sequatur, ut Phil. III, 19. Col. III, 5. Io. X, 35. 2 Cov. IV, 4. Cultum denique et adorationem divinam postulare sibi, nihil aliud est quam velle, ea sibi fieri quae uni debentur Deo, ut Matth. IV, 9. Apoc. XIII, 4. XIV, 9. Iam, si de sensu quaeratur, negari nequit locum nostrum ita similem esse illi vaticinationi Christi quae legitur Matth. XXIV. Marc. XIII. et Luc. XXI., et illi quae per omnem Apocalypseos Ioanneae librum diffusa est, ut vel verbis ex illis expressus videatur; quod fuse demonstravit *Noesselt* l. c. p. 263. seqq. Consentiunt autem fere recentiores interpretes, omnem illam Christi vaticinationem ad eversionem Hierosolymorum, signaque antegressa, ut vexationem Christianorum a Iudaeis, fraudem eorum qui Iudaeis auctores essent seditionis adversus Romanos, ceteraque referendam esse, quanquam concedi debet, ab isto reipublicae Iudaicae exitio Christianorumque liberatione posthaec apud Matthaeum Christi sermonem ad diem hominibus universis fatalem converti. Apocalypsis etiam Ioannis ita similis est Pauli loco, ut Paulus compressius, Ioannes latius

eandem rem proposuisse, atque Pauli sententias quasi commentario dilatasse videatur. Ergo sumere licebit, utramque vaticinationem Christi et Ioannis monstrare nobis vias ad verum loci nostri sensum reperiendum. Hoc posito, ii qui v. 3. et 4. nominibus collectivis describuntur, ut in Christi oraculo, erunt omnes, qui ante eversionem Hierosolymorum sibi vindicabant auctoritatem Dei, quos Christus ψευδοπροφήτας dicit, quorum quisque se Christum inter Iudaeos, h. e. liberatorem populi Iudaici mentiebatur, efficiebatque oblatis monstris et portentis, ut Iudaei decepti ad bellum Romanis inferendum persequendumque inflammarentur, ut omnes ii, qui talem tanquam a Deo ad Iudaeos servitute Romana liberandos missum colebant, laudabantque, eum tanquam praesentissimum Deum venerarentur. Cf. etiam Apocal. XI, 7. seqq. XIII, 5. sqq. et loca similia. Nominatim vero zelotae tales fuerunt, quales Paulus Ioannesque descripsit, quod omnes eorum mores, si *Iosephum* audiamus, loquuntur. Sic Ananus, Pontifex Maximus apud Iosephum (de Bello Iud. IV, 3. 10.) contra zelotas et de iis dicit: *domum Dei nefandis piaculis repletam, et sacra conculcata, Iudaeos autem medio sanctuario inambulare, calidis quasi caede popularium manibus, Numenque divinum contumeliose tractare, quum ne Romani quidem ipsi unquam limitem profanorum transierint, vel sacras consuetudines violarint, sed sacrorum locorum ambitum quasi eminus cum horrore adspexerint.* Multa alia commemorat Iosephus de horum hominum immani crudelitate, impudicitia, foedissimaque libidine, seditione, atque ab Imperatore Romano defectione. Vid. *Noesselt* p. 288. sqq. Obiicitur con-

tra hanc interpretationem, eversionem Hierosolymorum et seditionem adversus Romanos antegressam *proxime abfuisse;* igitur non apparere, cur Apostolus scripserit (v. 1.), *falli eos et fallere, qui praesentiae Christi tempus iam instare perhiberent.* Vid. *Allgem. deutsche Biblioth.* T. CVI, p. 352. Quapropter *Storrius* (in dissert. saepe laudata p. 35. ss.) illam τοῦ ἀνθρώπου τῆς ἁμαρτίας descriptionem existimat ad potestatem aliquam, Deo omnique religioni adversariam pertinere, quae penitus incognita nobis et futuro demum tempore se proditura sit. Argumenta pro hac sententia lege apud ipsum. *Heidenreichius* quoque de certo quodam Christi Christianorumque adversario, Ἀντιχρίστῳ, olim venturo, cogitat. Sed Paulus tamen eo tempore, quo haec scripsit, nondum adesse diem domini asserit v. 2., quanquam *suspicatus est,* non definivit (v. 7.) eum *non longe abesse.* Vide notata ad v. 1. 2. Proinde *Noesselti* sententiam non deserendam esse putaverim. Conf. etiam *Allgemeine deutsche Biblioth.* in Append. T. LIII — LXXXVI. Sect. II. pag. 1198. s. *Michaelis Anmerk. zu seiner Uebers. des N. T.* P. IV. p. 69.

5. Οὐ μνημονεύετε — ἔλεγον ὑμῖν;) Non nunc primum haec dico, ne nunc me ista comminisci putetis, lucrandi temporis caussa. Iam alias coram a me admoniti fuistis de ea re.

6. Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε) *Atqui scitis, quid illum impediat,* quo minus erumpat. Κατέχειν respondet Hebraeo אָחַר Gen. XXIV, 56. אָסַר Gen. XLII, 19. Cf. statim v. 7., ubi in masculino ὁ κατέ-

χον dicitur. Hominem itaque designari facile apparet; quis autem fuerit, obscurum est. *Augustinus:* „Quidam putant, hoc de imperio dictum fuisse Romano; et propterea Paulum Apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quod romano imperio male optaverit, quum speraretur aeternum.“ Ipse addit: „Illud, quod ait Apostolus, *tantum, qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat*, non absurde de ipso romano imperio creditur dictum.“ Omnia tamen τὸ κατέχον, quid sit, definiendi tentamina Augustinus recte appellat *suspiciones*, et haec observat: „*Et nunc, quid detineat, scitis*, i. e. quid sit in mora, quae causa sit dilationis eius, ut reveletur in suo tempore, scitis: *quoniam scire illos dixit*, aperte hoc dicere noluit. Et ideo *nos*, qui *nescimus*, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus, praesertim quia et illa, quae addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. *Ego prorsus, quid dixerit, me fateor ignorare.*“ *Noesselsus* divinat, fuisse *Claudium*, qui tum, quum Paulus haec scriberet, summam imperii Romani tenebat; eo enim extincto, sub successore Nerone inveteratum Iudaeorum odium tacitaeque discordiae sese ostendentes emerserunt. εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι — καιρῷ) *Ut ille* (seditiosus) *suo demum tempore emergat.* Quid nunc eum impediat, nostis, sed tamen suo tempore vim suam exseret. Verbis ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ tempus quo exstitura esset illa seditio, designatur ab eo tempore (νῦν), quo Paulus haec ad Thessalonicenses scripsit.

7. Τὸ γὰρ μυστήριον — γένηται) *Namque occulta iam serpit seditio, usque dum, qui cohibet, sit su-*

blatus e medio. Μυστήριον est simpliciter *quicquid alios latet, arcanum,* Rom. XVI, 25., adiuncta tamen nonnunquam magnitudinis et inauditae turpitudinis notione, velut apud Ioseph. de B. I. I, 24. τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας μυστήριον. Ἀνομία, Synonymum τῆς ἀποστασίας, v. 3. Sic LXX. et Theodotion hebr. סָרָה interpretantur ἀποστασίαν et ἀνομίαν. Cf. Ies. I, 5. Ἐνεργεῖται, *agit*, operatur, vel potius Passive: *cuditur*, serpit. μόνον — ἐκ μέσου γένηται) Constructio est talis: μόνον ἕως ἐκ μέσου γένηται ὁ ἄρτι κατέχων, καὶ τότε etc., *modo e vita discesserit is, qui adhuc detinet impietatem*, tum nihil amplius erit, quo eius vis porro coërceatur. Ὁ κατέχων, in masculino, indicat hominem quendam. Habet tamen Syrus et hic Neutrum, ut v. 6. et posset itaque in se etiam intelligi *eventus quilibet.* Ἐκ μέσου γίνεσθαι, *e medio tolli*, dicitur homo, quando necatur, vel morte violenta opprimitur. Paulum de seipso loqui (quam sententiam nuper *Heidenreichius* quoque exornavit), verisimile non est: nam (ut statim dicet Apostolus, com. 8.) post mortem huius κατέχοντος statim se ostendet impius ille, et poena afficietur in adventu Christi. *Storrio* ὁ κατέχων h. l. videtur esse *copia hominum verissimo amore inflammatorum in christianam religionem*, ut forma loquendi sit *infinita*, quae ad *plures* pertinere possit, ut Rom. XII, 7. 8. Nam religionis christianae studiosi et observantes homines impediunt *defectionem illam extremam ac singularem a religione christiana*, τὴν ἀποστασίαν (v. 3.), quae nefariae isti et sceleratissimae potestati (τῷ ἀνθρώπῳ τῆς ἁμαρτίας, v. 3.) viam munit, demum

prodendi se et caput extollendi. Quando vero religionis christianae strenui et ingenui professores e medio remoti erunt, (sive moriantur, et succedens aetas non habeat multos, qui eorum partes reique christianae similem amorem suscipiant, sive ipsi a religionis christianae studio deterreri aut avocari se patiantur, sive in exilium pellantur, sive alio ullo modo submoveantur,) tunc obtrectatores religionis christianae et adversarii, quorum consiliis Christianorum sincerorum pietas erga Christum obstitit (v. 7.), apud eos, qui nomine potius, consuetudine et fluxorum commodorum studio, quam re ipsi Christiani sunt, eo facile valebunt, ut, contraria consuetudine ab eaque expectandis commodis ducti, a christiana religione desciscant. Haec est Storrii (quam *Heydenreichius* haud improbabilem existimat) sententia, quam aliis examinandam relinquimus, quum hoc sit a nostro consilio alienum. Verisimile non est, Paulum praevidisse, quae post multorum seculorum decursum essent eventura; sed isto iam tempore Iudaeorum serpere seditionem (v. 7.) facile comperire, et quid inde eventurum esset animo praesagire, oraculo Christi monitus, poterat.

8. Καὶ τότε—ὁ ἄνομος) *Et tunc prodet se seditiosus ille.* Ὁ ἄνομος idem, qui supra ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. ὃν ὁ κύριος—τοῦ στόματος αὐτοῦ) Post ὁ κύριος addunt Ἰησοῦς Codices, Versiones et Patres diversarum recensionum. *Quem Dominus Iesus penitus perdet vi sua potentissima, et e medio tollet, quum maiestate insignis adveniet.* Ἀναλίσκειν, *penitus perdere, consumere.* Τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, בְּרוּחַ פִּיו Ps. XXXIII, 6. s. בְּרוּחַ

שִׁפְתֵי Ies. XI, 4. Poëtica descriptio potentiae divinae, quae vel *verbo*, vel *solo* quasi *afflatu* morti et perniciei dare homines valet. In sequentibus verbis est ἐπεξήγησις priorum, more Hebraeo. Καταργεῖν verbo ἀναλίσκειν sensu non differt. Ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας, *adventus illustratio*, est, ἐπιφανὴς παρουσία, *illustris adventus*, adventus splendore et maiestate insignis. Per ἐπιφάνειαν, *praesentiam* Deorum, Profani saepe intelligunt *potentiam eorum, et vim* hominibus salutarem. Dionys. Hal. Ant. L. II, 98. Vestam narrat, saepe ἐπιφάνειαν — ἐπιδείξασθαι ταῖς ἀδίκως ἐγκληθείσαις παρθένοις, *efficax auxilium ostendisse periclitantibus falso crimine virginibus*. Sic ergo haec ἐπιφάνεια τοῦ Χριστοῦ simul innuit, hanc τοῦ ἀνόμου perniciem piis simul fore salutarem, quo sensu et hebraicum נוֹרָאוֹת, *facta tremenda*, 2 Sam. VII, 23. per ἐπιφάνειαν a Graecis vertuntur. Illustrem aut praesentissimum adventum Domini contineri excidio Hierosolymitano sua sponte intelligitur. Non obstat, quod sic παρουσία Domini alio sensu accipiatur quam v. 1., ubi Paulus de ultimo Christi adventu locutus fuerat. Nam παρουσίαν Dei in sacris litteris saepe de quacunque effectione divina, et nonnunquam etiam de adventu Christi ad reipublicae Iudaicae excidium usurpari (veluti Luc. XVII, 24. Matth. XXIV, 27.), satis constat. Quis intelligendus sit adventus, ceterae res indicant quae in aliquo loco commemorantur. Hoc autem loco Paulus supplicium, quo Christus affecturus esset Iudaeos, aptissime appellat παρουσίαν τοῦ Κυρίου, propterea quod eam tanquam contrariam opponere vellet τῇ παρουσίᾳ τοῦ ἀνόμου, nec

erat necesse, ut haec Domini παρουσία ab altera illa v. 1. aliter discerneretur, quam commemoratione rerum, quae, qualem Christi παρουσίαν v. 8. significasset, planissime docerent. Coniungit Paulus mentionem utriusque adventus, sive quod sciret utrumque a Iudaeis, quales fuerant Thessalonicenses, nullo modo discerni, sed unum in tempus coniici, sive quod ipse tempus nesciret. Istam autem vim Christi, qua se praesentem Iudaeis seditiosis ostenderit, eosque funditus deleverit, exprimit Paulus his verbis: *Dominus evertet eos halitu oris sui, penitus perdet et consumet.*

9. Οὗ ἐστιν — τέρασι ψεύδους) *Ille quum aderit, varia miraculorum fraudulentorum genera vi Satanae patrabit.* Referendum est οὗ ad τὸν ἄνομον, non ad proximum αὐτοῦ. Δύναμις, *vis miracula patrandi*, ut σημεῖα et τέρατα, *miracula ipsa.* Nec tamen haec tria vocabula anxie sunt distinguenda; nam designantur tantum varia miraculorum genera. Ψεῦδος, hebr. שֶׁקֶר vel שָׁוְא, *vanitas, fraus.* Τέρατα ψεύδους, pro ψευστὰ, *miracula falsa, fraudulenta.* Ἡ παρουσία αὐτοῦ ἐστιν ἐν πάσῃ δυνάμει, *quum aderit, patrabit miracula.* Κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ refer ad verba ἐν πάσῃ δυνάμει etc. *Vi Satanae.* Potest hoc intelligi vel de miraculis adiuvante Satana patratis, vel de meris praestigiatorum artibus, maxime si eo consilio et ea vi excogitentur et suscipiantur, ut religioni noxa inferatur. Quicquid enim impedimentum religionis est, id operationi Satanae tribuitur. Io. XIV, 50. Rom. XVI, 20. 1 Tim. V, 15. De fraude et commenticiis prodigiis zelotarum Iosephus (de B. Iud. VI, 5. 3.): *miserum populum*, (in-

quit,) *Deum ementiti* (καταψευδόμενοι τοῦ θεοῦ) *in suas partes traxerunt. Caussa interitus Iudaeorum,* ut paullo ante refert (ibidem §. 2.) *erat falsus quidam propheta, qui illo tempore civibus nunciaverat: Deus iubet in templum ascendere consecuturos salutis signa. Multi autem tum erant subornati a tyrannis ad populum prophetae, nunciantes exspectandum esse auxilium a Deo.*

10. Καὶ ἐν πάσῃ—ἀπολλυμένοις) *Et varii generis impias fraudes exercebit inter improbos perditosque homines.* Ἀπάτη, *impostura, deceptio,* et de doctrina falsorum Prophetarum, et de artibus, quibus eam animis hominum insinuare studebant, dicitur. Ἀπάτη ἀδικίας, pro ἀδικὸς i. e. ἀσεβὴς, *fraudes impiae.* Ἀδικία inter hebraeas voces maxime respondentem habet עָוֶל, quae et παρανομία et ἀσέβεια vertitur. Ἀπολλυμένοι, *homines perditi,* quales erant, qui corrumpi a pseudoprophetis se patiebantur, et quos inevitabilis miseria expectat. Hoc loco nominatim sunt ii, qui decepti portentis et fraude nefaria, cultu et obsequio prosecuti sunt zelotas, facti ipsis amici aut sceleris certe socii. Ἀνθ' ὧν—σωθῆναι αὐτοὺς) *Quoniam non admiserunt veritatem qua servari potuissent.* Ἀνθ' ὧν, תַּחַת אֲשֶׁר *propterea quod.* Ἀγάπην τῆς ἀληθείας δέχεσθαι, pro ἀγαπᾷν τὴν ἀλήθειαν, *operam dare cognoscendae veritati.* Ἀλήθεια, quam isti perditi homines repudiarunt, est in universum verae religionis doctrina, qua mores eorum pessimi corrigi potuissent, si ei praebuissent aures, inprimis vero doctrina christiana, Gal. V, 7. *Grotius*

ἀγάπην interpretatur beneficium Dei in patefacienda nobis veritate Evangelica. Εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς. Si enim accepissent Evangelium, servati et ipsi fuissent, serio id agente Deo.

11. Καὶ διὰ τοῦτο — τῷ ψεύδει) *Quapropter permittet Deus ut speciosis gravissimisque pseudoprophetarum fraudibus decipiantur.* Διὰ τοῦτο, sc. τὸ μὴ δέξασθαι αὐτοὺς τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας. Πέμψει, i. e. *permittet*, patietur, ut tales res eveniant. Ἐνέργειαν πλάνης, i. e. πλάνην ἐνεργῆ, fraudes efficacissimas, speciosas, tum eruditionis ostentatione, nec non signorum praestigiis, tum eo maxime, quod carni blandiantur. ψεῦδος, שֶׁקֶר, *doctrina spuria, spuriis miraculis confirmata.*

12. Ἵνα κριθῶσι—ἐν τῇ ἀδικίᾳ) Ἵνα est ἐκβατικόν. *ita fiet ut* etc. Κρίνειν שָׁפַט h. l. ut saepius est poenis et suppliciis afficere, quod alias est κατακρίνειν. Sub poenis autem h. l. intelligenda sunt mala, quae necessario illos errore consequuntur, e. c. ut careant omnibus Evangelii beneficiis in hac vita, et futura post hanc vitam felicitate. Ἀλήθεια et ἀδικία, supra v. 10.

13. Ὅτι εἵλετο — εἰς σωτηρίαν) *Quod estis inter primos quos Deus per Christum felices reddere voluit.* Αἱρεσθαι, quod alias ἐκλέγεσθαι, hebr. בָּחַר, Deut. XXVI, 18. Σωτηρία, יְשׁוּעָה, pro εὐδαιμονία. Ἀπ' ἀρχῆς, respondet vocibus hebraicis מֵעוֹלָם et מִקֶּדֶם.

Potest intelligi de aeternis Dei consiliis in adducendis ad christianam religionem Thessalonicensibus; potest etiam sumi pro בְּרֵאשִׁית, 2 Sam. VII, 10. Zach. XII, 7., *ab initio*, sc. Evangelii. ἐν ἁγιασμῷ — ἀληθείας) *Dum spiritus sui donis vos sibi consecravit, et perduxit ad obsequium verae religioni praestitum.* Referuntur haec ad εἵλετο ὑμᾶς, et posita videntur pro ἡγιασμένους ὑμᾶς ἐν πνεύματι. Ἁγιάζεσθαι igitur non multum differt a significatione verbi αἵρεσθαι, quod exprimit dignitatem illam insignem, quae, ut olim Iudaeis prae ceteris gentibus, sic nunc Christianis contigit, ut nempe essent Dei populus peculiaris. Potest etiam ἁγιασμὸς esse conversio vel emendatio mentis. Πνεῦμα autem denotat dona illa spiritus, quibus Thessalonicenses convicti de veritate, et emendati mente fuerunt, ipsa doctrina Christi, quae, quoniam perfectior est lege Mosaica saepe in N. T. πνεῦμα appellatur. Πίστις ἀληθείας h. e. πίστις εἰς ἀλήθειαν, *fides religioni Christianae adhibita.* Sensus igitur est: Deus ad salutem vos perduxit *dum emendavit vos per doctrinam Christi perfectiorem, et effecit ut fidem haberetis religioni.*

14. Εἰς ὃ — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Ad hoc enim* (obsequium doctrinae Christi praestandum,) *vocavit vos Deus institutione nostra etc.* potest etiam εἰς ὃ referri ad totam illam rem, de qua v. 13. sermo fuerat, nempe ad felicitatem, qua Thessalonicenses tanquam Christiani fruebantur, et cognitionem atque mentis emendationem, qua huius felicitatis capaces redditi fuerant. Εὐαγγέλιον autem h. l. est institutio Apostoli ipsa, Rom. II, 16. 1 Thess. I, 5. Εἰς περιποίησιν

δόξης — Χριστοῦ, *ut consequamini felicitatem a Domino nostro I. nobis paratam.* Εἰς περιποίησιν δόξης pro εἰς τὸ περιποιεῖσθαι (κτᾶσθαι, hebr. עֲשִׂיָּה Prov. VI, 32.) δόξαν. Δόξα autem, hebr. כָּבוֹד h. l. σωτηρία, salus aeterna; et vocatur δόξα Χριστοῦ, quia similitudinem habet cum ea, qua Christus fruitur, et quia Christus eam nobis paravit.

15. Στήκετε—ἐπιστολῆς ἡμῶν) *Constantes estote, et obsequium praestate praeceptis, quae didicistis a me, sive coram sive per litteras.* Στήκειν, *constantem esse in religione*, 1 Cor. XVI, 13. Παράδοσις est omnis institutio, doctrina, Matth. XV, 2., quem locum confer, et ibidem a nobis annotata. Κρατεῖν, idem quod κατέχειν, *tenere* doctrinam, t ita quidem tenere, ut ei praestes *obsequium*, 1 Cor. XI, 2. λόγος est institutio Christianis coram tradita, quum apud eos esset.

16. Ὁ ἀγαπήσας—ἐν χάριτι) *Qui pro suo in nos favore perpetuam consolationem et spem maximae felicitatis nobis largitus est, nullo merito nostro.* Ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς καὶ δοὺς, coniungi possunt, et verti: *qui pro suo in nos favore dat* etc. Παράκλησις αἰώνιος vocatur ex obiecto, promissio aeternae felicitatis. Ἐλπὶς ἀγαθὴ, *spes rerum optimarum*, et maxime futurae felicitatis, ut non tantum felicitatis, sed etiam bonorum eius spem dedisse celebretur Deus. Ἐν χάριτι, *nullo merito nostro*, sua benignitate.

17. Παρακαλέσαι—ἀγαθῷ) *Consoletur animos vestros, confirmetque vos, ut in doctrina et recte*

agendo constantes sitis. Ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, i. e. εἰς πάντα λόγον καὶ πᾶν ἔργον ἀγαθόν.

CAP. III.

1. Ἵνα—πρὸς ὑμᾶς) *Ut doctrina Domini cito propagetur, et approbetur laudeturque, sicut apud vos.* Λόγος τρέχει, ירוץ דבר יהוה Ps. CXLVII, 15., ab una urbe, regione, provincia in alteram cito dimanat doctrina. Λόγος δοξάζεται, vel passive: *approbatur, laudibus celebratur,* vel in Medio: *ipsa sibi laudem parat,* nempe vim suam exserendo in animis hominum. Πρὸς, *apud.*

2. Καὶ ἵνα—ἀνθρώπων) *Et ut liberemur a flagitiosis, malisque hominibus;* i. e. faciat Deus, ne aut calumniis, aut etiam exemplo nobis noceant. Ἄτοποι, *homines flagitiosi.* Hesych. ἄτοπον, πονηρὸν, αἰσχρὸν. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις) Sunt qui vertant: *Non enim omnibus confidere possumus.* Rara fides. Μὴ πάντων, pro ὀλίγων ex linguarum omnium ratione. Πίστις, *integritas, animi candor. Hessius: Wie denn Treu und Glauben sehr selten ist.* Sed rectius alii: *non enim omnes fidem habent* institutioni religionis christianae; immo multi ei adversantur. Referri hoc potest ad ea loca, ubi tum Paulus docebat. Nam Thessalonicensium fidem laudaverat v. 1.

3. Πιστὸς—πονηροῦ) Πιστός ἐστιν ὁ κύριος, *fidem servat Dominus;* tuto ei confidere possumus,

nam tutos confirmat et servat suos, quia constans est in iis efficiendis, quae instituit, 1 Thess. V, 24. Ὁ κύριος, *Deus*, vel *Christus*. Τοῦ πονηροῦ vel est Genitivus Neutrius τὸ πονηρὸν, et significat calamitates, quae Thessalonicensibus erant perferendae; vel est Masculini ὁ πονηρὸς, et dicitur de *Satana*, omnis calamitatis et pravitatis auctore. Potest etiam obiective sumi de quovis homine improbo.

4. Πεποίθαμεν — ἐφ' ὑμᾶς) *Optime de vobis spero, Deo adiuvante.* Ἐν κυρίῳ, *Deo adiuvante.*

5. Ὁ δὲ κύριος — τοῦ Χριστοῦ) *Deus autem faciat, ut animi vestri sint attenti ad amorem Dei, et ad Christi in perferendis calamitatibus patientiam.* Κατευθύνειν, *dirigere* τὴν καρδίαν εἴς τι, *facere ut quis attendat ad aliquid*, vel perducere hominem ad aliquid. Ἀγάπη τοῦ θεοῦ, *amor erga Deum.* Ὑπομονὴ τοῦ Χριστοῦ, *Christi in perferendis calamitatibus patientia*, Hebr. XII, 2. Alii: *Imbuat Dominus animos vestros amore erga Deum, et patientia christiana*, ut ἡ ὑπομονὴ τοῦ Χριστοῦ sit *patientia ad exemplum Christi*; ne sic quidem male.

6. Παραγγέλλομεν — περιπατοῦντος) *Praecipimus autem, fratres, ex auctoritate Domini nostri, Iesu Christi, ut subtrahatis vos consuetudini cuiusque Christiani, qui disciplina neglecta vivit incontinenter.* Στέλλεσθαι, vel στέλλειν, ὑποστέλλειν ἑαυτὸν ἀπό τινος, subtrahere se consuetudini alterius. Hesych. στέλλεσθαι, φοβεῖσθαι. Παντὸς pro ἑκάστου, כל. Ἀτάκτως περιπατεῖν, *neglecta disciplina*

vivere incontinenter, vel dissolutam agere vitam. Videntur fuisse inter Thessalonicenses, qui neglecta opera manuaria, circumcursitabant aliorum Christianorum aedes, tempus inutiliter consumentes, et opes lucrari annisi.

7. Πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς) Quomodo vobis vivendum sit, ut nos imitemini. 1 Thess. I, 6.

8. Ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν — τινα ὑμῶν) *Non enim incontinentem inter vos egi vitam, neque gratis ab aliquo victum accepi; sed molesto labore* (victum mihi paravi) *assidue operam exercendo manuariam, ne cuiquam vestrum molestus essem.* Ἀτακτεῖν est ἀτάκτως περιπατεῖν, v. 6. Ἄρτον φαγεῖν παρά τινος, proverbialis locutio: *accipere ab altero, quicquid ad vitam sustentandam opus fuerit.* Κόπος καὶ μόχθος, *vitae laboriosae molestias* exprimit. Νύκτα καὶ ἡμέραν, *assidue.* Ἐπιβαρῆσαι. Vid. 1 Thess. I, 5.

9. Οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν) Ius nobis non deerat vivendi vestro sumtu. 1 Cor. IX, 9. sq.

10. Ὅτι, εἴ τις — ἐσθιέτω) Adagium est Hebraeorum vetus: *qui non operatur, non comedit,* quod extat in Bereschit Rabba c. 14. Cf. *Drusii* Praeterita ad h. l. Est et alia sententia non dissimilis in libro *Zeror: Qui non laboraverit in Prosabbato, ne edat in Sabbato.* Amant Apostoli, ut et Christus, sententiis uti bonis, quae in ore erant populi aut sapientum. Sensus est: Qui labore victum sibi parare detractat, quum

tamen sibi parare possit, is liberalitate vestra est indignus.

11. Περιεργαζομένους) *Res alienas curantes;* negligentes, quod ipsorum est, et aliorum negotiis se immiscentes. In Glossario: *περιεργάζομαι, sciscitor; περίεργος, curiosus.* De tali hominum genere Horatius: *Percunctatorem fugito; nam garrulus idem est.* Et apud Aeschinem iuncta leguntur *περίεργος* et *συκοφάντης.* Eos ergo intelligit, qui aliena scrutando, et inde apud alios captando iocandi materiam, hoc misero vitae genere se sustentarent. De simili vitio feminarum agitur 1 Tim. V. 13.

12. Τοῖς δὲ τοιούτοις — ἐσθίωσιν) Διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν I. X., *Iesu Christi mandato.* Μετὰ ἡσυχίας, *tranquille,* opponitur discursantibus et garrientibus. Τὸν ἑαυτοῦ ἄρτον ἐσθίειν, *sibi ipsi victum parare suo labore.* Comicis Latinis et Graecis *cibus alienus,* et ἀλλοτρία μάζα est vita parasitica. Ἄρτος, ut לֶחֶם apud Hebraeos pro omni cibo ponitur.

13. Μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες) *Ne fatigemini recte agendo,* vel potius *benefaciendo,* ut Gal. VI, 9., ubi τὸ καλὸν ποιεῖν, quod hic contracte καλοποιεῖν. Peccant quidem, inquit Paulus, qui victum sibi labore manuum parare detrectant, et aliis sunt graves. Vos autem non decet segnescere in benefaciendo.

14. Εἰ δέ τις — σημειοῦσθε) λόγος, דָּבָר, ἐντολαὶ, *praecepta* v. 12. proposita. Διὰ τῆς ἐπιστολῆς

τοῦτον σημειοῦσθε, *per litteras hunc mihi indicate;* ut ego deinde statuam id, quod Spiritus dictaverit, 1 Cor. V, 5. In Glossario: σημειοῦμαι, *noto, signo.* Denotat vero etiam *significo, indico,* Philo de Ios. p. 560. A. δυσὶν ἤδη μαρτύρίαις σημειωσάμενος, τὸ μηδὲν ἔχθος ὑποτύφεσθαι, *quum duobus testimoniis indicasset, nullam simultatem apud se latere.* Ambiguum tamen est, utrum verba διὰ τῆς ἐπιστολῆς cum praecedentibus, an cum sequentibus sint connectenda. Si ea cum praecedentibus connectas, sensus erit: Si quis his praeceptis, per hanc epistolam hactenus explicatis, auscultare recusat, hunc talem μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ) *Nullam rem cum eo habete.* Συναναμίγνυσθαι est *familiariter uti,* συγχρῆσθαι alibi. ἵνα ἐντραπῇ) Ut pudore tactus ad meliorem mentem redeat. Matth. XVIII, 7. Verbum ἐντρέπεσθαι occurrit hoc sensu Tit. II, 8.

15. Καὶ μὴ—ὡς ἀδελφὸν) Καὶ, *enimvero, attamen.* Μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, *nolite eum tractare ut inimicum,* sed saluti eius potius prospicite. Νουθετεῖν, *admonendo corrigere.*

16. Αὐτὸς δὲ — παντὶ τρόπῳ) *Ipse autem salutis auctor largiatur vobis felicitatem quovis tempore ac modo.* Ὁ κύριος τῆς εἰρήνης, cf. 1 Thess. V, 23. Δώῃ ὑμῖν τὴν εἰρήνην, *largiatur vobis felicitatem.* Διὰ παντὸς, sc. χρόνου, semper. Alias ἡ εἰρήνη h. l. est *concordia,* ut sensus sit: *Deus, cui concordia probatur, faciat, ut sitis concordes* etc. Ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν, *Dominus vobis omnibus opituletur.*

17. Ὁ ἀσπασμὸς—ἐπιστολῇ) Hactenus in describenda Epistola manu scribae Paulus usus fuerat; haec scribit sua manu. Cf. 1 Cor. XVI, 27. Gal. VI, 11. Philem. 19. Addere solebat Paulus brevem sententiam, manu sua scriptam, ut ii, ad quos scribebat, cognoscerent, litteras non esse supposititias. Alii de *monogrammate*, s. certo litterarum nexu, quo nomen suum Epistolae subscripsisse volunt Apostolum, cogitant. Hoc esset σημεῖον. οὕτω γράφω) Sic scribere soleo. Ita comparatus est litterarum ductus, quibus in scribendo adsuevi. Haec verba (quae nempe leguntur v. 18.) subscribere soleo.

Corrigenda.

Pag.	4	lin. 29	post propria pon. est.
—	8	— 29	leg. *Theophylactus.*
—	23	— 17	— manifestum.
—	77	— 31	— *proselytus.*
—	126	— 29	ante voce pon. hac.
—	130	— 7	leg. Eripitis. Lin. 21 pro etc. leg. et cap.
—	135	— extr.	del. nota parentheseos.
—	141	— 10	post gero pon. nota incisionis.
—	142	— 26	leg. *λαμβάνει.*
—	147	— 4	— רוח.
—	221	— 1	— *προφητεύωσιν.*
—	256	— 21	post *Christum* del. Comma.
—	260	— 23	leg. לנצח.
—	282	— 22	post *ἐγένετο* add. *καὶ.*
—	302	— 11	leg. *facultas.*
—	319	— 28	— *ὀκνέσειν.* Lin. 31 leg. usurpatur.
—	325	— 16	— *gratias.*
—	347	— 23. 24	leg. *veritas.*
—	351	— 10	leg. *ἑτεροζυγεῖτε.*
—	384	— 20	del. voc. Post.
—	414	— 24	leg. *sidereum.*
—	434	— extr.	ante exhibet pon. Interpretum.
—	466	— 27	leg. *irritam.*
—	481	— 11	— eadem.
—	487	— 12	— *Φοβοῦμαι.*
—	492	— 1	— provecti.
—	500	— extr.	leg. *Chrysostomus.*
—	506	— extr.	— ratione.
—	512	— 12	leg. *χλευάζειν.*
—	523	— 10	— בָּרָא׃
—	524	— 24	— XIII, 35.
—	540	— 24	— *παραπτώματι.*
—	581	— 17	— *Ἄνεμος.*
—	588	— 24	— *λήρα.*
—	589	— 15	— *εἶναι.*
—	596	— 17	— *urbanitas.*
—	611	— 26	— ingenio.
—	617	— 24	— *improborum.*
—	618	— 26	— *sublunaria.*
—	683	— 3	— recte.
—	688	— 3	— *Colassae.*
—	717	— 28	— *iniuriamque.*
—	742	— extr.	leg. distinguunt.
—	747	— 12	leg. *adhibita.*
—	769	— 7	post spatia, adde: ut anni; *καιροὶ* autem sunt minora temporis spatia.
—	783	— 15	leg. גבורה.

DATE DUE

GAYLORD

PRINTED IN U.S

BS2335 .R815 1815 v.4
Scholia in Novum Testamentum...
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00052 7608